PANOPLIA LIBERTATIS ECCLESIASTICAE

Aegidius Ranbeck, Georg Andreas Wolfgang, Jonas Umbach, …



Tuis
Sub alis
Auri Sacra fames
Hac tuti vivimus und
Sacro nec tutus asylo
PANOPLIA
Libertatis Ecclesiasticae.
Jonas Umbach d.

PANOPLIA LIBERTATIS, IMMUNITATISQVE ECCLESIASTICÆ,

QVA

SE CLERICI, ALIÆQUE MISSÆ IN SORTEM DOMINI PERSONÆ DEFENDENDO SINT:

CONTRA

QUOTIDIANOS LAICORUM INCURSUS, AC VIOLENTIAS.

INSTRVCTA EX

SS. Canonibus, luculentis Conciliorum œcumenicorum Decretis, Sanctorum Patrum Dictis, ac Historiis authenticis, cum Decisione casuum magis dubiorum, ac quotidiè occurrentium:

EX FVNDATIORIBVS DD. IN IVRE Canonico Sententijs:

Ante Sexennium studiosè concinnata, atq; edita

A

R.P. ÆGIDIO RANBEK; MONACHO SCHYRENSI, ORD. S.P. BENEDICTI, J.U.D. atque antehàc SS. Canonum in Vniversitate Salisburgensi Professore Ordinario, ac ibidem Celsissimi & Reverendissimi Archiepiscopi tunc Consiliario, & Consistoriali.

Augustæ Vindelicorum,
Typis SIMONIS VTZSCHNEIDER.
Anno 1666.

DEO HOMINI.
VIRGINIS FILIO.
IVSTITIÆ SOLI.
Immortalitatis, post exhaustam Mortalitatem,
ASSERTORI.
Post icta Sponsæ suæ (Ecclesiæ) fædera, Libertatis
AVTHORI.
POTENTISSIMO IMMVNITATIS VINDICI,
LIMPIDISSIMÆ LEGVM SCATVRIGINI,
SCEPTRORVM, IVRIVMQVE DISPENSATORI ÆQVISSIMO.

CHRISTO IESU.
SOLI, SALI, POLIQUE
DOMINO TER OPTIMO, MAXIMO.

Cleri fatiscentis Suspiria & Preces.

AD TE Appello NUMEM TER OPTIMUM; postquàm video tabulis æternitatis tuæ SANCITAM CLERI LIBERTATEM passim labefieri, atque licenter convelli. An non TE Duce, TE instillante

ea in animis Mortalium ſemper reverentia ſedit, ut quos divinis cultibus mancipatos (poſt prima Mundi incunabula) orbis adoraverat, liberos, & exſortes vellet? in id Barbarorum, in id Græcorum, Romanorumque ſtudium ſemper incubuit, ut, quos ſacris admoviſſent, nullis tributorum exactionibus laceſſerentur. Redundant hiſtoriæ exemplis, quibus in eâ etiam Paganiſmi nocte Libertatem Sacerdotibus Gentes ſancivêre. Quid ſacra volumina TUO ab ORE docta, dicta, ſcripta, vulgata clamant frequentius? quàm Levitas eſſe vacuos ab muneribus oportere? Inde eis Decimas addixiſti, oblationes conſecrâſti, Primitias contradidiſti; luculento argumento: quantùm, qui TVÆ SORTIS eſſent, eorum LIBERTATI cautum ires. At poſtquam melioribus, mollioribusque Mortalium fatis TE Cælo amor extulit, Mundo inſeruit, velut RVBRICAM LEGVM ſcriberes, SANGVINE CLERI LIBERTATEM ſanxiſti, tribus appenſam clavis in TABVLA CRVCIS, velut in Albo Prætor, Mundo publicâſti. quot puncta carnis, vibices corporis, vulnera, verbera, tanquam paragraphi erant, quibus, ceu ſtylo novo, eam poſt tot ruinas eruderatam, limatam, ſartam, tectamque Orbi commendares.

res. Et ne ad hæc velut in ænigmate Mundus conniveret, proprio ore, teste tuo Apostolo Matthæo, luculenter promulgâsti: ERGO LIBERI SVNT FILIJ.

Nunquam à verô aberravit Fidelium consensio, qui Concilijs œcumenicis PNEVMA DIVINVM aspirare, veriora veris instillare crediderunt. At quot Conciliorum præjudicijs HÆC CLERO LIBERTAS addicta non est? centies repetita, & quam tabulis æternitatis DIVINVM NVMEN inscripserit, Mundo publicata Ad CLAVES PETRI provoco, & PETRI successores, Romanos Pontifices; quid crebrius toto suo Foro personant, jubent, mandant, præcipiunt, nisi exlegem esse Clerum oportere, & Ditionis Principum exsortem? nullis Laicorum rescriptis, jussionibus, statutis, legibus attineri. Inde ab exordientis Ecclesiæ felicioribus fatis ille Dispectus Imperiorum, Juris & Jurisdictionis, ut hi quidem, quos Sæculi, & profanorum cura negotiosos distringeret, Sceptris Regum, ac Principum addicerentur, verùm, quos in SORTEM DOMINI vocatos melius Studium divideret, sub Ditione, & Clavibus Ecclesiæ militarent, & quemque tenerent discriminata Imperia.

Superi! quantò malò hæc luxata, laxataque, ſemper Mundum attrivère? Compeſcuit OPTIMVM NVMEN licentiores ambitus, quibus provecti Cleromaſtiges in Eccleſiæ Jura petulanter ſunt, frequenti ultione; Urbes, Provincias, Regiones, tota Imperia (Orientem teſtor) inelu-ctabili fato, jugoque ſubſtravit. Quot hodieque noſtro Orbe Hæreſum larvæ tumultuantur? cui culpam impegeris, & ultricem Numinis vindictam? niſi ob profligatam fœdè à pſeudoChriſtianis CLERI LIBERTATEM, quam cùm impudenter in vicinium mortis agerent, ſiverit VINDEX DEVS, dari in REPROBVM SENSVM, & eliminari ab Eccleſiæ alveario Fucos graſſantes. Et me Hercle, quàm ſatiùs rebus ſuis conſultum irent, qui hirquis, ut ajunt, oculis feruntur in CLERI facultates, ſitibundi opum, & acervandi æraria, quando à Manu TVA duntaxàt depluunt opes, & augmenta, quibus, quos Juris tui, & Eccleſiæ ſtudioſos deprehendis, acervatim locupletas. Teſtes advoco THEODOSIOS, CAROLOS, LVDOVICOS, & quoſquos inconnixa Cleri obſervantia ſanctiùs penetravit, quantùm illibato CLERI, & LIBERTATIS ECCLESIASTICÆ cultu, armis, opibus, Provinciarum, Regnorumque feli-

ci ac-

ci acceſſione promoverint; quantùm interim exhauſti potentiâ, nervo Reipublicæ acciſo, hodieque fatiſcant, quotquot infeliciter miſcendo ſacra profanis, graſſantur in CLERICORVM ſtipendia, ærarium, adverſante Cælo, ditaturi. Sed tu PIENTISSIMVM NVMEN, quod VOCATOS TVAM IN SORTEM, tot favoribus mactâſti, da Servire, accuratos ad TVA miniſteria, condignis moribus. Et qui TVA de manu ſceptra Regum, & Diademata dividis, ingere moderantibus Rempublicam ſaniora conſilia, quibus TE IN CLERO, CLERVM IN TE reverenter ſuſpiciant, unumquemque ſuo Foro, Juri dicundo, ſervent, ECCLESIAM, ceu FILIJ MATREM, piè venerentur, ut quos in terris una Religio tenuit, duplex forum TVO JVSSV diſpeſcuit, jam miſſione Mortalitatis factâ melioribus fatis TVA ſub SCEPTRA omnes unà ſuppares componas, recipias, & æternùm pro meritis corones.

Ita voveo: minima Cleri, & Religionis Tuæ portio:

P. Ægidius Ranbeck
Monachus Schyrenſis.

ANTELOQUIUM

PAssim hodie non pauci in libros operam prodigunt, & ſcribendi prurigine ingenia proritant, non optimis ſemper argumentis prægnantia.

Os hominum meruiſſe, & vulgo dicier, hic eſt: una titillatio eſt, quæ ævi noſtri homines non rarò exſtimulat. Averte TV bonum Numen à calamo noſtro, ut hac impetigine àd popularem Genium ſe ambitioſus non exfricet, quem ſacra Religio, & ſilentij ac modeſtiæ cancellis pridem circumſepſit. Et fateor, abſtinuiſſem hodieque manum à ſcriptione, niſi me publica Eccleſiæ cauſa, quando ea velut in vicinio mortis agit, altiùs penetràſſet. Dum paſſim impunè luditur in Clericorum corio, ſpes, & res Deo ſacræ deglubuntur; & jocus eſt, Clericos totondiſſe, non per pectinem, ut *Comicus* ait, ſed ad vivam cutem. Tot SS. Concilijs, tot Sanctionibus Pontificijs Immunes jubentur eſſe Eccceſiaſtici à Foro Laicorum, à tributis, ab emunctione profanâ, & quid uſitatius hoc malo non interim, noſtrâ ætate, quàm in Jus, & Forum Sæculare rapere Clericos, depilare, & emungere quotidianis exactionibus? Hinc modo:

Res tam anguſta domi, tam curta ſupellex.

Eccleſiaſticis eſt. Quod ſi contrà loquaris, riſum cies Cachinnonibus, quos

Defendit numerus, junctaq; umbone phalanges.

Nam quem vicum, quem Angiportum Orbis explicat, ubi, velut

velut suspensâ hederâ, non itur sepultum deploratam Immunitatem Ecclesiasticam?

Vtpote sic usu, sic consuetudine tritum
Ingrediuntur iter.

Et hæc catapulta est, quâ se Profani Cleromastiges acriter tuentur. Quantò sanctiùs, & quantò saniùs *Annæus Seneca in aureo suo de vita beata libro?* quem tibi sistimus, in alium longè argumentum perorantem. ita infit: *Nihil ergo magis præstandum est quàm, ne pecorum ritu, sequamur antecedentium gregem, pergentes non* quà eundum est, sed quà itur. *Atqui nulla res nos majoribus malis implicat, quàm, quod ad rumorem componimur: optima rati ea, quæ magno assensu recepta sunt, quorumq; exempla nobis multa sunt, nec ad rationem, sed ad similitudinem vivimus.* Inde ista tanta coacervatio aliorum supra alios ruentium. Quod in strage hominum magnâ evenit, cùm ipse se populus premit, nemo ita cadit, ut non alium in se attrahat, primi exitio sequentibus sunt. Hoc in omni vita accidere videas licet. Nemo sibi tantum errat. Sed alii erroris causa, & author est, Nocet enim applicari antecedentibus: Et dum unusquisque mavult credere, quàm judicare, nunquam de vero judicatur, semper creditur: versatque nos, & præcipitat traditus per manus error; alienisque perimus exemplis. Et paulò inferiùs. *Non est, quod mihi illud discessionum more respondeas:* Hæc pars major videtur. Ideo enim pejor est. Non tam benè cum rebus humanis agitur, ut meliora pluribus placeant, argumentum pessimi turba est. Quæramus quid

optimum factu sit, non quod usitatissimum? & quid nos in possessione veritatis constituat; non quid vulgo, veritatis pessimo interpreti, probatum sit. *Vulgum autem tam chlamydatos, quàm Coronam voco. Non enim colorem vestium, quibus prætexta corpora sunt, aspicio, oculis de homine non credo. Habeo melius, certiusq́ lumen, quò à falsis vera dijudicem. Animi bonum animus inveniat. Hic, si unquam illi respirare, & recedere in se vacaverit, ô quàm sibi ipse verum tortus à se fatebitur!* Hucusque Cordubensis Philosophus. Quæ verbatim propè suggerere vulgo licebit, qui se solo multorum exemplo, & more in tantam Immunitatis Ecclesiasticæ perniciem & casum; tanto salutis suæ periculo præcipitant, quò se defendunt. Ergóne Orbi, ferme universo, Diem dicimus, & accusamus erroris? Meum non est, foras terere, qui Cellæ natus sum. Neque tamen me veritatis proditorem esse velim, si eam liberè non defendam. Ita *Chrysostomus* mihi testis est, qui sic *in Matth. Homilia 25.* ait: *Non solùm ille proditor est veritatis, qui transgrediens veritatem, palàm pro veritate mendacium loquitur, sed* etiam ille, qui non liberè veritatem pronunciat, quam liberè defendere convenit. *Nam sicut Sacerdos debitor est, ut veritatem, quam audivit à Deo*, (vel Ecclesia) *liberè prædicet, sic Laicus debitor est, ut veritatem, quam audivit quidem à Sacerdotibus, probatam in Scripturis*, (& SS. Canonibus) *defendat fiduciàliter.* Et apposité *D. Ambrosius lib. 2. Epist. 17. ad Theodosium*, ubi ait: *Neq́ imperiale est, libertatem dicendi denegare, neq́ Sacerdotale, quod sentiat, non dicere. Nihil in Regibus tam amabile est, quàm libertatem etiam in ijs diligere, qui obsequio ipsis subditi sunt*, ni-

hil

hil etiam in Sacerdote tam periculoſum apud Deum, tam turpe apud homines, quàm quod ſentiat, non liberè pronunciare, ſiquidem *Scriptum eſt: Loquebar de teſtimonijs tuis in conſpectu Regum, & non confundebar.* Hucuſque *Ambroſius.* Atque in hoc ſcribendi argumentum eò me confidentius accinxi, quòd, librando velut in trutinâ, uſitatiſſimum errorem, plurimos exemplis potius provolvi animadverterem, quam ſuâmet impietate; quibus, ſi indicinam facerem ex *SS. Canonibus,* ex vetuſtiſſimo Eccleſiæ uſu & ſanctionibus, ſi ex probatiſſimis Hiſtoricis, malè & periculosè libatam à multis, & protritam eſſe Eccleſiaſticam Immunitatem, palàm facerem, conſcientiæ, & ſaluti plurimorum examuſſim me conſulturum ominabar. Nam quid fœdiùs lacerat Eccleſiam, quid pactam Chriſti ſanguine Clericorum prærogativam turpiùs incæſtat, quàm malus hic uſus, inolita conſuetudo, & peſtifera Tribunalium praxis? & dum nullo diſcrimine Foro Laicorum ſiſtuntur Clerici, patrimonium Chriſti exactionibus expilatur; ſurſum verſum volvuntur regna, atteruntur opes, hæreſes gliſcunt, luctatur pietas, conſcientia flagellatur, peſſumque ruunt animæ æternâ jacturâ. Ita mecum, opinor, ſentiet, quisquis de honore, cultu, reverentia, Immunitate Eccleſijs, Cleroque debita rectè ſenſerit. Hinc illa *Baſilij* Imperatoris jam in limine mortis, ubi plerumque ſaniora philoſophamur, ad filium Parænеſis. *Sanam habe mentem*, inquit, *in his, quæ ad rectæ Fidei doctrinam pertinent, & ſummo honore proſequere Matrem tuam Eccleſiam, quæ in Spiritu ſancto te lactavit, & capiti tuo ad Dei per Chriſtum, Laudem, Imperij coronam mecum impoſuit. Si enim, quos natura dedit parentis, debes venerari, multò magis eos, qui te in Spiritu ſancto genuerunt, omni pietatis Officio debes colere:*

Illi enim duraturam ad tempus vitam liberis per generationem impertiuntur, isti verò æternam regenerationem largiuntur. Honora ergo Ecclesiam Dei, ut tu viçissim ab eâ in honore habeâre, & Sacerdotes ejus reverêre tanquam spirituales Patres, & deprecatores pro nobis ad Deum. Honor enim, qui Sacerdotibus habetur, in Deum refertur. *Et sicut propter te Ministros tuos in honore habere justum est, ita & propter Deum Sacerdotes ejus magnificare, & in precio habere, sanctum. Quemadmodum enim honor, qui eis habetur, ad Deum pertinet*, ita eorum contumelia, & contemptus longe etiam gravius ejus iram provocat. Et Superi! quid *Theodosium* Imperatorem tot victoriis auxit, omnium terræ Tyrannorum triumphatorem gloriosum reddidit, affluentem fortunæ bonis circumcinxit? Honor, reverentia, & inaudita humilitas ac obedientia, quam Deo, quam Ecclesiæ, quam Præsulibus Ecclesiasticis impendit. Audi stupendam in Imperatore submissionem ad unius Episcopi *Ambrosij* vocem, quando eundem post cædem Thessalonicensem communione fidelium submovit. Et quantis hodie censuris Ecclesiasticæ Immunitatis violatores ab ipsa Sede Apostolica, & Vicario Christi quotannis feriuntur? & rident! Ita loquitur *Theodos. lib. 5. cap. 17.* (postquam anathema fulminârat *Ambrosius* in Imperatorem) *Obsecutus Imperator cum gemitu, & lachrymis ad Palatium revertitur, ubi considet lamentis se dedens, & magnam vim profundens lachrimarum. Quod cum animadvertisset Rufinus, qui tum Magister Aulæ fuit, magnâq; apud Theodosium authoritate, ad eum accessit, rogat causam fletûs: tum Imperator lugens acerbiùs, & majorem in modum flens, tu*, inquit, *Rufine ludis? nam*

quantis

quantis in malis verser, non sentis? Ego verò gemo, & meam ipsius deploro calamitatem, dum mente complector, quam facilis aditus ad sacrum Templum servis & mendicis pateat, liberq; illis ad Dominum suum deprecandum detur introitus; mihi autem non modò ad illum locum, verum etiam ad Cælum ipsum accessus præcisus sit. *Nam venit mihi in mentem sententia à Domino prolata; quemcunq; ligaveris supra terram, erit ligatus & in Cælis, &c.* Certè idem *Theodosius*, cùm potentissimum hostem debellaturus accingeretur (ita mihi *Mauclerus in sua Monarchia fol.* 1394. *testis est*) non more nostri Sæculi tributis Ecclesias, Clerumque oneravit, sed ipsos quoque subditos iis exemit. Audi rescriptum Imperatoris: *Æraria præstationis adjectio, quam circa priscam consuetudinem Provinciatium humeris Tatianus imposuit, à cunctis penitus salubri moderatione removenda est.* Et nunquid præambulis comessationibus, fœdis libidinibus, aliisque nefandis sceleribus prælusum à *Theodosio* bellis est, quæ acerrima contra potentissimos hostes exercuit? ut nostrâ ætate non rarò infeliciter militantium mos est? Audi *Ruffinum de Theodosio, lib. 2. cap. 32. Præparatur igitur*, inquit, *ad bellum, non tam armorum, telorumq;, quam jejuniorum, & Orationum subsidijs: nec tam excubiarum, quàm obsecrationum pernoctatione munitus circuibat cum Sacerdotibus, & Populo omnia orationum loca; ante Martyrum, & Apostolorum thecas jacebat, Cilicio prostratus, & auxilium sibi fidâ Sanctorum intercessione poscebat.* Neque denique tot victoriis lassus felicem animam ponere *Theodosius* antè voluit, quàm Templa Gentilium, non ita pridem ab Eugenio Tyranno in odium Christi reserata clausisset, tributa populo publicis Testamenti Tabulis relaxâsset. Audi *Ambrosium* in Oratione funebri, quibus *Theodosij* manibus parentavit. Ita

 loqui-

loquitur: *Imitatus Iacob est: Supplantavit perfidiam Tyrannorum, qui abscondit simulachra Gentium. Omnes enim cultus Idolorum fides ejus abscondit, omnes Caremonias oblitteravit.* Et paulò post. *Pracepit, dare legem Indulgentia tributorum, quam scriptam reliquit: quid dignius, quàm, ut testamentum Imperatoris lex sit!* Prætereo *Carolum magnum*, *Ludovicum* ejusdem pientissimum filium, aliorumque optimorum Principum par studium, honorem, reverentiam, & cultum, quo de Ecclesiis optimè meriti, Imperii fortunam stabilivère.

Cæterùm, nisi mihi fides Historicorum turpiter imponit, non aliamècontrario sementem tot hæresum cum tempore pubescentium sparsam memini, quàm præambulum Cleri, Sacerdotum, Ecclesiarumque contemptum, vexationes, injurias, expilationes, quibus inter Sacrilegia, & tristes Sarcasmos procaciter Immunitas Ecclesiastica tunc lacerabatur. Horreo referre nefandos ausus, quibus sub *Maximiliano Primo* Imperatore Sacerdotibus illusum impunè ac petulanter est. Spectabant ea Magistratus, ac Principes passim viderant, grassari prædones, sacros Dei Mystas jugulari, Arborum Anathemata fieri, secari, ô pudor! evirari; cremari Ecclesias, domos Parochiales subrui, expilari, everti. connivebant ad hæc etiamnum, nec ulciscebantur. Ad manum mihi est Oratio typis excusa, quæ penthicè hoc Cleri per Germaniam propudium deplorat: Etsi is *Maximiliani Primi*, & *Alexandri Sexti* tunc orbem moderantium ultorem gladium nequicquam in Cleromastiges invocâsset. Et utinam ulceri publico tunc medicatum foret! tam morbo sontico etiamnum hodiè causarii non conflictaremur. Audi *Lutherum* in Epistola, quâ impurus Apostata *Cardinalem & Archiepiscopum Moguntinum Albertum Electoris Brandeburgici* fratrem ad novam nuptam, & tædas jugales pellexerat; in hæc enim verba loquitur:

tur : *Vulgus nunc didicit, & intelligit, Ecclesiasticum Statum nihil esse; id quod satis superq́ declarant tam variæ Cantilenæ, dicteriaq́;* (Ecce contemptum Cleri, nondum Germaniâ magnam partem Luthero fæderatâ) *Cùm in omnibus parietibus, in omnigenis schedulis, deniq́ in chartis lusoriis, Sacerdotes & Monachi pingantur, & pro ludibrio, ac portento habeantur, si quos videre, vel audire contingat è Clero.* Hæc *Lutherus.* Ut adeo mirari jam desinam, justo Dei Judicio, cui in suis Sacerdotibus tam petulanter illudebatur, tantam Hæresum luem in oras tunc nostras inundâsse, sacra profanis miscuisse, integras Provincias fædâsse. Et, dum Principes, etiam Ecclesiastici, ad hæc castiganda torperent, integri Episcopatus ab Ecclesia divellerentur, Hæreticorum impiam bonorũ Ecclesiasticorũ famẽ vel sic tandem saturarent. Et quot hodieq; nostrâ ætate, dum sacra Deo Immunitas tam procaciter à plurimis etiam qui se inter inertes fungos æstimari non sustineant, concutitur, ac luxatur, Bona cùm Sacra, tum profana extra Imperii ditionem abstracta? regnis exteris corporata sunt, & addicta? Hoc fænore luitur crimen læsæ Immunitatis apud æquum Numen, ut, dum contra fas & Jus, contemptâ Sedis Apostolicæ authoritate, Ecclesiastici Census Laicis vectigales fiunt, Clerici nolentes profanis tribunalibus attinentur ac judicantur, ab Imperio interim integræ civitates, oppida, ditiones, justo DEI Judicio, toto Jure dissipentur, & evellantur, aliis, qui Jus dicant, jam nunc dein paritura. Et utinam hæc inter, non cæcutiamus. Sentimus gravem Numinis manum, quâ flagellat, & impudenter amolimur à nobis culpam, aliis imputaturi, quod deliravimus. Sed hoc est:

Quod nemo in sese tentat descendere nemo,
Sed præcedenti spectatur mantica tergo.
Scilicet accepto delectat vivere more,
Interea quidquid contrà sacra Iura repugnent.

Sed

Sed compeſco juſtum dolorem, quando nunquam dolemus ſatis, quidquid dolemus ſerò.

Cæterùm toto hoc tractatu multa dixi, multa ſenſi, quæ, fateor, malè anſati practici toto Foro extrudent, quando paſſim alio vivitur more, etſi non meliore. Neque contrà ſtomachamur. Noſtra hæc Sparta fuit, *ex SS. Canonibus*, & veriori doctrina indiculum ponere, quò eundum, non quò itur, nam plerumque à rectô, & verô declivis trames eſt, & communi teritur pede. Non moramur profanos Blaterones, qui Eccleſiæ ſanctionibus impudenter obganniunt. Hoc centies pervicacibus regeram, quod ſentiendum ſemel. Dignos non eſſe: Deum habere Patrem, qui Eccleſiam noluerunt habere Matrem.

Cæterùm totam hanc Immunitatis Eccleſiaſticæ percelebrem in SS. Canonibus materiam, & hucusq; graviter in Foro Laicorum injuriis pulſatam, conquaſſatamq;, partiti ſumus in *ſex Diſputationes. Diſputationes, in Capita, Capita in Corollaria, & Paragraphos.* Diſputatione primâ *Originem, Cultum, Nomen, Definitionem, Naturam, & Ius* Immunitatis Eccleſiaſticæ expendimus, admodum controverſum inter recentiores. Diſputatione ſecundâ, ejus *Diviſionem*, quantùm ad ſpeciem *Immunitatis Perſonalis*, perſecuti ſumus, atque hoc tam quoad *Actiones perſonales, quàm reales & criminales*; variis, & maximè in Foro Laicorum diſputatis caſibus, quantùm ſatis eſſe videbatur, diſcuſſis, atque ex Jure SS. Canonum, ac probabiliori Doctoſententiâ deciſis: interſperſis identidem ex hiſtoriographis, triſtioribus eventis eorum, qui Immunitatem Eccleſiaſticam petulanter laceſſiverant. Diſputatione tertiâ *Diviſionem* Immunitatis Eccleſ. *in Realem* excutiendam ſumpſimus. Ubi multa ad *Contributiones & ſteuras*, quibus hodiè Clerici, cæteræq; perſonæ

personæ Ecclesiasticæ passim, & indifferenter audacissimè contra SS. Canones in Foro Sæcularium subjiciuntur, diximus: Examinando *quoddam Consilium in eadem contributionum causâ* concinnatum; aliaque malè focillatam de Jure SS. Canonum Laicorum Magistratuum praxim attinentia: interferendo luculenta Historicorum argumenta, quibus Deo Vindice hujusmodi malèferiati Clericorum emunctores divinitùs multati sunt; utinam, documento efficaci nostro ævo futura, ut tandem tot icti malis publicis, quibus Numen suorum injurias ulciscitur, saniora sapiamus. Disputationi quartæ *Immunitatem Localem*, sive *Asyli* Ecclesiastici prærogativam, & Jus examinandum subjecimus: tum, ut de Jure SS. Canonum scripto, cùm quantùm ex Constitutione Gregorii XIV. hodiernâ praxi, usu sancitum est. Adjectis selectoribus ad eandem stabiliendam ex Historicis severioris vindictæ Cælestis exemplis, quibus ejusdem violatores divinum Numen graviter confodit, confuditque. Disputatione quintâ *Modos, quibus variè læditur* Immunitas Ecclesiastica, *in genere*, velut per acervum congessimus, *Pænasq; tam à Iure civili*, *quàm Canonico* in ejusdem transgressores constitutas, quantumque cælitùs vindicata sit Immunitatis Eccles. violatio, aggeratim contulimus. Ultimâ & sextâ disputatione *sex Causas* examini publico subjecimus, quibus hujus Immunitatis Violatores larvati, plerumque *excusandos se futili prætextu* arbitrantur, si liberiùs contra eandem grassentur. Atque ita cum bono DEO finem nostræ huic materiæ de Immunitate Ecclesiasticâ, hodie tam impunè, & petulanter passim in Foro Laicorum laceratâ, & obtritâ imposuimus: utinam in medelam Conscientiarum tam graviter apud plurimos periclitantium! quàm, teste Numine solam intendimus.

*** Si quid

Si quid interim in quibusdam hallucinati ſumus, ut humani à me nihil alienum eſſe ſcio, tuum eſt, benevole Lector, obteſtanti indulgere. Atque hæc omnia dicta, ſcripta, concepta Judico Eccleſiæ ſubjecta à me humiliter ſunto. fave tu, quisquis es, qui oculos nobis impenſurus eris, amice Lector, votoq; noſtro; dicta ſine ſuffragio affectûs diſcute, & quæ fors aſperiùs ſcripſimus pro Eccleſiâ, Matre noſtrâ, æqui boniquе conſule, & indulge.

CENSURA.

TRactatus, cui titulus: PANOPLIA LIBERTATIS., ET IMMUNITATIS ECCLESIASTICÆ, à Reverendo, & Religioſo P. Ægidio Ranbeck, J. U. Doctore, olim publico, & Ordinario SS. Canonum Salisburgi Profeſſore, Ord. S. BENEDICTI, in Monaſterio SCHEYREN profeſſo, cum SUMMA ERUDITIONE, ac SINGULARI LABORE compoſitus, & à Theologis, quibus id commiſſum eſt; quod nec BONIS MORIBUS, NEC FIDEI CATHOLICÆ adverſetur, cenſus, PRO TUENDIS ECCLESIARUM JURIBUS MERITO SUO publicam in lucem prodeant. AUGUSTÆ VINDELICORUM 28. Junij. Anno 1666.

GASPAR EPISCOPUS
ADRAMYTENUS
Vicarius Generalis.

Disputatio I.

DE ORIGINE, CVLTU, NOMINE, DEFINITIONE, ET NATURA IMMUNITATIS ECCLESIASTICÆ.

CAPUT PRIMUM.

Quæ sit origo, & quomodo ab antiquo culta Immunitas Ecclesiastica.

SVMMARIVM.

Immunitas Ecclesiastica est antiquissima originis jam à Moyse in Genesi c. 47. mundo vulgata. n. 1.

Etiam ab Artaxerxe rege liberi esse jussi sunt à vectigalibus, tributis, & annonis Sacerdotes, & ministri domus Dei. Esdr. 1. c. 5. 2.

Primitia & oblationes Sacerdotibus, decimas Levitis, Num. 18. Moyses imperio Dei addixit. 3.

Eadem Immunitas, quantum ad Sacerdotum personas, & structuras Templorum, etiam Ethnicis culta. Alexandro Hierosolymis, Agesilao, Sabacco Æthiopum regi, & passim alijs 4.

Roma jam tempore Romuli Sacerdotes à militia, alijsq́; negotijs, & oneribus immunes erant. 5.

Templorum, altariumq́; asyla tam sacris, quam profanis historicis nota, & prodita 6.

Maximè post Christi fidem propagatam, à Christianis Principibus culta, præsertim à Constantino Magno, cujus duo luculenta exempla vide n. 7.

Rudolphus I. Imperator ob reverentiam Venerabili Sacramento, & Sacerdoti id deportanti impensam, Coronam Augustalem consecutus est. 8.

IMmunitatis Ecclesiasticæ, suis velut in incunabulis vagientis, originem accuratiùs rimaturis, tot passim cùm in profanis, tum Sacris litteris vestigia sese obviàm præcipitant, ut perarduum videatur, quæ sectari potissimum, ac seligere, è re nostrâ, & communi Clericorum, operæ precium sit. Eam enim antiquissimam esse; seu res, sive personas, seu loca in tueamur, indubiumest; quando *Genes. c. 47.* jam tunc Moyses eandem, Sacro Spiritu afflante, Mundo vulgavit.

1. Subegerat potentissimus ille Joseph, quidam quasi proconsul, & Præses provinciæ, totam Ægypti regionem Pharaoni, indictâ omnium fructuum quintâ parte, inferenda ærario regis, solos immunes esse Sacerdotes voluit. Audi scripturam: *Ex eo tempore, usq; ad præsentem diem in universâ terrâ Ægypti regibus quinta pars solvitur, & factum est velut in Legem, absque terrâ sacerdotali, quæ libera ab hac conditione fuit.*

2. In idem argumentum *Esdræ 1. c. 7.* Ataxerxes Rex potentissimus sanxerat, ut etsi reliqua Hebræorum Gens vectigalis esset, Sacerdotes tamen & templorum administri eo onere solverentur. Audi verba Regis *eodem c. 7. Vobis quoque notum facimus, de universis Sacerdotibus, Levitis, & Cantoribus, & janitoribus Nathinæis, & ministris domûs Dei hujus, ut vectigal, & tributum, & annonas non habeatis potestatem imponendi super eos.* Hinc *Numeri 18.* primitias & oblationes Sacerdotibus, decimas Levitis, ore & imperio Dei Moyses addixerat.

3. Supersedeo attexere, quæ *Exodi, & Levitici libris* de eâdem Sacerdotum, & Levitarum exemptione mandatu divino publicantur. Et hæc sacrorum monumentorum authoritate.

4. Cæterum Alexander Magnus, ut profanorum quoque historias libemus, Hierosolymam expugnaturus, *teste Camillo Borello*

Borello in Summa decisionum. tit 3. de his, qui ad Ecclesias confugiunt. n.11 & Jaddum Pontificem sibi obviam factum reverenter excepit, & facto Hierosolymis sacrificio templo immunitatem indulsit; quod *Genebrardus in suo chronico circa annum ab orbe condito 379.* evenisse narrat. Agesilaus, ut author Xenophon est, tam impensè sacra coluit, ut hostium quoque delubra à vi & suppilatione militum capitali sententia tueretur. Apud Ægyptios tam superstitiosè culta Sacerdotum authoritas est, ut, cum vellent, regum quoq; colla securi ferienda subijcerent: hinc referente *Diodoro Siculo apud Gregorium Tolosanum. de repub. repub lib. 26. c. 1. n. 16.* Sabaccus Æthiopum rex, cùm consulto, quod tunc Thebis colebatur, idolo, oraculum accepisset, aliter fortunis suis non staturum, nisi per occisorum à se priùs Sacerdotum cadaverâ Currum medius ageret, maluit regnum exuere, quàm in Sacrificos Ægypti crudeliter grassari.

5. Et ut ex Romanorum quoque historijs, aliquid, primis, ut ajunt labris, degustemus, Romulus, caput, & Author Vrbis terrarum Dominæ, teste Plinio *lib. 18. c. 2.* Sacerdotum, quos Arvorum instituerat, se Fratrem appellavit. Et papæ! quanto in honore Augures Romæ? Audi *Ciceronem lib. 2. de Legibus. quid enim majus,* inquit, *si de jure quærimus, quàm posse à Summis imperijs, & Summis potestatibus Comitia tollere, consilia & instituta dimittere? vel quid Magnificentius quam decernere, ut Magistratu se abdicent Consules, &c.* Hinc mox ab Vrbe conditâ Romulus *teste Dionysio. lib. 2.* ut eum *Demsterus antiquitatum Roman. lib. 3. c. 7.* citat, sexaginta Sacerdotes ætate maturos Sacris præfecit, voluitq; esse immunes à militiâ, exemptosq; à negotijs urbanis. De Druidibus, veterum Germanorum mystis, *Iulius Cæsar lib. 6 comment* & *Diodorus Siculus lib 1 biblioth c. 2* litteris prodidère, tributa unà cum reliquis ex populo non pependisse, militiæ vacationem; omniumq; onerum habuisse immunitatem.

6. Quod si particulatim de aris & Asylis templorum eloqui animus est, & sacris & profanis litteris testatissimum erit, semper Sacratissima fuisse, nec intuta reorum perfugia. lege *libr. Num. c. 25. Iosue 20. Deuteron. 11. Exod. 21.* & intelliges, illa Dei oraculo sancita.

Neq; ea minus Gentilium moribus usurpata sunt. Si admittis, Plautum testem do. *in Mostellariâ. act. 5 scen. 1.* ubi Tranio servus, ne vapularet, ait: *ego interim hanc aram occupabo* Idem in *Rudente. act. 3. scen. 3.* Omitto quæ fuse *Covarr. variar resolut. lib. 2 c. 20.* ex antiquorum historijs acervat. Atque hoc de ararum ac templorum immunitate tam luculenta veterum monumentis facta sunt, ut & Poetarum carminibus non incelebria fierent. Hinc illud *Ovidij lib. 4. de tristibus. eleg. 5.*

Vos eritis nostræ portus. & ara fugæ.
Vos ego complectar Gethicis si cingar ab armis. &c.

Vt adeò Naturæ lux & lex hanc immunitatis prærogativam in illâ Paganismi nocte, etsi pænè oblitteratam, ac tenebris consepultam, mortalium animis inspirâsse, ac imperâsse videatur. Et hæc de origine & cultu Immunitatis, tam personis, quàm rebus, ac templis, antiquorum ævo, & ante Christi Servatoris ortum impensis, dicta sunto.

7. Post Evangelij lucem, quàm religiosè pluribus sæculis ea passim Christianis Principibus culta sit, pagellarum angustiæ non patiuntur retexere. Lege, si vacat, *Gregorium lib. 4 Registri. epist 75. Chrysostomum homil. 65. in Genes.* & alibi passim. *Baronium ad annum Domini 57. Iura Codicis. titulo de SS Ecclesijs. de Episcop. & Clericis. & in Novell. de Monachis.* & admiraboris Veterum pietatem, cultum religionis, ac Immunitatis. Nobis sat fuerit, unius Magni Constantini Imperatoris magno testimonio hoc caput primum adornare. Non suffecerat pietati tanti Imperatoris, Vrbem, orbis caput, Petro, & sedi Petri subijcere; certè

certè in Nicæna Synodo præsidenti cùm Clericorum accusationes afferrentur, vocatis reis, libellos incendit, his verbis ad eosdem usus: *Vos à nemine* (intellige sæcularium potestatum) *judicari potestis, quia solius Dei* (& Dei ministrorum) *judicio reservamini Dij enim vocati estis. Ite, & inter vos causas vestras disponite, quia dignum non eSt, ut nos judicemus Deos* Et vide stupendam reverentiam ejusdem Imperatoris in Sacerdotes, cujus *Gratianus noster. c in Scripturis. distinct. 96. meminit. Verè*, inquit pientissimus Constantinus, *si proprijs oculis vidissem Sacerdotem Dei, aut aliquem eorum, qui Monachali habitu circumamicti sunt, peccantem & Clamydem meam expoliarem, & cooperirem eum, ne ab aliquo videretur, &c*

8. Et ut coronidem primo huic Capiti ex Recentiorum historia imponamus, Dic, Sodes, quid Domum Austriacam hac nostrâ ætate potentissimam, utpote cujus regna, *teste Leonardo VVurfbain in sua relatione historicâ Habspurgico Austriacâ*, tam diffusa, ut solem, vel cum occidit, vel cum oritur, suâ sub ditione fulgentem excipiat. Et quid ad eam amplitudinem, & Imperij culmen tam potenter sustulit, nisi veneratio & cultus Sacerdotum? historiam non regero, nota vulgo est pietas Rudolphi Habspurgij, qui bajulum S. Synaxeos Sacerdotem, equo delapsus in eundem sustulit, pedes ipse, & anteambulo vehentem ad infirmi mapale deducturus. Certè eâ in Sacerdotem Reverentiâ id apud pissimum Numen meruit, ut ex Comite non ditissimo bonis avibus Aquilam Imperij consequeretur, ab equo in Solium, æquissimo jure conscenderet: ita cognatâ Farensis monasterij Benedictinâ, *teste Buzelino nostro in annalibus Germaniæ*, eidem hunc honorem anno Domini 1266. vaticinante. Sed enim:

Laudamus veteres, & nostris utimur annis.

CAPUT II.

De Nomine, definitione, ac natura Immunitatis Ecclesiasticæ.

SUMMARIUM.

Immunitas dicta à munere, nihil aliud est, quam liberatio ab onere. n. 1.

Triplicia sunt onera, sive munera à jure prodita, quæ huc spectant, videlicet munus, seu onus reale, personale, & mixtum. 2.

Immunitas definitur, sive describitur à Leymanno, quod sit jus, quo loca, res vel persona Ecclesiastica à communi Laicorum onere, vel obligatione libera, & exempta sunt. Paulo largius describitur à Lancelloto ibidem. 3.

Nulla est differentia inter Immunitatem, & Libertatem Ecclesiasticam. 4.

Immunitatem hanc tantum Iuris positivi esse aliqui contendunt. 5.

Probant primò, quia ex nullo Scripturæ textu patet esse juris divini. 6.

Secundò, quia ex novo Testamento contrarium manifestè deducitur. 7.

Tertiò, quia Christiana religio non liberat ab ullo alio vinculo civili, quod præerat ante religionis susceptionem. 8.

Quartò, quia Clerici sunt membra, & Cives Reipublicæ. 9.

Quintò, patet non esse juris divini, eò quod minui & mutari à Pontifice possit, & notum ex utroque jure est, concessam eam fuisse ab Imperatoribus & Pontificibus. 10

Sextò, quia neque est de Iure divino positivo, neque de jure divino naturali, ut inductione probatur. 11.

Immunitas Ecclesiastica est juris divini, tam quo ad personas, quam res, & loca, & quantum ad spiritualia, ut sunt Sacramenta, illorum administratio, & officium, concedunt etiam contraria sententia Doctores. 12.

Ratio conclusionis. 13.

Immunitas Ecclesiastica etiam quo ad ea, quæ merè civilia ac temporalia sunt, non minus Iuris divini est, quantum ad personarum Ecclesiasticarum exemptionem. 14.

Idem dicimus de bonis Clericorum maximè prospectu Ecclesiæ, & ex titulo spirituali aquisitis. 15.

Proba-

Probatur prædicta Sententia textibus SS. Canonum, & rationibus. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24.

Immunitas hæc etsi juris Divini sit, ejus tamen executio proximè, & in particulari est juris Pontificij. 25.

Respondetur argumentis adversariorum à num. 26. *usq; ad fin.*

1.

QVantum ad Immunitatis Ecclesiasticæ nomen attinet, certum videtur, illud juridica derivatione deduci à Munere. *per l munus. ff de verb. signif* munus enim non tantùm donum, sed & onus significat, ut adeo Immunitas, attestante textu ejusdem Legis, aliud nihil sit, quàm liberatio ab onere; ita enim loquitur textus: *onus cum remittitur, vacationem muneris præstat.* Diciturq; Immunis, qui liberatur ab onere alijs imponi solito. Sicut Munis à contrario sensu, etiam latinâ phrasi dicitur, qui onere certæ rei præstandæ tenetur. Hinc *Plautus in Mercatore: Dico ejus pro meritis gratum me ac munem fore,* id est, obligatum.

2. Triplicia autem onera, sive munera, communiter in Jure assignari, textus est. *in l. munerum ff. de mun. & honor* & *l. sunt munera ff. de vacat. & excus. mun.* reale scilicet, personale, & mixtum, velut & nos *in titulo de censibus. ad secundum membrum primæ quæstionis* adnotavimus, à quibus quidem oneribus Immunitas Ecclesiastica regulariter aliquem eximit. Hinc nomine Immunitatis etiam privilegium notari testatur *Calvinus in suo Lexico. verbo. privilegia.* ut adeo Immunitates Ecclesiarum, & Clericorum, Metonimicè idem dici possint, quod privilegia eorum, nam ex concessione privilegiorum, resultat Immunitas Ecclesiarum. Et hæc breviter, quo ad Etymologiam nominis Immunitatis.

3. Quantum ad ejusdem Definitionem attinet. Respondeo, tametsi satis accuratè describatur Immunitas Ecclesiastica

à *Lay-*

à *Leymanno lib. 4 tract. 9. c. 1.* ubi dicit: *quod sit jus, quò loca, res, vel personæ Ecclesiasticæ à communi Laicorum onere, vel obligatione libera, & exempta sunt.* Satis tamen placet, ut cum *Lancelloto in suis Institut. lib. 2 tit. 20.* Immunitatem paulò largiùs accipiamus, *pro quovis scilicet Ecclesiarum, vel Ecclesiasticorum favore, rigoris remissione, ac privilegio; non quidem quatenus concessus favor, juris remissio, aut privilegium uni vel alteri particulari Ecclesiæ, personæ, aut loco indulta sunt; sed quatenus toti Clericorum statui, rebusq; ac locis Ecclesiasticis communiter concessa fuerunt.* Et hæc causa est, cur ne juramento quidem personæ Ecclesiasticæ renunciare Immunitati sibi concessæ possint, cum non ob particularem aliquorum favorem, sed propter communem Ecclesiasticæ Hierarchiæ statum, & dignitatem ea constituta sit, per ea, quæ notat *Innocent. & Abb. in c. noverit. de sent. excom. Cajetanus in summâ. verbo. Immunitas.*

4. Atque hâc quidam suppositâ descriptione Immunitatis Ecclesiasticæ, nullam dicimus esse differentiam inter Immunitatem ac libertatem, sive Exemptionem Ecclesiasticam, quasi hæc personarum tantùm, illa locorum foret, per ea, quæ notat *Covarr. lib. 2. var. resolut. c. 20 num. 3* & *Barbos. in tract. Iur. Univers. Eccles. lib. 2. c. 3. n. 1. per. c. adversus. & c. non minus. hoc tit.* ubi in verbo: *Ecclesias, & Ecclesiasticos viros*, fit mentio libertatis, tam rebus, quàm personis promiscuè competentis. Maximè cum sectando Etymologiam nominis Immunitatis, ut notum est ex dictis, illa nihil aliud sit, quàm non munitas, sive deobligatio ab oneribus, quæ cum triplicia sint, ut vidimus, non possunt non etiam personas comprehendere.

5. Cæterùm de naturâ, & cujus maximè Juris Immunitas Ecclesiastica sit, locuturis, gravissima oritur quæstio, & quæ palmaria in hac materia est, inter Canonistas & Theologos maximè juniores, acriter hucusque disputata, num hæc nostra Immu-

Immunitas Ecclesiastica, quæ antiquissimæ originis, ut vidimus, est, Juris divini sit, vel solùm humani ac positivi. Aliqui, præsertim, velut diximus, recentiores Theologi, allegati à *Leymanno lib. 4. tract. 9. c. 8. Azorio tom. 1. lib. 5. c. 12. q. 1. vers. altera sententia. Barbos. in. c. Ecclesia S. Mariæ. de constit. Tamburino nostro. de jure Abbat. tom. 1. disput. 15. q. 19.* quorum primus est *Ioan. Medina Cod. de restit. q 15. Sotus in. 4. distinct. 25. q. 2. art. 2. Victoria relect. 1. de pot Eccles. §. sequitur. Salon secunda secundæ q. 67. artic. 7. controvers. 1 concil. 1. Sayr. in suo thesauro. lib. 3. c. 22. de excomm. bullæ Cœnæ. Molina. de jure, & just. tom. 1. tract. 2. disput. 31. num. 11.* & alij quidam. Atque ex Canonistis maximè *Covarruvias pract. qq. c. 31.* & pauci, qui illum sequuntur, majori ex parte Hispani, quosq; *Cavallos communium contra communes. q 550.* allegat, ex quibus plerique indifferenter tenent, Immunitatem hanc Ecclesiast. tantùm Juris esse humani ac positivi, Pontificum ac Imperatorum constitutionibus sancitam.

6. Suam stabilire Sententiam nituntur primò. Quia si hæc exemptio Juris esset divini, deberet allegari posse textus ex Lege vel Jure divino, sed hoc non potest. ergo. Non enim ex Lege veteris Testamenti, quo ad illa, quæ in *Exodo & Levit.* alijsq; locis suprà citatis, scripta sunt, ea enim vel præcepta solùm Judiciaria, & Cæremonialia fuerunt, quæ per Passionem Christi extincta esse, notum est. teste *Divo Paulo ad Hebræos. 7. & c. translato. de constitut. c. unic. de Purific. S. Thomas 1. 2. q. 104. art. 3.* vel, quod ibi in sacra Scriptura legitur: ut *Genes. c. 47. & 1. Esdra c. 7.* Juris humani fuit, ut vult *Medina. loco cit.* tanquam ab homine, Josepho scilicet, approbante rege Pharaone, vel Artaxerxe constitutum. Non etiam ex Lege novi Testamenti, nam quod communiter affertur *Matth. 17.* ibi Dominus locutus est de sua personâ, ut interpretatur *Bellarm. to. 1. de Clericis, lib. 1. cap. 28.* qui sine dubio jure Divino Immunis fuit à præstatione Tributi.

7. Secundo nituntur probare Sententiam suam: quod indubitati textus ex novo Testamento allegari possint, ex quibus patet, Clericos potestati Laicorum subjectos fuisse, certè ipse Christus fatetur: Pilatum in suam personam habuisse jurisdictionem. *Ioan. 19.* dum ait: *non haberes potestatem in me ullam, nisi tibi datum esset desuper.*

8. Tertiò probant. Quia Christiana Religio non liberat ab ullo alio vinculo civili, quod præerat ante Religionis susceptionem. v.g. non à conjugio, ab officio obedientiæ, à debito pecuniario, aut ære alieno. Ergo neque Christus dicendus erit per ordinem Ecclesiasticum aliquem ab officio parendi Principibus liberare voluisse.

9. Quartò. Cum Clerici sint membra, ac Cives Reipublicæ, passim cum Laicis ineant Contractus, & Conventiones, nunquid rationi, & æquitati naturali consonum erit, ut sicut tota Communitas, ac reliqua Reipublicæ membra Communitatis Principi, tanquam Capiti, subjecta sunt, ita etiam Clerici tanquam quædam pars communitatis subijciantur? omnis enim pars turpis est, non conveniens suo toti. *c. qui contra, distinct. 8.*

10. Quintò. Si Juris divini hæc est Immunitas, & exemptio, quomodo ergo illa minui, ac restringi à Summo Pontifice potest, imò & demandari Clericorum causæ Laicis valebunt? sicut delegari taliter posse, *tenet Glossa. in c. valde. distinct. 94.*

11. Sextò. Notum est, tam ex Jure civili, quàm Canonico, hanc Immunitatem concessam Clericis, ab Imperatoribus ac Pontificibus, cùm ante multa tempora antecedenter absque contradictione non tantum Paganis, sed etiam Catholicis Imperatoribus paruerint. per ea quæ notantur *in cap. tributum. 23. q. 8.* & teste *Bellarm. cit. c. 28. de Clericis.* notat *Ambrosius in oratione de tradendis Basilicis.* Hujus Exemptionis successu temporum

porum ab Imperatoribus factæ. Textus passim *toto tit. C. de SS. Ecclesiis. & de Episcop. & Clericis.* sunt obvij, notaturq; *in Novell. ut Clerici apud prop. Episcop. &c.* alijsq; locis.

12. Vltimò si esset de jure divino hæc Immunitas Ecclesiast. tunc vel esset de jure divino naturali, vel de jure divino positivo, neutro horum modorum est, ergò de jure divino non est.

13. Probatur primum membrum, quod de jure divino naturali non sit, quia tam caracter Clericalis, quam ratio qualitatis ejusdem per se, & ratione sui hoc solùm infert, quod ex eo, quo quis Clericatui adscriptus est, cultui divino mancipatus sit, atqui hoc non impedit, quo minus possit esse subjectus jurisdictioni principum sæcularium, ut patet ex ijs, quæ in principio nascentis Ecclesiæ passim in usu erant, & practicabantur. Et allegatur ad hoc *Epistola Pauli, ad Roman. c. 13.* atque manifestum est ex tot legibus, & tit. *C. de SS. Eccles. & C. de Episcop. & Cler.* & alibi.

14. Confirmatur. Si hæc Im̃unitas esset de jure divino naturali, esset invariabilis, sicut jus divinum est invariabile, sed hæc Immunitas non est invariabilis, ut constat per se ex ejusdem crebra variatione, & mutatione à tot Canonibus prodita, ergo.

15. Probatur secundum membrum, quod neque sit de jure divino positivo. Quia apertus proferri textus nequit, quô illud indubiè probetur, ut vidimus ex ijs, quæ de veteri Testamento. c. 1. allegavimus, atque illud *Matth.* 17 dictum *à quibusnam exigunt reges tributum à filiis suis vel alienis.* quia dictum admodum obscurum est, & dubium, patiturq; varias interpretationes, ut notum est ex commentatoribus in novum Testamentum, nihil efficaciter probat.

16. His tamen non obstantibus: Dico communiorem, &

veriorem, ac tenendam esse Sententiam, per D.D. superius citatos, & quos fusè allegat *Diana resolut. moral. part. 1. tract. 2. resolut. 1. de immunit Eccles. & p. 4. tract. 1. resol. 44. Barbos in tract. Iuris univers. Eccles. lib. 1. c. 38. §. 2. n. 5.* Clericos de jure divino non tantùm quoad personas, sed & res, & loca absolutè Immunes esse.

17. Et primo quidem quantùm ad ea, quæ Spiritualia, Divina, ac Ecclesiastica sunt, ut est materia Sacramentorum, illorum administratio, & officium. Item interpretatio verbi Dei, & circa illa delinquentium correctio, sicut & sanctio pœnarum Ecclesiast. veluti sunt: Censuræ, irregularitates, depositiones, degradationes. &c. quo etiam pertinet: idoneos Ecclesiæ ministros examinare, eligere, creare, instituere, confirmare, atque ad ordines promovere, quæ etiam apud contrariæ Sententiæ authores Catholicos Juris divini esse, dubium non habet. velut attestatur *Azor ubi supra. tom. 1. lib. 5. c. 12.* sicut nec apud eosdem in controversia est, Clericos sacris Mysterijs addictos, negotijs sæcularibus perpetuò, etiam jussu principum, implicari non posse, velut est: arma tractare, bella gerere, &c. uti nec ambigunt etiam contrariæ Sententiæ authores, quod, quidquid Juris ac potestatis habent Laici in rebus Spiritualibus, habeant ex privilegio, concessione, & beneficio Ecclesiæ, ut est: Jus patronatûs, sepulturæ, Jus exigendi pensiones, beneficijs Ecclesiasticis impositas.

18. Ratio, quod, quoad hæc Spiritualia Immunitas Ecclesiastica Clericorum juris Divini sit, *secundum Bellarm. cit. c. 28.* est, quod jure Divino regimen Ecclesiasticum distinctum sit à politico, multoq; sublimius politico existat, consequenter causæ Ecclesiasticæ à politicis Magistratibus judicari non debeant; nulla enim potestas, vel Jurisdictio propriâ virtute se exten-

extendit ultra genus sui objecti, tanquam ultra proprios limites.

19. Deinde, cum tota authoritas regendi Ecclesiam à Christo commissa sit Apostolis, & maximè Petro, adeo, ut is quoad Spiritualia Christianum populum, & Laicos, oves esse voluerit, Apostolos autem Pastores, sanè omnino conveniens rectæ rationi, ac dignitati illorum erit, ut oves à pastoribus ordinentur, ac judicentur, non oves ordinent, ac judicent pastores. Plures rationes vide apud *Tambur. Leyman. Molin.* locis suprà citatis. *Lessium de just. & jur. lib. 28. c. 33. dub.* 4. & alios, quæ tamen rationes propè omnes in idem recidunt.

20. Secundò, quantum ad ea, quæ merè civilia ac temporalia sunt, ut si Ecclesiasticæ personæ deliquerint in principem, in Rempublicam, vel ejus membra, v. g. furando, occidendo, rebellando, aut contraxerint, vel aliquid emerint, aut ære alieno constricti sint. Sicut etiam, si quæstio sit de tributis, censibus, contributionibus, & similibus oneribus, quæ communiter à Principibus solent Laicis imponi. Dico, tametsi ex citatis in contrarium Theologis nemo sit, qui non sentiat, Immunitatem quoad ejusmodi casus concessam solùm Juris humani esse, & non divini, teneo tamen indifferenter cum citatis pro nostrâ Sententia, *Azorio, Leymanno, Tamburino, Silvestro, Angelo, Armilla, Suarezio in defens. fidei Cathol. lib. 4. c. 9. Valentia.* locis ab eodem *Leymanno* allegatis, *Innocentio. Abbate, Hostiensi.* plurimisq; alijs à præfato *Diana, & Barbosa* citatis, ac communiter Canonistis, tam quo ad hoc, quam illa, Immunitatem Clericis competentem Juris divini esse.

21. Ad quod Jus divinum tertio reducimus etiam bona Clericorum, præsertim quæ prospectu Ecclesiæ, & ex titulo spirituali aquisita sunt. Et præterquam, quod hæc Sententia communis Canonistarum sit, à pluribus quoque Theologis

docetur, teste *Azorio.* dicto loco. Etsi aliqui Recentiorum indubitanter contrarium doceant. *debent tamen*, ut idem Doctor assertis verbis asseverat, *majoris ponderis, & firmamenti esse, quod in Iure Canonico decisum legitur*, quam *quod in Contrarium prædicti recentiores Theologi docuerunt: illorum enim authoritas privata est, & solummodò tantum probant, quantum ratione (nisi Ius resistat,) convincunt, SS. autem Canonum authoritas publica est, & authentica, à quâ non licet sine piaculo recedere.*

22. Textus sanè pro nobis expressius est *in c. quanquam. in 6. de censibus. c. si Imperator distinct. 96. c. non minus. hoc tit. & c. nimis. de jurejurando.* ubi decisum à Summis Pontificibus legitur: *Ecclesiasticas personas*, etiam quoad ea, quæ secundo, & tertio loco jam modo attulimus, *immunes de Iure divino esse.* Et tametsi aliqui dictorum Theologorum velint in citatis Capitulis per Jus divinum, intelligendum esse Jus Canonicum, per humanum autem, Jus civile, hoc tamen meâ quidem opinione, est cavillari verba conciliorum, & pro more sectariorum, torquere textus sine causâ, & cum præjudicio Veritatis.

23. Deinde quid dicent ad text. *Concilij Trident. Sess 25. de reform. c. 120.* ubi quasi ex instituto huic Theologorum effugio viam præcludere velit, in terminis decidit: prædictam Immunitatem *Dei ordinatione, & Canonicis sanctionibus constitutam esse.* Sed iterum occurrunt quidam, & dicunt: propterea Dei ordinatione hanc Immunitatem sancitam dici, quod aliquam cum Jure divino Convenientiam habeat, quatenus scilicet, ut loquitur, *Lessius citatus à Tamburino. ubi supra n. 7.* Jus divinum etsi eam non efficiat, dictat tamen à Principibus &

Ponti-

Pontificibus esse concedendam, ipsaq; æquitas naturalis, ut discurrit *Molina cit. loc.* impellit ad hoc Principes, & Imperatores. Sed quæso an hoc non est nodum in Scirpo quærere? fatentur citati in Contrarium Theologi dictamen Juris divini, atque naturalis æquitatis impulsum, & tamen Juris divini esse mordicùs negant, quia de hoc, ut asserunt, in sacrâ Scripturâ determinationem luculentam non habemus. Quasi verò non sufficiat, quod ex testimonijs, vel exemplis ex sacrâ Scripturâ depromptis, aliquid Juris divini esse, eruatur, accedente præsertim traditione Ecclesiæ, & expressâ determinatione, ac decisione per Sedem Apostolicam factâ, sicut in *Capitulis superius allegatis* videre est. Nam quid aliud legitur cit. *c.47. Genes. Esdra.1.c.7. Matth.17.* & quæ ad illum locum notat *Hieron. & August. lib.1. qq. Evang. q.23.* quàm Clericos, eos scilicet, qui in sortem Domini vocati sunt, Immunes esse, tam quoad suas personas, quàm quoad illorum bona, de Jure divino? Et si veteris Testamenti Sacerdotes, ubi omnia solùm in figûra contingebant, eratque illorum status ac conditio multò imperfectior, de jure divino hac Immunitate gaudebant, cur non magis novi Testamenti Sacerdotes? Et ita argumentatur ipse Summis Pontifex in *c. non minus. hoc tit.* vide plura apud *Tambur. tom.1. disput.15. q.19. a. n.12.* & pulcherrimam Rotæ Decisionem *in Albens. Gabell. sive onerum.* 28. *Junij.* 1630. *coram R.D. Merlino.* quam totam attexit idem *Tamburinus, tom.3. de jure Abbat. in fine operis, & est in ordine Decisio.* 104.

24. Deinde si vera est doctrina communis *Interpretum ad institut. Iuris Civil. titulo 2. lib.1. §. jus autem gentium.* & ibi in terminis *Schneidew num.3.* Quod illud juris naturalis secundarij sit, quod naturali ratione introductum est, ex quo gentes esse ceperunt, sitque hoc Jus naturale secundarium fundamentaliter nihil aliud, quàm notitiæ quædam divinitùs humanis

nis mentibus insitæ, quibus naturalis ratio judicat. Sanè non video, quomodo negare possimus, prædictam Immunitatem esse Juris naturalis Secundarij, cum passim apud omnes Gentes, & Sacerdotes reperire fuerit, & illorum Immunitatem. Sicut etiam atteſtatur Rota. *dicta decisione.* & tenet *Præpositus in. c. si tributum. 11. q.1.* & quæ notat. *Gloss. in. c. secundum. 23. q.8. Ioan. Antonius de nigris. in repetit. Extravag. unica. de vita & honest. Cleric. num 243.*

25. Accedit denique, quod si omnis potestas est à Deo, ergo etiam ratio subijciendi erit à Deo, consequenter sicut Deus in hoc mundo distinxit potestatem in Ecclesiasticam & Civilem, etiam rationem subijciendi distinxisse dicendus erit, adeoque sicut exercitium potestatis Civilis est in supposito Civili, sive Laico, etiam ratio subijciendi erit in supposito Laico, & sicut exercitium potestatis Ecclesiasticæ est in supposito Ecclesiastico, profectò etiam ratio subijciendi erit in supposito Ecclesiastico, sive persona Clericali. Hinc cum res & bona adhæreant personæ, consequens quoque videtur esse, ut, ad quam potestatem ratio subijciendi de Jure divino personam trahit, ad eandem quoque potestatem ac forum, bona, ac res personæ cohærentes trahat.

26. Et ut hanc Sententiam speculativè quoque ac Theologicè probemus, dicimus cum *Suarezio. lib.4 de Immunit Eccles. c.9.* hanc Immunitatem propterea esse verè & propriè dicti Juris divini positivi, vel naturalis, eò quod videatur sub illo præcepto generali dato Petro contineri: Pasce oves meas. Singulas utique juxta eorum statum, & conditionis prærogativam, vel quatenus per aliquam saltem imitationem & similitudinem ex testimonijs & exemplis veteris Testamenti desumptis est, quorum non pauca passim in libris *Exodi*, *Numeri*, *Levitici*, quin & *Geneseos* leguntur, & allegat nonnulla in rem præsen-

præſentem idem *Suarez eodem lib. & c à Num.21.* atque nos ſuprà aliquorum meminimus. Sicut in ſimili præceptum decimarum juris eſſe Divini dicitur. *in c. tua nobis. & c. decimas. de decimis.* tametſi quoad quotam juris Canonici eſſe indubitatum ſit.

27. Cæterum vel maximè præceptum illud de Immunitate Clericorum, Juris divini naturalis æſtimari, & inferri exinde poteſt, quod ſuppoſita inſtitutione divinâ Clericalis ordinis, ex principijs naturalibus per deductionem evidentem, vel ita neceſſariam moraliter eruatur, ut propterea ſupremus Eccleſiæ Prælatus eo Jure obligatus exiſtat, quatenus privilegium illud Inferioribus quoque Clericis communicet, & ſub certa Lege, & modô illud conſtituat: quomodo enim aliàs ſine hâc exemptione decentia, & dignitas ſtatûs Clericalis cum debitâ ſuâ reverentiâ, & honeſtate conſervaretur? Et ſi idem ſtatus perſonarum Eccleſiaſticarum æquè Pontifici, ac ſæculari Principi, quoad utrumque, Corpus ſcilicet & animam ſubjectus exiſteret, cum ſæpè contingere poſſit, ut contraria præcipiant, cui obediendum foret? ut adeo præceptum Chriſti negativum hic locum habeat: Nemo poteſt duobus Dominis ſervire. conſequenter cum Chriſtus Petro, & ejus Succeſſoribus hujus ſtatûs curam commiſerit, ſanè ſi non explicitè præcipiendo, vi ſaltem muneris, quod ei committebat, hanc Immunitatem præcepiſſe dicendus erit. Sunt enim Clerici, aliæque perſonæ Eccleſiaſticæ, tam quoad corpus quàm quoad animam Petro, & ejus Legitimis ſucceſſoribus ſubjecti jure divino Evangelico, Ergo eodem jure erunt à Juriſdictione Principum ſæcularium exempti.

28. Et probatur hoc ex *c. Duo ſunt 12. q.1* ubi ex doctrina *S. Hieronymi* duo diſtinguntur genera Chriſtianorum, unum

C manci-

mancipatum divino officio, & deditum contemplationi, & orationi, ut est status Clericorum & religiosorum, aliud est genus Christianorum Laicorum, qui licet generali ratione divino Servitio mancipati sint, secundum communem tamen vivendi modum, temporalibus rebus principaliter intendunt, consequenter cum Clerici non tantum generali ratione, sicut omnes Christiani, de jure divino Petro & ejus Successoribus subditi sint, sed & specificâ, tam quoad corpus & animam, (sunt enim specialiter dicati, & traditi Deo, utpote in sortem Domini missi) profectò quò ad utrumque erunt Petro subjecti; ut adeo utroque modo pertineant ad Jus Dei peculiare. Petrus autem, cum Vicarius Dei sit in terra, sanè quoad utrumque sub ipsius Jurisdictione, & ditione erunt, cui tanquam peculium suum, & quidquid ad peculiare Jus ejus pertinet, Christus tanquam proprio æconomo, & dispensatori commisit.

29. Huc faciunt, si bene expendantur, verba Christi. *Matth. 17.* ubi ex Petro sic quærebat: *Reges terræ à quibus accipiunt tributum, vel censum à filijs suis, vel alienis?* cui cum Petrus respondisset, ab alienis. dixit illi Iesus: *Ergo liberi sunt filij. Vt autem non scandalizemus eos, da eis pro me & te.* Qui enim potiori jure nomine liberorum censendi sunt, quam qui specialiter adoptati à Christo, in sortem Domini transierunt? *Augustino* quoque adstipulante. *Serm. 6. de verbi Apostoli:* sub Petri nomine illos comprehensos asserente, quod Petrus vicem totius Ecclesiastici status tum gerebat, præsertim cum per se valdè consentaneum rationi, & admodum probabile sit, Christum assumpsisse privilegium Exemptonis optimô modô, magisq; rationi consentaneo.

30. Et hanc Sententiam fortiter confirmat antiquissima Ecclesiæ traditio, quæ optima verborum & legum Christi inter-

interpres est. Vide passim quæ allegantur. *à Gratiano nostro distinct. 4) §. sed licet. usque ad finem distinct. &. distinct. 87. & 98.* & *causa. 14. q. 4. &. 23. q. ultima.* ac alibi. Præsertim in Concilijs generalibus & æcumenicis. ut in *Concilio Lateranensi, Tridentino*, & alijs plurimis rescriptis Summorum Pontificum, sæpius in hoc tractatu allegatis.

31. Hac verum est, quod, utut de jure Divino hanc Clericorum immunitatem esse asseveremus, atque à Christo concessam sentiamus. Dicimus tamen illius Executionem proximè & in particulari Juris Canonici esse, ita, ut per Jus Canonicum quasi determinatum fuerit, ac executioni mandatum illud præceptum generale divinum, eximendi Clericos à jurisdictione sæculari. Hinc passim extant SS. Canones, quibus in specie definitum, ac provisum est, quomodo nimirum, quibus casibus, & quousque, quibusvé Personis Ecclesiasticis, & qualiter hæc Immunitas Ecclesiastica competat. Vt adeo, licet hoc præceptum communicandi hanc Immunitatem inferioribus Clericis, de jure Divino immediatè quidem Petro, & ejus Legitimis Successoribus concessum sit, ut probavimus, Pontificij tamen muneris & officij sit, tanquam Vicarij Christi, & dispensatoris ejusdem in terris, ut eandem postea inferioribus Clericis, quo ad casus particulares applicet, & distribuat, velut ex ipso etiam utendi modô hoc liquidò constat, cum hæc Exemptio non omnibus personis, neque omni tempore, neque in omnibus casibus sit æqualis, variariq; amplius hodieque possit, ac soleat. Consequenter indubitabili signo erit, non fuisse ita distributam immediatè à Deo, & jure Divino, sed fideli dispensationi Vicarij Christi commissam. pro-

pterea pulchrè, & valde ad mentem hujus nostræ Sententiæ accommodè *Concilium Trident* pronunciavit: hanc Exemptionem Dei ordinatione, & Ecclesiasticis sanctionibus esse constitutam.

32. Argumentis in contrarium allatis respondendo: Quantum ad primum attinet, dicimus, tametsi verum sit, ea, quæ in veteri Lege cæremonialia, vel judicialia fuerunt, per mortem Christi sublata fuisse, neque amplius sine peccato mortali post Legis novæ promulgationem, ut Cæremonialia vel Judicialia ex vi veteris Legis servari posse, sicut tenent communiter cum *S. Thoma* Scholastici 1. 2 *q. 104. art. 3. & 2. 2. q. 87. art. 1. Suarez. de legibus. Lib. 9. c.* 14. Vera tamen est Sententia *Suarezij* ibidem, quæque clariùs allegat *Covarr. var. resolut. lib* 1. *c. 7. cit. n. 1. Barbos. ad. c unic. de purif. post partum.* Judicialia quidem mortua esse, quatenus scilicet per mortem Christi eorum obligatio sublata sit, nullatenus tamen mortifera; quasi opus quoque, quod antè in Lege veteri præcipiebatur, modo (in se etiam) sine morte animæ observari non possit. Cæremonialia autem esse tam mortua quàm mortifera, non quidem omnia, sicut aliàs indifferenter, & communiter docent Theologi, sed illa tantùm, quæ præcipuè significant Christi, & futuræ Legis Evangelicæ adventum, ut erat Immolatio Agni, circumcisio, & similia. ut adeo quoque, quæ cæremonialia sunt, magis tamen pertinent ad devotionem quandam, ac ritum Sacrificiorum, & eorum ornatum, quam ad futuræ Legis, Christique nasciturі præfigurationem, etiam post Legis Evangelicæ promulgationem, tam publicâ, quam privatâ observatione, absque interitu animæ servari possint. Cujusmodi sunt vestes Sacerdotales, thurificatio, decimarum, & oblationum solutio. &c. Et pro hâc doctrinâ expressus *textus est in c. 1. de consecrat. dist. 1. c. unic. de purif. post part.*

33. Quod

33. Quod si autem illa, quæ Lege veteri præcepta fuerant, etiam moralia fuerint, ut sunt ea, quæ in Decalogo legimus, dubium non est, etiam hodie & servari posse, & debere. Pertinent enim ad Legem naturæ. teste *Navar. in Manuali, cap.* 11. *num.* 2.

34. Tametsi igitur illa, quæ tanquam de Jure divino obligantia ex Lege veteri *cit c.* 47 *Genes.* alijsque locis allegata sunt, amplius de Jure divino secundam illam Legem non obligent, ut ex dictis patet, obligant tamen interim de Jure divino, secundum voluntatem ejusdem Legislatoris interpretatam per ejus in terris Vicarium, Summum Pontificem. Nam quia etiam ex Sententia adversariorum, ut audivimus, Juri divino, ac æquitati naturali maximè convenit, Clericos Immunes esse, ita Lege veteri constitutum fuisse dicimus, ut hoc præceptum de Immunitate Ecclesiasticis personis servanda inter præcepta quoque moralia computemus; consequenter sicut illa, tam ante, quàm post Christi mortem, servari debent, etiam hæc Immunitas hodieque quoad Clericos locum obtineat.

35. Deinde, si Levitis, qui erant multò Imperfectoris ordinis, hanc Deus Immunitatem constituit, tametsi illa quoad has personas Juris divini per mortem Christi esse desiverit, nullatenus tamen dicendum videtur, desijsse quoad illos, qui in locum generis Levitici perfectiori modo & ordine subrogati sunt; cùm major ratio concedendæ hujus Immunitatis militet quoad nostros Clericos & Sacerdotes, quam quoad veteris Testamenti Levitas, neque aliter quæ de Jure veteris Testamenti per Legem divinam sancita sunt, evacuata per mortem Christi videntur, quàm quatenus in figura contingebant, pugnaretq; aliàs illorum observatio Legi Evangelij: Cum cæteroquin Juris quoque liquidi sit, quòd subrogatum sapiat naturam ejus, in cujus locum subrogatur. Consequenter ijsdem

etiam privilegijs Immunitatis gaudere debebunt Clerici novi Testamenti, quibus Levitæ in Veteri fruebantur.

36. Quæ in Lege novi Testamenti *Matth. 17.* allegata *Bellarm.* interpretatur de solo Christo, parum nos movent: nam opponimus *Bellarmino* duorum Sanctorum Patrum, & Ecclesiæ Doctorum, *Hieronymi ad idem Matth. c. 17. & Augustini lib. 1. qq. Evangelic. q. 21.* authoritatem, quorum uterque docet: Christum ibi de Clericis quoque, ijs scilicet, qui in sortem Domini vocati sunt, locutum esse, & confutatur *Bellarmini* Sententia ex ipsis Christi verbis, ubi non solùm de suâ, sed etiam Petri personâ locutus est, ait enim: ut non Scandalizemus eos, da eis pro me, & te.

37. Quantum ad textus secundo loco ex novo Testamento allatos attinet. Respondeo: ex ijs ad Summum effici, ac evinci, Ecclesiam eo tempore non habuisse plenum, ac liberum usum, ac Exercitium suæ potestatis, grassante adhuc Paganismo, atque Ethnicis Imperatoribus, & ideo mirum non est, si *Paulus act. 25.* ad Cæsarem provocavit. Sic dicit *ad Roman. 13.* Omnis anima Potestatibus sublimioribus subdita sit, non quod Jure divino Laicis Principibus Clericos Paulus subijceret, sed quod interim, dum Christiani erant in Paganorum potestate, eorum Principibus parere deberent, ne detrimentum fides & religio pateretur.

38. Ad illud Christi Domini dictum ad Pilatum. *Ioan 19.* non haberes potestatem in me. &c. Respondeo locutum esse Dominum de potestate facti, non Juris, nam potestas facti reperitur etiam in Tyrannis, & est vitiosa. Hujusmodi potestatis exemplum est apud *Lucam c 22.* ibi: *hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum.* Vt adeo sensus verborum Christi sit: nisi tibi ô Pilate esset cœlitus permissum, etiam facto ipso, & opere, meam causam non cognosceres.

39. Ad

39. Ad tertium argumentum Respondeo: Transeat antecedens quod Christiana religio non eo ipso, quia aliquis Christianus est, liberet ab omni vinculo civili, negamus tamen consequentiam, quod Clericatus non liberet à subjectione Laicali, quia, ut audivimus, Clerici eò ipso, quod Deo consecrati, ac divinis usibus ac ministerijs addicti sunt, Ecclesiasticæ Jurisdictioni de jure divino subijciuntur, ut probavimus. Ergo Laicis Principibus parere amplius necesse non habent, cum & Laici non aliter parere obligentur Principibus sæcularibus, quam supposita qualitate Laicali, & territoriali subjectione, ut per se constat.

40. Ad quartum Respondemus, negando Clericos propriè, & verè Cives esse Reipublicæ, ac tametsi in territorio Laicorum vivant, non tamen sunt de territorio. Deinde licet etiam teneant Canonistæ & Theologi, Clericos non esse exemptos ab obligatione directiva Legum Civilium, quæ Canonicis Constitutionibus, vel Clericali officio non repugnant. teste *Tamburino. loco. citato. n 9.* & plurimi quos allegat *Leymann. lib. 1. tract. 4. c. 13.* ex illa tamen obligatione non infertur: Clericum aliquem propriè Civem esse, cum dicta obligatio ex Legibus civilibus resultans Clericos solùm indirectè stringat, non proximè ex vi ipsius Legislativæ potestatis, sed solùm quatenus id naturalis æquitas postulare videtur, cum aliàs communis pax inter Cives difficulter servari posset. Vide plurimos citatos ab *eod. Leymanno. ibid. n. 6.* Et satis allegato axiomati consulitur, si vi saltem directiva illis Legibus Clericos obligari concedamus.

41. Quoad quintum Respondeo, absurdum non esse, in certo aliquo casu particulari ad mutationem circumstantiæ & materiæ, etiam Jus naturale vel divinum esse mutabile, eatenus enim, & quidem intrinsecè Jus naturale vel divinum dicitur immu-

immutabile, quatenus in particulari aliquo casu sive in individuo, positis his vel his circumstantijs, hac vel hac materia aliquid naturalis ratio dictat vel faciendum, vel fugiendum, non quatenus in genere, vel secundum positionem, aut thesin quandam Vniversalem aliquid præcipit, vel prohibet. Tunc enim dubium non est, pro diversitate circumstantiarum ac materiæ Jus naturale vel divinum in particulari mutabile esse, ac modo obligare, modo non obligare: quam mutabilitatem Juris naturalis vel divini, rectè extrinsecam Theologi vocant. Sicut videre est apud *Suarez de Legibus lib 2 c. 14. Bonacin. eodem tract. Disput. 1. q. 5. punct. 2.*

42. Hoc negare non possumus, quod, sicut Jus naturale, vel divinum aliquid in genere præcipit, vel prohibet, ita etiam in genere secundum illam scilicet positionem, dictamen, & rationem genericam mutari non possit, etsi in particulari aliquo casu, ut diximus, ad mutationem circumstantiæ, ac materiæ nihilominus mutabile permaneat. v.g. non occidere, est Juris naturalis & divini, atque secundum hanc veritatem, & positionem genericam, Jus naturale & divinum est Immutabile, neque unquam in genere contrarium dictabit: scilicet esse occidendum. Interim tamen, sicut in particulari casu ab extrinseco mutantur circumstantiæ, ita etiam Jus naturale & divinum extrinsecè mutari necessum est. Hinc non obstante Jure naturali ac divino, de non occidendo, licet cum moderamine inculpatæ tutelæ invadentem te, si aliter defendi nequeas, impunè occidere, in extrema necessitate aliena rapere, & similia.

43. Et tunc maximè Summi Pontificis, tanquam in terris Dei Vicarij erit authoritativè declarare, quando hic & nunc ad mutationem circumstantiæ, ac materiæ Jus naturale vel divinum obliget, aut non. Et ex mente quipem *Suarezij* & nostrâ,

noſtrâ,eo minus mirum videri debet,hancExemptionem,tametſi Juris divini eſſe ſenſerimus cum communi, in particulari reſtringi ac minui poſſe à Summo Pontifice, eò quod concluſimus, eam quidem profectam à Deo, ac Jure divino eſſe, tamen ejus executionem ac diſpenſationem Juris Canonici, ac penes Pontificem, tanquam Chriſti Vicarium, exiſtere, qui hanc exemptionem in particulari ex cauſis rationabilibus & minuere poteſt, & ampliare. Vt praxis quotidiana, & uſus palàm docet.

44. Vt adeò nihil contra nos faciat objectio, taliter ſuperiùs propoſita: in certo caſu Clerici poſſunt coram Laicâ perſonâ conveniri, Ergo Immunitas Clericorum non eſt Juris divini, præſertim ſi hoc ex determinatione vel delegatione Summi Pontificis, Chriſti in terris Vicarij fiat. Vt exemplum habemus in caſu feudi, ad Eccleſiam, vel perſonam Eccleſiaſticam pertinentis, tunc enim tam in realibus, quàm perſonalibus actionibus coram Domino feudi, tametſi is Laicus ſit, vel Paribus Curiæ, Eccleſia, & Eccleſiaſtica perſona convenietur. *Extra. toto tit. de feudis.* & quæ notantur *in c. cæterum de judicijs. & c. ex transmiſſa. de foro competenti.* Sane *Cenedo in ſuis Collectaneis ad Ius Canon. collectan. 37. ad decretum. teſte Cavallos communium contra communes. q. 540.* viginti caſus refert, in quibus Clericus etiam in Sacris conſtitutus, aliquando civiliter, aliquando criminaliter coram Judice Laico convenitur. Vide eundem *Cavallos. q. 599. à num. 593.* ad propoſitam materiam aliquot caſus allegantem.

45. Ex eo autem, quod cauſæ eccleſiaſticæ demandari Laicis à pontifice poſſint, nihil ex propoſito argumento quinto ab adverſarijs contra nos infertur, eatenus enim Juris divini hanc Exemptionem eſſe diximus, quatenus Clericorum cauſas Laici etiam Imperatores propriâ authoritate expedire nequeant,

ant, non quatenus non possint jussu, mandato, vel authoritate, & ut instrumenta, ac Ministri Summi Pontificis exequi. Vide quæ notantur *in. c. cum devotissimam. 32. q. 2. gloss. in c. præter. 32. c. bene quidem. verbo. Laico. distinct. 96.* Et quæ fusè notat *Decianus in tract. crimin. lib. 4. c. 9. à num. 66.* & Canonistæ communiter. *in c. decernimus. de judicijs.*

46. Quantum ad sextum argumentum attinet: Respondeo, illam concessionem ab Imperatoribus, alijsque principibus Laicis factam Ecclesijs, & Ecclesiasticis personis, solùm esse de facto, & non de Jure, quasi hæc concessio ab illorum Jure & facultate in produci, & conservari dependeret, dicimusque per illam detectum potiùs esse id, quod jam pridem Clericis de jure divino competebat, quàm aliquid de novo indultum, tametsi de facto per Tyrannidem, & pravam consuetudinem hucusque quasi consepulta, ac obruta jaceret Immunitas. Non minus tamen verum erat, eam jam tunc Juris divini esse, cum nullum hominis factum prævalere Juri divino, utpote superiori, possit; ut adeo solùm consensisse in id Principes per ejusmodi concessiones dicendi sint, atque illius Exemptionis exercitium suo etiam Jure imperâsse, quod jam pridem antè à Deo concessum, ac constitutum erat.

47. Sicut in simili approbat Pontifex decimas, quas à se priùs injustè possessas Laici Ecclesijs, & Ecclesiasticis donaverunt, licet de Jure potestatem donandi non haberent, cum à Laicis decimæ possideri non possint, per ea, quæ notantur. *in. c. prohibemus. & c. dudum. de decimis.* Vide ad hanc nostram Responsionem *Tamburinum. cit. tom. 1. de jure Abb. disput 15. q 19. n. 16. Rotam cit. decis. & loco. Suarez ad Regem Angliæ lib. 4. de Immunit. Eccles. c. 6. n 4. & c. 21. n. 3. et. 8.*

48. Ad ultimum respondetur: probabilissimè dici posse, tam de Jure divino naturali, quam positivo, quàm etiam, & quidem

quidem vel maximè, & quasi indubitanter de Jure divino ita per Ecclesiam definito & explicato, esse Clericos à Jurisdictione sæculari immunes.

49. Quod ut plenius intelligatur, sciendum est, quod communiter Jus divinum distinguatur à Theologis in Jus divinum naturale, scriptum, traditum, & definitum. *teste Thom. del bene. in suo tractat. de Immunit. Eccles. c. 1. dub. 2. sect. 1. num. 54.* Jus divinum naturale illud est, cujus præcepta ab ipsa naturâ Deus nobis inseruit, velut est, Deum colere, eidem obedire, honestè vivere, neminem lædere, Jus suum cuique tribuere. &c. Jus divinum scriptum est, quod vel veteri, vel novo Testamento continetur. Traditum, quod velut per manus Apostolorum à Christo acceptum, revelatum, vel commendatum habemus. Definitum, vel explicatum, quod Summus Pontifex, Christi in terra Vicarius suâ sententiâ, vel per sacros Canones pro divino accipiendum legitimè declaravit. Et ad hoc allegat *citatus Thom. del bene. dicto loc. Turrecrematam in c. cum ad verum. n. 4. dist. 96. Alvarez de planctu Ecclesiæ, lib. 1. c. 56. & communiter Scholasticos. in materia de fide.*

50. Quantum igitur ad primum membrum attinet, satis constat ex ijs, quæ superius passim. *c 1. & 2.* præsertim *n. 18.* tradidimus, Immunitatem Eccles. esse juris naturalis divini, non quidem quo ad casus individuales, sive, quod idem est, quantum ad applicationem & executionem ejusdem Immunitatis in individuo vel particulari, quando eodem *cit c. 2. n. 25.* liberè fatemur, quo ad modum exequendi, vel applicandi in individuo, vel particulari, eandem tantum esse juris positivi Ecclesiastici. Et constat infinitis quasi locis, qui ex *Gratiani Decreto, Decretalibus, Sexto,* & *alijs Epistolis, ac Bullis Pontificijs extravagantibus* ad hoc probandum luculenter proferri possent, nisi per se res manifesta foret, ex quibus omnibus evidenter patet,

 appli-

applicationem & executionem hujus Immunitatis de Jure naturali divino secundum Theses suas generales Clericis competentis, quantum ad casus specificos, & particularia, merè juris positivi Ecclesiastici esse.

Neque mirum videri debet, hanc Immunitatem secundum Theses suas, & positiones generales juris quidem divini esse, in individuo verò, sive quantum ad determinationem casuum particularium, juri positivo subijci. Quis enim nescit matrimonium, utpote Sacramentum, divini juris esse, sicut & SS. ordines, extremam unctionem, pœnitentiam. &c. item Deum colere, non occidere, neminem lædere, & alia quamplurima, & tamen, quam multa sunt quæ tum, quantum ad Sacramenta in specie & particulari validè & licitè participanda, Ecclesia determinavit ac sanxit, tum ad alia de jure naturali divino præcepta declaravit, & quid in particulari observandum esset, definivit, ut vel obiter in Theologia & Jure Canonico versatis obviàm exempla sunt.

51. Eandem verò Immunitatem in se, & secundum Theses suas universales, sive in genere, & in quantum abstrahit à casibus particularibus, atque applicatione ad individua, quoque dici posse Juris divini positivi esse, etiam ut distinguitur contra Jus divinum traditum, definitum, & explicatum à Successoribus Petri, & Vicarijs Christi, satis probari posse putamus ex textibus suprà ex veteri, & novo Testamento *Matthæi* 17. *capite* allegatis, jam enim explicavimus, quatenus tradita in veteri Testamento post mortem Christi cessare intelligenda sint, & sufficere deberet pro nostrâ hac Sententiâ authoritas eorum, quæ ex *cap. 17. Matth.* adduximus. Nam licet illa à neothericis, & aliquibus antiquis, etiam aliam interpretationem accipiant, quia tamen à duobus præcipuis Ecclesiæ Doctoribus, Augustino & Hieronymo, ad mentem nostræ opinionis

nionis sumpta, exposita, ac intellecta sunt, quorum Authoritas toties ab Ecclesia, & quidem in specie quo ad hunc sensum, & interpretationem comprobata est, sicut patet luculenter ex ijs, quæ ex *Trident. Sess.25. c.20. ex Concil. Lateran. sub Leone* 10. *Sess.6. c. quanquam. de censib. in 6. suprà* allegavimus, alijsque locis à *Thom. del bene. cit. c.1. dub.2 sect.1. n.20.* adductis, sane ex infallibili regula veritatis Christi: in ore duorum horum, tantorum Patrum, ac Ecclesiæ Doctorum, verbum nostræ opinionis de Immunitate Clericis de jure etiam divino positivo competente stare omnino debere arbitramur.

52. Quod autem hæc eadem Immunitas Clericis de Jure divino tradito definito, ac ita per Ecclesiam explicato competat, non videtur esse ambigendum, nisi quis verba Conciliorum, & SS. Canonum cavillari contumaciter velit, cum ex citatis modo locis & textibus ad oculum pateat, Immunitatem Ecclesiast. non tantùm jure humano, sed & divino constitutam esse, atque hoc Concilia generalia definiverint, & Summi Pontifices non semel rescripserint.

53. Deinde, cum tam Theologi, quàm Canonistæ communiter teneant, Residentiam in beneficijs curatis juris esse divini, per ea quæ tradit *Leyman. lib.4. tract.2. c.6. n.3.* & nos fusè docuimus *in materia & titulo de Clericis non resident.* quis tamen interim nescit, quot limitationes residentia personalis de jure divino præcepta, quantùm ad casus particulares à SS. Canonibus, & Sede Apostolica accipiat? ut passim in Tridentino & jure Canonico exempla palàm sunt, præsertim si verum est, quod putat *Navarrus*, dum sentit *in consi.2. edit. nova, de Cleric. non resident.* quantum ad casus, & locos particulares consuetudine immemoriali introduci posse, ut etiam in curatis beneficijs rector Ecclesiæ curam animarum per alium exerceat.

54. Cæterum quia teste *Thoma del bene de Immunit Eccles. tom.1.c.1.sect.2.n.)* contrariæ opinionis Authores ipsi fatentur: Immunitatem hanc originaliter, mediatè, causaliter, fundamentaliter, inchoativè, incompletè, ut quidem ipsi loquuntur, dici posse, & debere Juris esse divini, non autem immediatè, proximè, & completè, quatenus scilicet supposito Jure divino naturali dictante, vel suadente, suppositavé ordinatione Christi convenientissimum fuerit, imo fortè necessarium, ut Lege Ecclesiastica hæc Immunitas introduceretur. Videtur propè quæstio esse de nomine, & in re convenire Doctores. Quando neque nos statuimus aliter Juris esse divini, nisi quantùm ad Theses suas generales, abstractivè, & in se consideratam, non autem quantùm ad applicationem in casibus particularibus, & ejus executionem in specie vel individuo, quàm, ut sic spectatam, neque volumus, neque possumus negare Juris solùm positivi Ecclesiastici esse, adeoque cum adversarijs in re convenire videamur. Negamus autem propterea, absolutè contrariæ Sententiæ Authores inficiari posse, hanc nostram Immunitatem juris esse divini: sicut multa alia, quæ indubitanter juris divini sunt, non propterea statim desinunt juris divini esse, quod in particulari, quo ad casus speciales & individuos, Ecclesia circa illos statuat, definiatque, quid in particulari hîc & nunc servandum sit: ut ex allegatis paulò superiùs exemplis, alijsque innumeris facilè deprehendi potest. Manet itaque inconcussum, Immunitatem Ecclesiasticam nostro modo explicatam, & sumptam, verè & propriè juris divini esse.

55. Quantum ad objectiones attinet, & quidem primam in contrarium adductam, scilicet, quod caracter Clericalis nihil inferat aliud, quam ejusmodi hominem in sortem Domini missum, mancipatum esse cultui divino, neque hoc impedire subje-

ſubjectionem principibus ſæcularibus debitam, nam totum aſſumptum abſolutè negamus.

56. Ad confirmationem primam dicimus, nihil inde convinci, tametſi Clerici in primitiva Eccleſia ſæcularium juriſdictioni fuerint ſubjecti, id enim totum facto adſcribendum eſt, non juri, ſicut & Leges civiles, quidquid de ejuſmodi ſubjectione præſcribunt, & ſanciunt, nullius roboris ſunt, utpote ſtatuentes circa eas perſonas, res, & loca, quæ toto genere juriſdictionis aliena, & exempta ab eorum foro ſunt, per ea, quæ notantur *in c. Eccleſia S. Mariæ. de Conſtit.* ſicut neque hodie, tametſi Clerici de facto cogantur alicubi parere juriſdictioni Laicorum, deſinunt eſſe de jure exempti, & immunes ab eorum foro, & imperio, quandoquidem ea, quæ de facto fiunt, non tollunt ea, quæ juris ſunt, ſed violant.

57. Quantum ad confirmationem ſecundam objectionis ſuperius obtentæ: quod immunitas Eccleſiaſtica variabilis ſit, ergo juris divini naturalis eſſe non poſſit. Reſpondeo, totam variationem ſolam eſſe, & conſiſtere circa ejus executionem, & quantùm ad caſus particulares, & in individuo, non autem, quantùm ad theſin ſuam generalem. Sicut non occidere quo ad theſin ſuam generalem juris divini invariabilis eſt, licet quo ad caſus particulares certos, & ob certas circumſtantias in eo variatio contingat: cùm occidere liceat in bello juſto, & occidere permiſſum ſit magiſtratui male delinquentes ob crimen capitale, propterea enim, ut Paulus loquitur, gladium gerit, atque id privato etiam conceſſum ſit, modo cum moderamine inculpatæ tutelæ fiat: conſequenter nihil contra nos pugnant, quæ ſuperiùs objecta ſunt.

58. Addo auctarij loco ad hanc difficultatem, num ſcilicet hæc Exemptio Juris divini ſit, ea quæ notat *Cardin Tuſchus in ſuis concluſ. practicis, littera I. concluſ. 59. n. 2.* Et nota ſingulariter,

Practi-

Practicam Papiensem, cujus auctor de hac Immunitate malè in contrarium sentiebat, fuisse inter libros de fide suspectos declaratam à Romana Ecclesia, contra quem, & Judices sæculares Franciæ, illam infringere conantes, invehitur *Rebuffus ad constitutiones regias. Titulo de Immunit. Ecclesiarum. n. 33.*

CAPUT III.

An hæc Immunitas tolli ex toto, vel minui saltem à Summo Pontifice possit.

SUMMARIUM.

Covarruvias cum non paucis contendit Immunitatem Ecclesiast. solùm esse Iuris positivi n. 1.

Quæ à Summis Pontificibus statuta sunt, ab iisdem possunt tolli & mutari. n. 2.

Supposito ex nostrâ Sententia, Immunitatem esse Iuris divini; quod minui à Pontifice non possit, ratio dubitandi prima est, quia quæ Iuris divini sunt, excedunt potestatem Pontificis. n. 3.

Secunda: quia Papa suam potestatem à Deo accepit iu ædificationem non in destructionem. 4.

Tertia: quia talis imminutio vergeret in præjudicium Ordinis Clericalis. 5.

Quarta: quia decet beneficium principis esse mansurum. n. 6.

Quinta: quia nunquam honesta ratio & efficax emergere potest, quæ suadeat imminutionem Immunitatis concessam Clericis. n. 7.

Pontifex etsi totam Immunitatem tollere absolutè nequeat, potest tamen ex causis valdè urgentibus quo ad certas personas, vel loca eam minuere. n. 8.

Ratio prima partis nostræ conclusionis. n. 9.

Pontifex potest ex causa justâ in aliquo casu particulari in Lege divinâ dispensare. n. 10.

Eodem modo potest inferior in Lege sui superioris dispensare. n. 11.

Ratio secunda partis nostræ conclusionis. n. 12.

Olim, hodieq; aliquot regibus certa causa, & persona Ecclesiastica ex privilegio Sedis Apostolicæ subjecta fuerunt. n. 13.

Laici

1.

HÆc quæstio apud eos, qui pervicaciter contendunt, etsi contra expressos textus Juris & Conciliorum, inter quos *Covarruvias* cum non paucis ex Hispaniâ est, Immunitatem Ecclesiasticam solùm Juris positivi esse, liberalitate Imperatorum, aut SS. Pontificum sanctione introductam, difficultatem non patitur. Cùm enim noti Juris sit, ea, quæ statuta sunt à SS. Pontificibus, per se & absolutè, ab ijsdem posse mutari, abrogaríve, cum sola voluntate statuentis fulciantur. §. *constat autem.* ibi: *principum placita. institut. lib. 1. tit. 2.* non erit in illorum sententiâ ambigendum, ab ijsdem etiam Pontificibus, eorumque Successoribus, tolli, quæ sancita sunt, & mutari posse.

2. Sicut passim occurrunt in SS. Canonibus exempla, ex quibus patet, multa, quæ olim statuta sunt, successu temporis immutata fuisse. Sed quia secundum nostram opinionem, quæ & communis est, juri magis consentanea, & verior, modo, quâ fusè suprà *c. 2.* tradidimus, Immunitas Ecclesiastica Juris divini est, non immeritò controvertitur, an à Summo Pontifice tolli vel minui possit.

3. Et ratio dubitandi est primò: quia in ijs, quæ Juris di-

vini sunt, Pontifex non habet liberam mutandi potestatem, utpote cum ea superioris ordinis sint, & ultra suæ Jurisdictionis limites, atque activitatis sphæram, eo ipso enim, quia Juris divini sunt, Dei solius potestati & jurisdictioni subsunt, cui parere habent omnes, nemo imperare, vel sancita convellere, per ea, quæ notantur *in. c. sunt quidam. 25. q. 1. c. statuta. ibidem. c. litteras. & ibi Abbas. de restitut. spoliat.*

4. Secundò: quia Papa suam potestatem accepit in ædificationem, non destructionem.

5. Tertiò: quia illud vergeret in grave præjudicium Ordinis Clericalis.

6. Quartò: si beneficium à principe concessum docet esse mansurum, ut ipse Pontifex *in regulis Iuris in. 6.* definivit, quanto magis id decebit Pontificem. *argum. L. digna vox. Cod. de legibus.*

7. Quintò: quia non videtur ratio aliqua urgens & honesta assignari posse, cur ad ejusmodi imminutionem Immunitatis Ecclesiasticæ, vel omnimodam derogationem ejusdem procedat.

8. His tamen rationibus dubitandi non obstantibus, Dico: tametsi Summus Pontifex ex toto, & simpliciter Immunitatem tollere Ecclesiasticam non valeat, posse tamen eandem ex causis valdè urgentibus, & honestis, quo ad certas personas, vel loca, minuere, & immutare.

9. Ratio primæ partis est, quia, ut vidimus, secundum theses suas generales, & considerata Immunitas absolutè, pro ut abstrahit ab individuis, & particularibus personis, locis, & temporibus, Juris divini est, ergo abrogari à Pontifice, tanquam inferiore non potest. Tenetur enim usque ad animam, & sanguinem Legem divinam defendere, ut dicitur *cit. c. Sunt quidam.*

10. De-

10. Deinde licet concedamus, in aliquo casu particulari, ex causa justâ Pontificem posse dispensare in Lege divinâ, sicut multi tenent allegati à *Barbosa. in tract. Iur. universi Eccles. lib.* 1. *c.* 2. *num.* 120. & maximè *Sanchez. in decem præcepta Decalogi. tom.* 1. *lib.* 4. *c.* 37. *à num.* 5. & *de matrim. lib.* 8. *disput.* 6. absolutè tamen, sive quo ad theses suas generales, quæ Dei voluntate & præcepto taliter in genere statuta sunt. v. g. Decem Decalogi præcepta, nunquam potest ratio honesta emergere, propter quam ea tollantur, quæ sic de jure divino sancita sunt: cùm quantùm ad ea, quæ taliter de jure divino statuta sunt, voluntas divina sit immutabilis, & semper rationabilissimè, & intrinsecè justa, quod dici non posset, si quæ sic juris divini sunt, immutari abrogando à Pontifice valerent. Sicut suprà exemplum posuimus in præcepto Legis divinæ de non occidendo, quod absolutè, & secundum hanc suam thesin generalem, nulla potestas creata infringere vel immutare potest, etsi quo ad casus particulares determinare, & declarare possit, hic & nunc non obligare, ut contingit in casu justæ defensionis cum moderamine inculpatæ tutelæ: & ita tenet etiam *S. Thom.* 2*da* 2*dæ. q.* 88. *art.* 10.

11. Et tametsi non negemus, in aliquo casu particulari inferiorem dispensare in Lege Superioris sui ex justa causâ posse, sicut cum communi tenet *Barbos. de pot. Episc. p.* 2. *alleg.* 34. & *citato supra libro* 1. *c.* 2. *num.* 110. nullus tamen propterea statim bene intulerit, inferiorem superioris Legem etiam in genere, absolutè, & quo ad totam definitionem suam generalem impune abrogare posse, eo ipso quia causa dispensandi justa, ex quâ in casibus particularibus id illi inconcessum non esse diximus, eum quo ad ea, quæ juris divini, quo ad thesin & positionem suam generalem sunt, semper deficit: & quia Deus omniscius est, prævidit ab æterno, simul ac aliquid statuit,

nunquam de novo emersuram esse causam ac rationem, ex quâ illa, quæ ordinavit absolutè, abrogari possint ac debeant ab humano Legislatore. Sicut bene argumentatur *Barbos. cit. loc. & Suarez apud Sancium, allegato lib. 4. c. 37. n. 15.*

12. Quod autem Pontifex immunitatem quo ad certas personas, in particulari loco, & tempore imminuere possit, videtur ex nostra Sententiâ necessariò esse consequens, quia suprà conclusimus, quantum ad executionem, & casus individuos, ac particulares personas, dictam Immunitatem esse Juris positivi & Ecclesiastici, præsertim cùm & experientia constet.

13. Aliquot olim regibus, sicut hodieque regi Galliæ, certas causas Ecclesiasticas, & personas, ob causas urgentissimas, commune bonum, vel totius Reipublicæ Christianæ, aut certi alicujus Regni vel Provinciæ concernentes, ex Privilegio, & Authoritate Pontificis subjectas fuisse.

Et consequenter hanc in Clericos jurisdictionem ex potestate ipsis à Pontifice delegatâ solummodò exercuisse, atque etiam nunc aliquos exercere, cum ejusmodi delegationis, sive concessionis Laici incapaces non sint. teste *Glossa. in. c. valdè. distinct.* 49. plures citati *à Thoma del bene. allegato c. 1. dub. 2. sect. 3. n. 5. de immunit. Eccles.*

14. Et videtur Pontifex Authoritate Christi in hoc se tueri posse, qui tametsi filius Dei foret, & consequenter immunis à tributo, tamen ad vitandum Scandalum, illud Petrum pro seipso quoque pendere voluit. sæpè. *cit. c. Matthæi 17.* Et propterea ad vitanda gravissima Scandala videntur multa Principibus concessa à Sede Apostolica, quæ si illa abforent, absolutè nunquam fuissent concedenda, argumento illorum quæ docet *S. Thom. 2. 2. q. 43. art. 7. & 8.* quem vide.

15. Consequenter intelligis, nihil stringere primam dubitandi rationem, inde mutuatam, quod inferior Legi Superioris

ris derogare non possit, quia, ut vidimus, quatenus hæc Immunitas juris divini est, scilicet secundum positiones suas generales, se Pontifex non intromittit, sed solùm, ut dixi, quantum ad casus & causas particulares, qui, utpote solam executionem, & juris divini applicationem ad individua concernentes, quam juris positivi Ecclesiastici esse probavimus, non possunt non subjacere Pontificis dispositioni.

16. Sicut neque altera dubitandi Ratio, quatenus Pontifex potestatem accepisse dicitur in ædificationem, non in destructionem, aliquid in proposito urget. Cum enim id solùm posse ex causis urgentissimis, & ad evitanda Scandala, ac tantùm quo ad particularia Doctores statuant, nihil hic destruit Pontifex, imò destructurus, nisi sic ædificaret: cum enim ex causa rationabili, honesta, & urgente Pontifex secundum communem sententiam Doctorum in Lege divina dispensare quo ad casus particulares possit, per citatos *à Thoma del bene.* ubi suprà. *num. 6.* & quos antè ex *Barbosa, & Sanchez* allegavimus, destruere tunc dici non poterit, in eo quod rationabiliter facit.

17. Quantum ad tertium, absolutè negamus: factam ejusmodi imminutionem immunitatis solummodò quantùm ad certas personas particulares, vergere in grave præjudicium Ordinis Ecclesiastici: etsi enim negari non possit, personis illis particularibus grave forsan, ac onerosum esse, subijci sæcularibus, Ordo tamen Ecclesiasticus absolutè per se immunis est, & liber manet, facitque urgentia causæ, ac necessitas, & evitatio Scandali, ut ratio haberi hujus in particulari gravaminis singulorum, nec possit, nec debeat. Et licet ejusmodi particulares haud dubiè sint de communitate Ordinis Ecclesiastici, ac ejus membra, illi tamen ipsa communitas non sunt, nec eandem, ut pars, & membra singularia, repræsentant.

tant. Sicut quod uni vel alteri civi factum in particulari est, non illico imputari toti communitati civitatis potest, per ea, quæ notant Interpretes. *Instit. de rerum divis.* §. *Universitatis.*

18. Quartum argumentum ex *regul. Iur. in 6to* petitum, propterea minus efficax est, eò quod ea imminutio libertatis, sive Immunitatis, quæ paucos aliquos in particulari concernit, fiat ex causis urgentissimis, ergo sicut jus tertio quæsitum, ex ejusmodi urgentiâ causarum princeps alteri potest tollere, ut communiter statuunt *D. D. nostri cum gloss.* 1. *in c. cognoscentes. de constitut.* & patet experientia. v. g. cum ob incursum hostium valli ducendi sunt, civitas munienda, certè invitis particularibus, cum eorum præjudicio devenitur ad demolitionem domuum & hortorum: ita multò magis id poterit Pontifex ex causis rationabilibus, & valdè urgentibus, utpote qui suam potestatem immediatè à Deo habet, cujus voluntatis in hoc ob causas dictas executor, & interpres est.

19. Quantum ad quintam in contrarium allatam rationem attinet, jam satis ex hucusque dictis constat, plures evenire causas, easque urgentissimas posse, cur Pontifex, quantum ad particulares quasdam personas, & loca, ex parte contra Immunitatem veniat, subijciendo certas personas Ecclesiasticas, bona, vel actiones sæcularibus.

20. Neque necesse videtur, afferre exempla, quandoquidem ea obvia sunt, & sæpenumero merentur principes egregiam operam contra hæreticos, paganos, ac schismaticos Ecclesiæ navando, ut in compensationem præstitæ tam eximiæ operæ, aliqua bona Ecclesiastica, personas, vel loca Pontifex ad tempus subijciat eorum jurisdictioni, ut communiter asserunt, quantum ad privilegia Regi Galliæ à Sede Apostolica in remunerationem operæ eidem Sedi fideliter præstitæ indulta. Et scimus nostrô quoque ævô Maximilianum Electorem, & Ducem

Ducem Bavariæ à Summo Pontifice Vrbano VIII. obtinuiſſe uſumfructum, & reditus monaſteriorum Palatinatûs ſuperioris in remunerationem, ob debellatam ibidem locorum feliciter Hæreſin Lutheranam.

Diſputatio II.

DE DIVISIONE IMMVNITATIS ECCLESIASTICÆ.

CAPUT PRIMVM.

De Immunitate perſonali, & quibus ea competat.

SVMMARIVM.

Dividitur Immunitas Eccleſiaſt. in perſonalem, realem, & localem ex communi D.D. opinione. n.1.

Definitio Immunitatis perſonalis, quæ ſit, & ejus explicatio. eod. num.1.

Non tantùm Clerici propriè & ſtrictè tales gaudent hac Immunitate, ſed etiam alij, qui nomine perſonarum Eccleſiaſt. cenſentur: ut Religioſi, Monachi, Moniales, Converſi, in approbata religione viventes, & probabiliter etiam novitij. n.2.

Eremitæ non Religioſi, mulieres devotariæ, quia in approbata Religione non degunt, hac Immunitate perſonali non gaudent. n.3.

Tertiarij, viri & fœminæ ex ſpeciali privilegio hujus Immunitatis capaces fiunt. n.4.

Qui nam oblati, quorum 4. ſpecies recenſet Barbos. allegato loco, gaudeant

deant hoc privilegio Immunitatis. n.8.

Respondetur ad textus in contrarium allegari solitos n.6.

Milites *Religiosi & Professi, imò probabiliter etiam eorum Novitij, maximè si regulariter vivant, fruuntur fori privilegio. n.7.*

Famuli perpetui, sive mancipia Clericorum eâdem immunitate, quo ad privilegium fori gaudent, quâ Clerici. n. 8.

Episcoporum familiares, maximè Notarij, tam in Civilibus quam Criminalibus eodem fori privilegio præditi sunt, quo & Episcopi. n.9.

Idem asserit de familiaribus Vicarij Episcopi Diana. eod. num.

Familiares Clericorum utuntur eodem fori privilegio, quotiescunque non possent Clerici commodè uti suo privilegio, nisi quo ad hoc includatur familia, vel impedirentur aliàs ab illorum servitij usu, si extra forum ipsorum traherentur: & tenet Marant. indifferenter famulos Clericorum gaudere privilegio fori, sicut ipsi Clerici. n.10.

Communiter tamen in praxi tenetur, extra prædictos casus, familiam & Servitores Clericorum Laicos eodem fori privilegio cum Clericis non frui. n.11.

Quotuplex sit familiaritas, & quid nomine familiæ veniat vide remissivè Baldum. n.12.

Concubinæ peccantes cum Clericis, eidem foro & Iudicio subijciuntur, cui Clericus complex subjectus est. n.13.

Irruentes apparitores in domos Parochorum extracturi suspectas mulieres, sunt ipso facto excommunicati. n.14.

Ex aliquorum Sententia domus Parochorum, aliarumq; personarum Ecclesiast. existentes intra 30. passus ad Ecclesiam, etiam à Laicis habitatæ immunitate Ecclesiastica gaudent. n.15.

Clericatus est facti, & probari debet ab eo, qui vult privilegio fori gaudere: & præsumitur saltem talis, si clericaliter vestitus incedat. n.16.

Quæ requirantur vi Concil. Trid. ut Clericus gaudeat privilegio fori. n.17.

Quod diximus præsumi ex deportatione habitûs Clericum, ad obtinendum privilegium fori, limitatur, illud non procedere, quantum ad obtinendum beneficium, ubi Clericatus debet ad hoc plenè probari. n.18.

Episcopus cognoscere debet in dubio, an aliquis sit Clericus. 19.

Clericatus quomodo, & quot modis probetur, remissivè per Mescardum. 20.

Quan-

Quando Clericatus probetur per unum teſtem. n. 21.
Stans in poſſeſſione beneficij quietâ per triennium continuum, defendendus eſt etiam in petitorio. vide limitationes, ibidem 22.

I.

SUppoſitâ communi Sententiâ Doctorum hanc materiam tractantium, Immunitatem à nobis ſuperiùs definitam dividi tripliciter ſolitam in Perſonalem, Realem, & Localem, auſpicaturi hoc caput ſecundum, dicimus, Immunitatem perſonalem eſſe quodcunque jus, quô perſonæ Eccleſiaſticæ, favore ſuæ conditionis, ac ſtatûs, à communi Laicorum onere, ſubjectione, ac obligatione eximuntur, alijsque prærogativis perſonam ſuam principaliter concernentibus, tam ſecundum ſanctiones Civiles, quàm Canonicas donantur.

Dixi primò: quodcunque Jus, ut includerem tam Jus divinum & naturale, quàm Canonicum & Civile, quo perſonæ Eccleſiaſticæ exemptæ eſſe dignoſcuntur, cum illorum Immunitas non ab uno Jure ſua incunabula deducat, ut vidimus.

Dixi ſecundò: favore ſuæ conditionis, ac ſtatûs, ut diſtingueremus ab illa Immunitate, quàm ipſæ non ſuarum perſonarum conditioni imputare poſſunt, ſed quæ ab extrinſeco eaſdem afficit, velut eſt illa aſylorum Immunitas, favore Eccleſiarum reis ad eam confugientibus conceſſa, de quâ in penultima diſputatione tractandum erit.

Dixi ultimò: alijsque prærogativis, ut non tantum loqui velle videremur de Exemptione, quâ Clerici tam de Jure divino quàm poſitivo à communi onere, ſubjectione, ac obligatione Laicorum immunes ſunt, ſed de quovis etiam favore, juris remiſſione, ac privilegio Clericis in communi conceſſo.

2. Nomine autem perſonarum Eccleſiaſticarum, quibus hæc perſonalis Immunitas de jure conceſſa eſt, non tantum

Clericos propriè & strictè tales, de quibus *Barbos. in suo tract. jur. Univers. Eccles. lib. 1. c. 39. & de appell. 51.* satis fusè agit, complectimur, sed quascunque etiam personas, quæ Ecclesiasticarum personarum nomine comprehenduntur. Veluti sunt Monachi, alijque Religiosi. Sumus enim hic in materia favorabili per ea, quæ not. *Felin. in c. licet. versiculo. dum tangitur. de officio ordinarij. & in c. non dubium. de sent. excom. Sylvester. verbo. Clericus. Cardin. Tuschus. littera C. conclus. 377 Barbos. cit. appell 51.* Et ratio est: quia Religiosi, etiam Conversi, subjecti sunt jurisdictioni Ecclesiasticæ, & opponuntur Laicis & Sæcularibus, per ea quæ, notantur in titulo, de *Regularibus* & notant Interpretes *in titulo. ne Clerici vel Monachi. &c.* constatque ex ijs, quæ scribunt communiter Doctores ad Canonem. *Si quis suadente. 17. q. 4.* quos fusè allegat *Barbos. dicto tract. jur. Univers. Ecclesiast. lib. 1. c. 39. §. 1.* ubi hâc Immunitate etiam Moniales in approbatâ Religione viventes, sicut & Novitios gaudere cum citatis à se Doctoribus concludit. Vide etiam, quæ idem *Barbos. in c. religioso. § fin. de sent. Excom. in 6.* notat. & quæ fusè *de offic. & pot. Episc. p. 2. alleg. 12.* ad præsentem materiam accumulat. Ubi præterquam, quod de hoc privilegio Canonis attestetur, etiam fori immunitate Novitios gaudere ibidem asserit. Idem tenet *etiam Sayrus in floribus decisionum lib. 2. titulo 2. decis. 3. Tamburinus de jure Abbatissarum. disput. 17. dub. 6. Cavallos communium contra communes q. 897. num. 1026.* Et quod Novitius ad fruendum hoc privilegio pro personâ Ecclesiastica reputetur, in terminis docet *Decianus in suo tractatu criminali. lib. 4. cap. 9. num. 24.*

Post Clericos igitur, Religiosos, & Moniales, eorumque Conversos, ac Novitios utriusque sexus respectivè, hâc immunitate Fori gaudere, per citatos Doctores extra controversiam est, & tenet etiam. *Diana. p. 3. tract. 1. de immunit. res. 35.* per bonum

num *tex. in c. indemnitatibus.* §. *ſupradicta, de elect. in.* 6. Et quia ex communi regula juris, incluſio unius, eſt excluſio alterius, & conceſſum privilegium fori regularibus ſub neceſſariâ conditione profeſſionis, vel religioſi tyrocinij in approbatâ per Sedem Apoſtolicam religionem duntaxat eſt:

3. Sequitur evidenter Eremitas non religioſos, vel devotarias, ut vocant, mulieres ſcilicet, quæ devotionis cauſa ſe in domibus privatis recludunt, quo liberiùs Deo, & orationibus vacent, aliasque ſimiles perſonas nulli approbatæ religioni addictas fori privilegio non gaudere: & ratio, quæ ex dictis eruitur, eſt, quia quotquot textus reperire eſt, qui de perſonis religioſis fori privilegio gaudentibus loquuntur, ſemper in ſpecie Monachorum, vel monialium, aut converſorum mentionem faciunt, per *c. non dubium. c. ex tenore. c. de monialibus. extra. de ſent. excomm.*

4. Si qui alij non religioſi propriè, hoc privilegio gaudere dignoſcuntur, ſicut tenet de Tertiarijs *Leyman lib.* 5. *tract.* 5. *p.* 2. *c.* 5. *n.* 4. *Barboſ. in ſuo tract. jur. univerſ. Eccleſ. c.* 29. §. 2. *n.* 41. illud ſpeciali privilegio, ſive indulto adſcribendum erit. Sicut de hujuſmodi conſtitutione à Leone decimo in favorem Tertiariorum evulgatâ teſtatur *Quaranta. in Sum. Bullar. verbo. privilegia regular.* Et quæ notat *Novar. in Lucernâ regularium. verbo Tertiarij. Tamburin. de jure Abbatiſſ. diſp.* 7. *q.* 3. *& diſput.* 17. *q. ultim. Em. Rodriq. qq. regul. tom.* 2. *q.* 65. *art.* 4. plures citati à ſæpè nominato *Barboſ. de off. & pot. Epiſc. p.* 2. *allegat.* 12. *n.* 41. *& dicto.* §. 2. *lib.* 1. *c.* 39. *n.* 41. *in ſuo tract. jur. univ. Eccleſ.*

5. Circa oblatos, quorum quatuor ſpecies refert *Barboſ. citatô modò. c.* 39. §. 2. *num.* 44. & quæ de ijſdem notat *Abbas conſil. p.* 2. *conſ.* 102. *Boërius deciſ.* 20. *Novarius in Lucern. regul. verbo. oblati.* etſi multùm altercentur Doctores, breviter nos expedimus, ſecuti deciſionem Cardinalium Concilij Trident. inter-

pretum, qui volunt, ut eandem decisionem allegat. *Barbos. dict. §.2. c.39. n.44.* tunc demum in numerum personarum Ecclesiasticarum, ad hoc ut privilegio fori gaudeant, venturos, si perpetuò, & irrevocabiliter, plenè, & cum effectu seipsos, & sua omnia, præsentia & futura, nullo sibi, neque in usum fructum, neque in proprietatem reservato, religioni obtulerint, & habitum aliqualiter mutârint.

6. Hâc Sententiâ, & decisione Cardinalium, (quâ & standum est,) servatâ, haud difficile est, ad textus in contrarium allegari solitos, respondere. Et quantum ad primum *ex c. ut privilegia. vers. Suos. de privil.* dicimus ex eò solum evinci, quod semiplenè tantum oblati, de quibus ibi fit mentio, admittantur quidem ad communicandum in privilegio Ecclesiasticæ sepulturæ tempore interdicti, nullatenus tamen, ut plenè cum professis, quorum Monasterijs offeruntur, fori privilegio potiantur.

Sicut nec alter textus. *in c. per exemptionem. de privileg. in 6. & Clem. 1. de decim. in fin.* ubi oblati & conversi æquiparantur, adversum nos militat, exaudimus enim illam textus comparationem procedere inter conversos, & oblatos plenè, qui se scilicet, & omnia sua Monasterio in perpetuum tradiderunt, ad illud totaliter se transferentes, sicut ex *eod. c. per exemptionem. & cit. Clement.* eruitur, notaturque in *c. cum & plantare. §. de confrat. tit. de privil.* vide plures allegatos apud *Barbos. dict. §.2. c.39. n.44.* & quæ notat *Capella Tolosana. decis. 8.*

7. Milites professos, & probabiliter etiam eorum Novitios. v.g. S. Jacobi, Alcantaræ, Calatravæ, S. Stephani, & similes, stante præsertim constitutione Alexandri III. cujus mentionem facit *dict. l. Barbos. n.46.* cum sint suo modo religiosi, approbatam religionem profitentes, ab hoc fori privilegio, maximè si regulariter vivant, non excludimus. & ita

tenet

tenet etiam *Cavall. de cognit. per viam violen. p.2. q.149. Diana. p.3. tract.1. de Immunit. reſol.* 61. *& p.4. tract.1. eod. tit. reſolut.36. &* 86. Deciſionem ad hanc noſtram Sententiam confirmandam allegat *Barboſ. dict. c.39.* § *2. n.47.* Sacræ congregationis ſuper immunitate Eccleſiaſtica. Et quæ notat *Navarr. conſ.11. de regular. edit.2. Azor. tom.1. lib.3. cit. q 3.*

Cæterum dubitari ſolet, an ſicut de jure extra controverſiam eſt, Epiſcopos, illorum Vicarios generales, ac Clericos eorundem miniſtros, immunes eſſe à juriſdictione Laicorum, eâdem quoque immunitate quo ad forum gaudeant eorum Notarij, & ſervitores utriuſque ſexûs, ſicut in utramque partem ſatis fusè diſputat ſæpè citatus *Barboſa. dicto. c.39.* §. *2. a. n.45. uſque ad n.67. & toto.* §. *4 eodem. c 39.*

8. Et certùm videtur eſſe primò, per ea quæ notat *Anton. de nigris. in repetit. c. unici. extravag. commun. de vita & honeſt. Cler. Felin. & Abb. in c. 2. de for. compet. Marian. Socinus ibid. Diana reſolut. moral. p.3. tract.1. hoc tit. reſol. 47. & p.4. tract.1. eod. tit reſol.30.* famulos perpetuos, ſive mancipia Clericorum, eadem quâ Clerici immunitate quo ad Privilegium fori gaudere. Sunt enim pars patrimonij Clericorum. ita *Carolus de Graſſis. de effectibus Clericatus. effectu i. n.149. Menoch. de arbit. jud. cent. ultim. caſu.562. Clarus. in ſuâ pract. crim.* §. *final. c.35. Covarr. pract. qq. c.35. n.2. Borell. in Summa deciſion. tit.43. n.143. Stephan. Gratian diſceptat. Forenſ. tom 2. c.340.*

9. Secundò, minus etiam dubium eſt, Epiſcoporum familiares, maximè Notarios, immunitate quoque Eccleſiaſticâ gaudere, atque hoc tam in civilibus quàm criminalibus. Per ea, quæ allegat *cit. Stephanus Gratianus dicto. c.340. & 341.* ubi in hanc Sententiam allegat etiam *Socinum. dicto. c.1. & 2. de for. compet. & per ea, quæ notat Abb. c. fin. de offic. Archidiac. & in. c. cum non ab homine. ibid. Ioan. Andr. & Hoſtienſ. de judicijs. Anton.*

de nigris. dict. loc. n. 88. Capycius. decis. 12. præsertim cum hoc asserat *Diana* etiam de familiaribus Vicarij Episcopi. *dicto loco. resol. 46. Anton. de nigris. ubi suprà. n. 90.* Habet enim Episcopus multa specialia, quæ non conceduntur alijs. Sicut idem *Antonius. ibid. notat per. c. fin. de re judic. in. 6. & c. quia periculosum. de Sent. excom. eod. lib. 6. Felin. ubi suprà c. 2. de for. compet.* Hinc vult etiam *Baldus in l. nam salutem.* §. *fin. ff. de off. præf. vigil.* pro executione justitiæ Episcopum, & ejus Vicarium armatam habere posse familiam.

10. Tertiò satis communiter quoque receptum est. *per cit. Steph. Grat. dict. loc. n. 3. Felin. cit. c. 2. n. 2.* ubi plures allegat. *Oldrad. cons.* 11. *Ant. de nig. ubi sup. n. 95.* Quod quoties non possent Clerici commodè uti suo privilegio fori, nisi etiam quoad hoc includatur familia, vel impedirentur aliàs ab illorum servitij usu, præsertim si cum magno Clericorum incommodo extra forum ipsorum traherentur, tunc quoque familia Clerici, ac illius servitores eâdem immunitate gaudeant; maximè cum non paucorum sit Sententia, ut videre est *post Barbos. superiùs cit. n. 55. & n. 56.* per *Marant. in suo speculo. p. 4. dist. 11. ubi num. 4.* certum esse ait: quod famuli, & servientes Clericorum gaudeant privilegio fori, sicut ipsi Clerici. Conveniuntur enim coram judice Ecclesiastico, ut idem Doctor vult, etiamsi sint Laici. *Bald. l. 1. & 2. Cod. de Episc. & Cler. Alberic. & Castrens. ibid. Capycius. dicta decis. 12. n. 3. Ant. de Nig.* plures allegans. *cit. loc. a. n. 81. Felin. ubi suprà. n. 1. Diana cum citatis. dict. resolut. 47. gloss. c. eos. dist. 32. c. judicatum. distinct. 89. c. Clericorum. il. 1. causa.* 11. *q. 1. & c. Ecclesiarum servos.* 12. *q.* 2. præsertim cum teneat *idem Anton. de nig. n. 94.* cum pluribus allegatis à se. *Felin. ubi supra. Oldrad. dicto cons. Steph. Grat. cit. c. 340. num. 3.* quod quicunque familiares quorumcunque dominorum, eorum gaudeant privilegio, quando privilegiatus commodè

non

non posset uti privilegio, nisi sua quoque includatur familia.

11. Quarto verior & in praxi receptior est sententia, extra hos casus familiam, ac servitores Clericorum Laicos, eorum privilegio non frui. & ita tenet cum Panorm. *Felin. cit. c. 2. de for. compet. plures allegati. apud Ant. de nig. n. 87. & 91. argumento. c. penult. de privil. in 6.* ubi privilegium datum conventui non prodest illius familiaribus. *& c. per exemptionem. eod. tit. & lib.* ubi oblati, nisi sint perpetui, eodem quoque privilegio non gaudent.

12. Quotuplex autem sit familiaritas, & quid nomine familiæ veniat, vide *apud Baldum. cit. loc. Cod. de Episc. & Cler. Antonium de nigris dicto loco. n. 95.* & quæ adnotantur ad *Abbatem. dicto. c. fin. de off. Archidiac.* Illud, per quod aliqui apud *Felinum. sæpe dicto c. 2. de for. compet.* exemptionem familiæ Clericorum evincere contendunt, ex eo, quod etiam Concubinæ Clericorum idem cum illis forum sortiantur. *per gloss. in c. eos. distinct.* 32. parùm ad rem facit.

13. Non enim ratio est, etsi eam ibi assignet Glossa, quod Concubina sit de familia Clerici, sed, ut ex communi Sententia cum *Menochio de arbitrar. judicium. casu. 312. Covarr. pract. qq. c. 34. n. 1. per l. nulli. C. de judicijs. Leyman. de immunit. Eccles. lib. 4. tract. 9. c. 4.* tenent, ex eo motivo, quia generalis Regula est: quod si plures simul idem delictum (maximè individuum) committant, omnes ab uno & eodem Judice puniendi sint, & cum dignior trahat ad se minus dignum, ad Ecclesiasticum pertinebit, utrumque, Clericum & ejus Concubinam judicare, ac punire. Vide etiam *Felin. in c. cum sit generale. de for. compet. Dian. p. 4. tract. 3. hoc tit. resol. 7.* plures allegati *à Barbos. sæpe nominato. c. 39. §. 2. n. 94. & 95.*

Et hæc Sententia quidem certa est de jure, aliud tamen

de

de facto in praxi, etſi malè, obſervatur, ut monet etiam *cit. loc. Menoch.* & conſtat quotidiana experientiâ, in noſtris partibus, Clericorum Concubinas per judicem Laicum judicari, ac puniri.

Male autem hanc contra jus Sententiam practicari conſtat ex eo, quod fieri non poſſit, ut hac occaſione Clerici, & Ordo Clericalis in ſæculari foro non infamentur, quando ex hac detectione criminum à perſonis Eccleſiaſticis commiſſorum apud judicem Laicum in mentibus fidelium grave Scandalum generari neceſſe eſt; Neque enim poſſunt Concubinæ judicari, quin ad judicem Laicum Clericorum nomina, tanquam complicum deferantur: ut optime notat *Barboſ. cum plurimis à ſe citatis. ſæpe dicto c.39. §.2. n.65. lib.3.*

14. Quod aliqui judicum vel apparitorum nonnunquam nimis audacter præſumunt, dum in ipſas etiam domos Parochiales irrunt, coquas, vel alias ſuſpectas Mulieres extracturi, (quod licitum non eſt,) illud directò pugnat contra libertatem Eccleſiaſticam, ſuntque ejuſmodi ipſo facto excommunicati, reſervatâ Summo Pontifici ob incurſam excommunicationem abſolutione: ut communiter notant Theologi, maximè *Sayrus. lib.3. in Excomm. Bulla Cœna Domini.*

15. Præſertim cum teneat *Diana. p.3. tract.1. hoc tit. reſol.7.* domus Parochorum, aliarumque perſonarum Eccleſiaſticarum exiſtentes intra trigenta paſſus ad Eccleſiam, etiam à Laicis habitatas immunitate Eccleſiaſticâ gaudere: quod idem tenet *Decianus in ſuo tract. Crimin. lib.6. c.25. n.16. Ambroſinus. de immunit. Eccleſ. c.30. n.8.* datur enim hæc immunitas loco & domui Parochi, non perſonis inhabitantibus præcisè. Et aliàs ſequeretur in poteſtate locatoris eſſe, auferre vel dare hanc immunitatem, pro qualitate conductorum, quibus vellet locare, quod abſurdum videtur. vide etiam *Thuſcum in ſuis practicis*

Ficis conclus. littera. I. conclus. 59. n. 3. Quod si dixeris: contraria consuetudine, quo ad ejusmodi domos à Laicis habitatas Immunitati derogatum. Respondet: *Diana ibidem*, Gregorium XIV. Pontificem constitutione editâ Romæ nono Calendas Junij, anno 1591. allatam à Cherubino in Bullario tom. 2. damnare ejusmodi consuetudinem in contrarium introductam, consequenter prævalere huic Parochialium domorum Immunitati non posse.

16. Cæterùm quia Clericatus est facti, est enim qualitas, quæ de contingenti, & de facto adesse personæ solet, & ab illa abesse potest, ut loquitur *Baldus citatus à Mascardo. conclus. 302. num. 13.* Clericum enim esse, non est à naturâ, sicut nec in scientijs exercitum, vel versatum esse; natura enim non creat artem, sed disponit ad artem, profectò necessum erit, ut Clericum se esse, is probet, qui hâc Immunitate personali gaudere desiderat, cum super hâc qualitate Clericatûs intentionem suam fundet.

Quod si tamen Clericaliter vestitus, etsi antè nunquam sic incedere visus sit, cum tonsurâ & habitu deprehendatur, in dubio Clericus esse præsumetur, nisi fortè taliter quis in habitu Clericali deprehensus, litterarum penitus esset ignarus, quia cum talis non possit ordinari. *per text. c. ultimi. de temp. ordin. in 6.* hæc præsumptio, tanquam vehementior, tollet illam, quæ insurgit ex portatione habitûs. per ea, quæ notantur in c. *si judex Laicus. & in. c. in præsentia. de Sent. excomm. in 6. ibi. Ioan. Andreas. & Barbos. cum multis à se citatis.* Et communiter Interp. ibidem. vide *etiam. c. qualis. distinct. 25. & c. nec quidquam. 24 q. 2.*

17. Adverte tamen singularem constitutionem *Concil. Trident. Sess. 23. c. 6.* & quæ ibi allegat *Barbos. ac in tract. jur. Univers. Ecclesiast. lib. 1. c. 39. §. 2. n. 12.* Hodie enim aliter, etiam

habitu Clericali incedens, non gaudebit Privilegio fori, nisi vel alicui Ecclesiæ ex mandato Episcopi deserviat, vel de ejus licentia vivat in aliquo Seminario, aut de ejusdem consensu versetur in aliquâ Scholâ, aut Vniversitate, aut beneficium Ecclesiasticum habeat, tametsi habitu & tonsura non fuerit tunc usus. ita *Barbos.* ex mente *Concil. Trident. cit. tract. juris Univers. num. 13. dicto loc.* cum plurimis allegatis. vide ad hanc conclusionem pulchras duas Decisiones, *Nicolai Boërij. decisionem. 171. & Thomæ Grammatici decis. 81.* Et quæ notat *Mascardus cit. conclus. 302. & tribus sequentibus.* ubi bene limitat cum *Boërio, & alijs à se citatis* nostram, & suam conclusionem.

18. Quatenus scilicet Clericatus ex sola possessione, vel delatione habitûs & tonsuræ præsumptivè probari soleat, limita, ut hoc solùm procedat in ordine ad obtinendum Privilegium fori, non in ordine ad beneficium obtinendum. Et ratio differentiæ esse potest, quod ubi majus est periculum, ibi cautius sit agendum. *l. 1. ff. de Carbonario Edicto. c. ubi majus. de electione. in. 6.* atqui sanè in Ecclesiastico beneficio impetrando gravius controvertitur periculum, ergo cautius erit agendum. Laicus enim intrinsecè incapax, & inhabilis est ad impetrandum Jus spirituale, ergo etiam ad beneficium Ecclesiasticum obtinendum *toto titulo. de institut.* Maximè quæ notantur *in c. 2. ibid. & c. final.* Et quæ allegant Doctores ad *c. beneficium de reg. jur. in 6.* Nullatenus autem ita incapax est, ut Laicus subeat forum & jurisdictionem judicis Ecclesiastici, cum in multis casibus sæculares Judici Ecclesiastico subijciantur; teste *Marant. in suo Speculo. distinct. 11. p. 4.* & per ea, quæ in *Bivio nostro p. 1. thesi 1. verbo. ex causa efficiente. notavimus.* Defendet ergo aliquem possessio Clericalis habitûs & tonsuræ, ad obtinendum fori privilegium, non autem ad impetrandum beneficium Ecclesiasticum. vide *plur. citatos apud Mascardum. dicto loco.*

19. Hoc

19. Hoc valdè notabile est in proposito, quò ad dictum fori Privilegium, quod etiam in dubio, num aliquis sit Clericus, judicis Ecclesiastici sit cognitio, & ita tenet *Decianus. cit. loco. n.26. ubi pro se allegat Barbatium volum.2. consil.45. n.24. & Capoll. consil.10.* & satis luculenter eruitur *ex cit. c. si Iudex. de Sentent. excom. in.6.*

20. Quomodo autem in dubio probandus sit Clericatus, tractat *Mascardus conclus.303. & 305.* ubi ex communi docet, probari litteris commendatitijs proprij Episcopi, vel formatis, ut vocant: item famâ, alijsque indicijs, sicut & confessione partis, aliquando uno etiam, aliquando tamen duobus, & communiter, vel pluribus necessariò concurrentibus testibus, cum quo eodem Mascardo sentio, quod si lis sit in judicio, super aliquo beneficio, Clericatum duobus testibus probandum esse, agitur enim de præjudicio gravi alterius, scilicet collitigantis. Et tenet etiam *Rebuff. in tract. de nominationibus. q 14. n 32.* textus est *in c.2. & 3. de Cler. peregrin. Barbos. ibidem. plures citans. Et maximè Nicolaus Garsias. de benef. p.7. c.1. à num. 140. Alexander tom.7. cons.107. n.7. Camill. Borell. in sum. decis. tit.7. n.22.*

21. Quod aliqui tenent citati à *Barbos. allegato c. si judex. & à Mascardo. ubi suprà.* Sufficere unum testem, credimus procedere, si probatio extrajudicialiter instituenda est, & interesse alterius per se non controvertatur. Sicut & illud, quod ex diuturnâ & quietâ possessione aliquem manutenendum in possessione Clericatûs, licet in præjudicium alterius vergat, idem *Mascard. ibidem conclus. 304.* tenet, solùm procedere dicimus, quo ad possessorium, non autem ad hoc, ut adjudicetur ei titulus beneficij: ut ibidem rectè limitat idem *Mascard. num.8.*

22. Quamvis, si *Azorio. tom.2. lib.7. c.35. & Ioanni Cochier.*

ad Regul. Cancell. 33. credimus, etiam is, qui per triennium continuum possederit beneficium Ecclesiasticum quietè & pacificè, defendendus sit etiam in petitorio, contra quemcunque, tametsi de institutione Canonicâ non doceat, consequenter aliter Clericatum probare non teneatur, modo per Simoniam ingressus non sit, vel se non intruserit, in casu, quo illud beneficium fuerit unum de reservatis Sedi Apostolicæ, reservatione generali, & in Corpore Juris clausa, ac aliàs sit persona per se capax beneficij, collatioque, vel institutio facta ab eo, qui de jure non prohibetur.

Et hæc secundum *cit. Azorium* probabiliter etiam in foro conscientiæ procedunt, modo bonâ fide & inchoârit, & finierit hanc triennalem possessionem. Idem tenet etiam *Rebuff. de pacificis possessorib. num. 206.* admitteretur tamen probabiliter, etiam post triennium aliquis, si probare vellet, possessorem triennalem, non esse Clericum, possessio enim triennalis pacifica & continua, tantùm defendit eum, qui absolutè de jure capax est beneficij, qualis non est Laicus.

CAPUT II.

De Privilegio fori in actione personali.

SUMMARIUM.

Privilegium fori complectitur tam causas Ecclesiasticas, quam etiam Civiles & temporales. n. 1.

Definitio privilegij fori. n. 2.

Explicatur definitio cum suis particulis. n. 3. 4. & 5.

I.

PRima igitur species Immunitatis personalis, Ecclesiasticarum personarum est Privilegium fori: non solum quo ad ea, quæ merè Ecclesiastica, ac divina sunt, de quibus non admodùm dubitatur inter Catholicos, sed etiam quæ Civilia, & temporalia existunt, ut *superiùs disput. 1. cap 2. §. quantum ad ea,*

quæ

quæ mere Civilia. & per exempla demonstravimus. Et hoc fori privilegio personas Ecclesiasticas gaudere dicimus non solùm de jure Canonico, ut constat ex ijs, quæ toto titulo *de judicijs. de fôro compet.* sanciuntur, & notat *Gratianus in decreto. locis à Gloss. ad rubric hujus titul. allegatis.* vel etiam de jure Civili. *Authent. ut Clerici apud prop. Episc. collat. 6. Authent. Clericus quoque. Authent. statuimus. Cod. de Episc. & Cleric.* sed etiam de jure Divino, ut suprà satis fusè. *c. 2. disput.* 1. probavimus. & notat præter ibidem allegatos, *Diana in suis resolut. p.* 1. *tract. 2. resol. 1. & p. 4. tract.* 1. *resol. 44.*

2. Nihil autem aliud hoc fori Privilegium esse dicimus, quàm quandam Immunitatem, de jure etiam divino, statui Clericali, & personis Ecclesiasticis concessam, quâ muniti Clerici, alijque hoc Privilegio gaudentes, neque volentes, neque inviti ad judicem sæcularem trahi possunt: sive jam actione personali, sive reali, civili, aut criminali agatur.

3. Dixi primò: Statui Clericali, & personis Ecclesiasticis. quia tenemus cum *Barbos. dicto tract. Iur. univers. Eccles. lib. 1. c. 39. §. 2. num. 40. & cum ijs*, quos paulo superiùs citavimus: Omnes, quotquot personarum Ecclesiasticarum nomine veniunt, hâc Immunitate gaudere, cum simus, ut diximus, in materia favorabili, consequenter amplianda.

4. Dixi secundò: neque volentes, neque inviti: est enim hoc privilegium introductum in favorem publicum totius Ordinis Clericalis. per express. *tex. c. si diligenti. de for. compet. Abb. in. c. dilecti. eod. tit. & c. contingit. de Sent. excom. gloss. verbo. Clericalis. c. Clerici. de cler. conjug. lib. 6. plurimi citati. ab eodem Barbos. dicto loc. n. 8.* Hinc neque volentes renunciare possunt, cum hæc Immunitas privati hominis favorem non concernat.

5. Dixi tertio: sive actione personali, sive reali. Et de personali in genere, tantum dubium etiam apud adversarios non

est, maximè si de causis merè spiritualibus, in quibus Clericos personaliter conveniri contingit, veluti sunt causæ beneficiorum, decimarum &c. loquamur, nam si de actionibus personalibus motis contra Clericum ex causâ merè Civili sermo sit, res tam expedita non est, multisque in casibus contendunt adversarij, personas Ecclesiasticas conveniri coram Laico Judice posse. Sicut paulò superiùs ex *Canedo. 20.* casus dari diximus, in quibus Clericos sæculari Jurisdictioni subjectos esse volunt.

CONTROVERSIA PRIMA CIRCA PRIVILEGIUM FORI IN ACTIONE PERSONALI.

SUMMARIUM.

Clericus qui heres est Laici ante mortem coram Laico judice conventi, quale forum sequatur in eadem causa, sæculare an Ecclesiasticum? n. 1.

Rationes dubitandi. n. 2. 3. & 4.

Deciditur pro foro Ecclesiastico. n. 5. & 6.

Argumenta solvuntur pro contraria opinione allata. n. 7. & seqq.

Controvertitur primò, an si Clericus heres sit alicujus sæcularis, qui ante obitum suum jam Conventus super aliquâ causâ coram judice Laico est, quale forum sequatur Clericus heres? nam multi tunc Doctores volunt, teneri Clericum apud eundem sæcularem judicem causam continuare, ac finire litem cœptam.

1. Et ita tenet *Maranta. in suo Speculo. part. 4. distinct. 11. n. 79. & plures citati ab eodem.* quosq; allegat *Diana in suis moralib. p. 1. tract. 2. resol. 24. & p. 4. tract. 1. resolut. 21.*

2. Ra-

2. Ratio pro illorum Sententia eſt, quod in propoſito Clericus ex perſonâ defuncti, quàm repræſentat, conveniatur, conſequentur ut Laicus, ergo ejus forum declinare non poſſit.

3. Deinde, quia Succeſſoris Privilegium trahi non poteſt ad præterita, ſed ſolùm ad ea, quæ ſequuntur, ut loquitur *Diana* ex perſona & Sententia adverſariorum *cit.4.reſol.*21.

4. Tertiò, qui ubi cæptum eſt ſemel judicium, ibi finiri debet. *l. ubi captum. ff. de judicijs.* & quæ pro hac opinione not. *Covarr. pract. qq. c.*8. Ego tamen contrariam amplector Sententiam cum *Diana, dicto loc. Felin. & Abbate in. c. quia vero. de judicijs. Bonac. in Bulla Cœnæ Domini. diſp.*1. *q.*16. *punct.*5. *num.*18. Et de Legibus, *diſput.*10. *q.*2. *punct.*2. §.1. *num.*25. *Iaſon. Caſtrenſ. in l. venditor. ff. de judicijs. alijsq; citati à Covarr. ubi ſuprà.*

5. Ratio fundamentalis pro noſtrâ Sententia, eſt Privilegium fori Clerico etiam de jure Divino competens, ſecundum quod conveniri non niſi coram judice Eccleſiaſtico poteſt. Neq; hæc præventio judicis Laici, quo ad cauſam contra defunctum intentatam præjudicare Immunitati, vel poteſtati Eccleſiaſticæ poterit.

6. Deinde probatur optimo argumento, deductio à Privilegio fiſci, cujus meminit *Bartolus in l. heres abſens. ff. de judicijs. & Abbas ubi ſuprà. citato. c. quia verò. n.*12. in quâ Lege etſi diſponatur heredem quo ad jura hereditaria ſequi forum defuncti, adeo ut proprium Privilegium allegare nequeat, ſolùm tamen id procedere ibidem intelligitur eo in caſu, quo tale Privilegium, ſecundum quod conveniri coram proprijs judicibus debet, in corpore Juris contentum non ſit, ſecus ſi in Corpore Juris contineatur, ut eſt præſens Privilegium Clericorum. Alias rationes videre potes per citatos Doctores apud Dianam.

7. Rationes allegatæ pro contraria Sententia nihil evincunt. Quo ad primam enim negamus, quod Clericus Successor præcisè ex persona defuncti conveniatur, etsi non diffiteamur, in multis, maximè quo ad relicta bona, & jura hereditatis personam defuncti repræsentare. per ea, quæ notantur in *Novell. 48. in præfat. de jur. jur. à morien &c. & l. hæredem. ff. de reg. jur.* non autem quasi quo ad hoc ejus personam repræsentet, ut idem forum sortiatur cum defuncto, cum heres Clericus, & defunctus quo ad jurisdictionem toto genere distent.

8. Altera ratio incontrarium allata nihil quoque contra nos facit, etsi totam concedamus, quæritur enim in proposito, num ex postfacto, quo ad subsequentia, Clericus, non obstante Immunitate, ac Privilegio fori, coram Laico conveniri possit, ex eo, quod cum defuncto, cui modo Clericus heres factus est, lis & judicium inchoatum sit.

9. Tertia ratio solùm procedit in casu, quo de Privilegio in Corpore juris clauso quis specialem non habet judicem, sicut tamen in proposito habet Clericus. Hinc etiam Fiscus, causam ejus, in quo succedit, inchoatam ad suos revocat Judices, quia vi sui Privilegij specialiter ipsi de jure provisum est. Et miror, quomodo allegatis textibus ex *Iure ff.* comprehendi Clericos, quo ad fori compulsionem velint, cum Lex civilis ligare Clericum non possit, & Legislatores, cum eas Leges conderent, ne cogitare quidem potuerint de Clericis, vel nondum existentibus, vel ipsis penitus ignotis.

CONTROVERSIA SECUNDA.

SVMMARIVM.

Venditor Clericus ab emptore Laico laudatus, & interpellatus, ut eum in judicio defendat, an teneatur eundem coram eodem judice Laico de-

eo defendere, coram quo emptor sæcularis conventus est, vel utrum possit ad suum judicem Ecclesiasticum provocare. n. 1.

Allegantur D.D. pro negativâ, quod provocare ad Ecclesiasticum judicem non possit. eodem n. 1.

Affertur ibidem textus, & ratio pro hâc Sententiâ.

Concluditur pro opinione affirmativa, quatenus eo in casu provocare Clericus ad judicem Ecclesiast. possit. n. 2.

Allegantur D.D. pro hac Sententia, & ratio fundamentalis, eodem. n. cum aliquali limitatione ejusdem.

Respondetur ad textus & rationes in contrarium adductos. n. 3.

1.

Controvertitur secundò: An Clericus ab emptore Laico laudatus, ac interpellatus, ut eum defendat, teneatur coram eodem Laico Judice defendere, coram quo emptor conventus est, ita ut non necessariò remitti ad suum judicem Ecclesiasticum debeat, sicut plures allegat *Diana*, qui hoc tenent. *p. 4. tract. 1. resolut. 25.* ut est *Fachin. lib. 2. controvers. c. 38. Covarr. pract. qq. c. 8. Cavallos in suo tract. de cognitione per violentiam. p. 2. q. 23.* pluresque alij ab eodem allegati.

Ex eo maximè fundamento, quod expressus textus sit *in l. venditor. ff. de judicijs.* venditorem emptoris judicem sequi debere, quod idem deciditur *in. l. 1. Cod. ubi in rem. &c.*

Probatur ratione, quia in proposito casu Clericus tantùm est quidam defensor, & procurator alterius principalis, emptoris scilicet, eique solùm assistit, & concipitur Sententia, & condemnatio principaliter in personam emptoris, nam licet per quandam consequentiam, & indirectè condemnatio, & Sententia redundet in ipsum Clericum, illud tamen attendi non debet, cum liceat in consequentiam, quod non licet princi-

paliter. *per tex. in. l. interdum. §. qui furem. ff. de furtis. l. solemus. ff. de judicijs. & l. querela. ff. de authorit. tutor.*

2. Censeo tamen etiam secundo hoc casu Clericum cogi non posse coram emptoris judice Laico emptorem defendere, sed remitti debere ad judicem Ecclesiasticum. Et ita tenet *Thom. Grammaticus. decis.21. num.9. Diana ubi supra. Glossa in c. nullus Clericum. 11. q.1. Speculator de primo & secundo decreto. §. testat. num.24. Castrens. in cit. l. venditor. Ang. Aretinus. instit. §. actionum. num.19. de actionibus. Marta. de jurisdict. p 4. cent.1. cas.35. n.21.*

Ratio fundamentalis est, quod Clericus consentire nequeat in judicem Laicum. *per expreß. text. in c. si diligenti. de for. compet.* deberet autem consentire eo ipso, quod citetur ab illo ad defensionem causæ, sub prætextu, quod teneatur ad evictionem.

Posset tamen contraria Sententia eatenus ex mente *Archidiaconi in cit. c. nullus Clericum.* admitti, sicut etiam limitat *Diana*, ut tunc defendat Clericus emptorem coram judice Laico, quando Clerico venditori canonicè illud denunciatum coram judice Ecclesiastico est, atque de ejus licentia ad defensionem emptoris coram sæculari judice procedit, stando in nudis terminis defensionis.

3. Textus in contrarium adducti nihil evincunt, ex ratione pro superiori casu decidendo allegatâ, cum & illorum textuum dispositio juris Civilis sit, & emanata à Legum conditoribus Ethnicis. Et tametsi solùm quidam defensor emptoris esse videatur, quantùm ad conceptionem libelli, & verborum, reverâ tamen, & in effectu condemnatio, & Sententia ipsum defensorem Clericum afficit, cum de evictione emptori teneatur, maximè cum etiam *Abbas* cum alijs pluribus in effectu tenere videatur *in c. quoniam frequenter. §. in alijs. ut lit. non con-*

contesta. n.28. tunc indubitanter Clericum nominatum in judicio Laicali, ut defendat inquilinum. v.g. vel colonum, esse remittendum ad judicem Ecclesiasticum, quando ipsius maxima ex parte interest, cum hoc in casu habeat jus in re, non autem colonus, ut ibidem supponi videtur. Et vide apud *cit. Thom. Grammaticum decis.* 21. *n.9.* practicam quomodo procedatur hoc casu in Curia Regni Neapolitani. & *Barbos. dicto tract. Iur. Univers. Ecclesiast. lib.*1. *c.39.* §.*2. n.*115. qui contrariam Sententiam amplectitur, *ut ibid. videre est.*

CONTROVERSIA TERTIA.

SVMMARIVM.

*Personarum Ecclesiast. animalia si damnum inferant, an per judicem saecularem pignorari ac capi possint, damnumq́ illatum per eundem à Clerico exigi valeat. num.*1.

Allegantur eodem num. D. D. textus, & ratio pro affirmativa.

Concluditur pro negativa cum ratione & textibus allegatis. numero 2.

*Respondetur ad textus & argumenta in contrarium allegata. n.*3.4. *&* 5.

I.

TErtio: multi quoque sunt, qui tenent, ut ex allegatis à *Barbos. dicto loco. n.*121. constat, ex quibus non ultimus est *Cavallos. p.2. tract. de cognit. per viam violentiae. q.*11. *n.44. & sequenti. & q.23. n.*24. *Idem tom.4. communium contra communes. q.897. n.*620. *& seq.* allegati à *Diana. p.4. tract.*1. *resolut.*72. *& p.3. tract.*2. *resolut.80.* Ecclesiasticarum personarum animalia, si damnum inferant, ea per judicem Laicum pignorari, ac capi posse, damnumq; illatum

tum per eundem à Clericis exigi valere. *argumento legis. Viros. Cod. de palat. sacrar. larg. lib. 12. c. si tributum. 11. q. 1.* Et assignant hanc adversarij pro sua Sententia rationem: quod hoc casu in personam Clerici nulla dirigatur executio, sed onus reale impositum rei, à Clerico exigatur, sicut aliud quodcunque tributum, ad quod præstandum obligatus est. Teneo tamen etiam hoc casu, judicem Laicum se immiscere non posse.

2. Et ratio est, quod licet hæc causa naturâ suâ merè temporalis sit, ratione tamen personæ Clerici, contra quem movetur, Ecclesiastica existat, adeoque à judice sæculari definiri non possit. per *tex. c. 2. de judicijs. & c. quod Clericis. de foro compet.* cum enim Sententia ferri debeat in personam (animalia enim incapacia sunt conventionis, vel condemnationis, cum injuriam fecisse dici nequeant, atque ratione damnorum, nonnisi in possessorem actio dirigi soleat. *l. 1. ff. si quadrupes.*) Sanè in Clericum ferri Sententia debebit, cujus sunt pecora, quæ pauperiem, vel damnum fecerunt, consequenter Laicus se immiscere etiam hoc casu non poterit.

3. *Legem. Viros.* allegatam nihil ad rem facere dicimus, tametsi enim ex illa eruatur, Judicem etiam non suum se immiscere posse, ut executio fiat in re, quæ in ejus territorio sita est, & illius Jurisdictioni subest, non habito respectu, utrum persona, cujus res est, pertineat ad suum vel alterius forum, nihil inquam facit ad rem, quia non agitur de foro vetito & inprorogabili, quale est forum Clerici, respectu fori & judicis Laici.

4. Atque ineptum est argumentum à pari, quando pro ejus contrario expressam habemus in jure decisionem, quæ in proposito est in *c. 2. cit. de judicijs. & c. si diligenti. de for. compet.* ubi dicitur, quod Clericus prorogare jurisdictionem in Laicum nequeat, nec possit ab illo judicari.

Capi-

Capitulum. tributum. solùm probat, Ecclesiam aliquando teneri onera realia præstare, nullatenus autem, quod etiam tum Ministri sæculares exequi in rebus Clericorum possint, per ea, quæ notantur *in text. c. non minus. &. c. adversus. hoc. tit.* Vide pluribus *Barbos. dicto loco.* ubi pro hac Sententia. *n. 121.* etiam Declarationem congregationis Cardinalium super Immunit. Ecclesiast. attexit.

CONTROVERSIA QUARTA.

SUMMARIUM.

An Clericus depositum coram judice Laico recipiens, promittensq́, se restituturũ deponenti, vel coram eodem fidejubens pro Laico, aut officium tutelæ, vel Curatelæ suscipiens, coram judice sæculari conveniri possit. n. 1.

Ratio pro negativa, quod conveniri coram Laico non possit, redditur universalis: quia qualitas Clericatûs illum eximit toto genere à jurisdictione & foro Laicorũ. 2.

Alij respectus & considerabilitates si qualitati Clericatus præferenda sunt, pauci casus erunt, in quibus Clerici forum sæculare effugient. num. 3.

Diluitur objectio, quæ affertur de Clerico feudatario, qui non obstante qualitate Clericatus tam favorabili convenitur coram Domino Seniore Laico. n. 4.

1.

QVarto: Non minor est controversia, an ijs in casibus, quibus depositum persona Ecclesiastica coram Judice sæculari recipit, promittitque se restituturam deponenti, vel coram eodem fidejubet pro Laico, aut officium tutelæ, vel curatelæ suscipit, coram Judice sæculari conveniri possit.

2. Et sentio cum *Barbos. dicto c. 39. § 2. a. num. 124. in tract. jur. Univers. Eccles. Diana in suis moralib. p. 1. tract. 2. resol 23. Tambur. de jur. Abb. tom. 1. disput. 15. q. 19. num. 36.* conveniri non posse. Ratio universalis pro nostrâ Sententiâ est, quod, qualitas Clericalis in ejusmodi depositario, fidejussore, tutore, vel Curatore inexistens, sicut illum abstrahit à communi massa & sorte Laicorum, ita etiam illum eximat ab oneribus & jurisdictione Laicorum, & quia tam exuberans illa, ac privilegiata est respectu aliarum qualitatum in tali supposito considerabilium, ita easdem obfuscat, atque obtenebrat, ut solius illius qualitatis Clericalis, tanquam magis principalis, atque potentiùs privilegiatæ ratio & respectus, præsertim quantùm ad sortitionem fori, habeatur.

3. Et certè, nisi hoc dixerimus, sequetur paucissimos casus esse, in quibus Clerici ad forum Laicorum trahi nequeant. Si enim principaliter ratio habebitur in persona Clerici, quatenus. v. g. fidejussor est, aut depositarius, vel curator, aliosvé contractus, & actus civiles hic & nunc exercens, sanè nihil alienum ab illo deprehendemus, quàm quem subjectum Legibus civilibus, & sæcularium Magistratuum Jurisdictioni subditum esse, palàm est. Consequenter his casibus persona Ecclesiastica ab illis judicari debebit, cum ut sic, non ut talis, sive ut Clericus in considerationem veniat, sed ut civis, vel alius Legibus sæcularibus subjectus. Sicut etiam quo ad bona patrimonialia, aliaque non prospectu Ecclesiasticæ dignitatis acquisita, nulla Immunitate, Clericis tamen alioquin etiam hoc casu concessa, gaudebit, cum ut quivis privatus, & sæcularis, tunc (ut sic) acquirat, possideatque, non ut persona Clericali dignitate excellens, quæ contra SS. Canones esse, nemo non videt.

4. Si dicis: quare ergo Clericus coram judice Laico ratione

tione feudi conveniri poteſt etiam in perſonalibus, ſi qualitas Clericalis tanquam exuberans, & maximè privilegiata alias qualitates, & conſiderabilitates in perſona Clerici abſorbet? Reſpondeo hunc Caſum eſſe unum de exceptis à jure Canonico, ut adeò ubi ſpecialiter contrarium à SS. Canonibus diſpoſitum non eſt, ſequamur communem regulam exemptionis Clericorum, quo ad forum Laicale. Exceptio enim à regula, firmat regulam in alijs *L. quaſitum. §. deniq. ff. de fund. instruct. L. nam quod liquida. ff. de penu leg. §. ſi cui penus. & L. legata. ff. de legatis 1.* Neque Juris interpretum erit ejuſmodi exceptiones ex ficta quodam paritate rationis in favorem ſæcularium principum, quibus utinam non aliquando contra propriam conſcientiam adulentur! introducere, cum reſtringi ejuſmodi Immunitas Clericis abſolutè, & quidem de jure Divino, ut probavimus, conceſſa, à ſolo Pontifice poſſit, & nullo modo à privatis Doctoribus. Atque cùm reſtrictio hæc odioſa ſit, ſanè à paritate rationis argumentum ſumi non poterit, ut communis eſt doctrina Interpretum.

COROLLARIVM AD QVARTAM HANC CONTROVERSIAM PRIMVM.

SVMMARIVM.

Clerici paſſim in noſtris partibus ſubjiciuntur foro Laicorum, ubi diverſas reperire conſiderabilitates eſt, ſecundum quas Clerici non ut Clerici operantur, non ſine periculo incurſæ excommunicationis. num. 1.

Allegantur D. D. qui hoc licitum eſſe in terminis docent, eod. n.

Eodem modo Clerici & Prælati Eccleſiaſt. quo ad ea quæ temporalia concernunt, etiam in actionibus perſonalib. malo more ſubjiciuntur foro Laicorum, ibique reſpondere debent, ſitq. executio in eorum temporalibus, utut immediatè ad Eccleſias vel monaſteria ſpectent, quæ ſine peccato mortali & in-

& incurrenda excommunicatione de jure fieri non possunt. n. 2.
Clerici vel Prælati qui Officiales principum sæcularium sunt, v. g. Consiliarij, præfecti Cameræ, vel Status Provinciæ, puniri, imo neque conveniri ratione sui officij coram tali Laico principe probabilissimè possunt. n. 3. & 4.
Allegantur Authores pro nostra Sententia. n. 5.
Ratio Suarezij examinatur contrarium tenentis, ex eo motivo, quia hoc casu Clerici & Prælati considerantur sub respectu merè civili, & quia cum pacto, ut subjiciantur quantum ad hæc officia jurisdictioni Laicorū, acceptant ejusmodi functiones. num. 6. & n. 10.
Clericus se immiscens negotiationi illicitæ non statim perdit Privilegium fori. n. 7.
Mixta in jure non veniunt nomine simplicium, maxime in odiosis. num. 8.
Si hic respectus officij sæcularis facit, ut Clericus conveniri coram Laico possit, quæritur in quo angulo deponet interim Clericatum, vi cujus immunis est à jurisdictione Laica? n. 9.

1.

CÆterum scio passim, Juris maximè Civilis Doctores Clericos in ejusmodi casibus, ubi diversas reperire considerabilitates est, secundum quas Clerici non ut Clerici operantur, subijcere etiam in actionibus personalibus Jurisdictioni Laicorum. Sicut videre est apud *Andream Geil. lib. 1. pract. observat. observ. 37. & seq. Marant. p. 4. dist. 11. Cavallos tom. 4. com. contra com. q. 897. à num. 592. & q. 899. à num. 144. Vasquez. de Success. creat. lib. 3. §. 26. limit. 3 p. à num. 50. Salgado de protect. regia. p. 1. tom. 1. prælud. 2. & 3. à num. 127.* plures ab ijsdem allegati, maximè Hispani.

2. Et certè passim in nostrâ Germania hæc Sententia practicatur, ut Clerici tam superiores, quam inferiores, etiam in actionibus personalibus, quantùm ad ea, quæ temporalia sunt, maxi-

maximè si bona stabilia possideant, etiam ad Ecclesiam immediatè pertinentia, coram Laicis conveniantur, fiatque executio in eorum bonis sine ulla trepidatione, vel metu incursæ, vel incurrendæ Excommunicationis. Sicut passim à Laicis arrestari, ac pignorari Clericorum, aliarumque Ecclesiasticarum personarum bona, ac prædia luce meridianâ clarius est, quæ sine dubio contra Immunitatem Ecclesiasticam sunt, & absque mortali peccato, ac periculo contrahendæ Excommunicationis per se fieri non possunt, ut ex dictis constat. Et notant hinc inde Commentatores ad Bullam Cœnæ Domini.

3. Deinde neq; video, quomodo tolerari sine læsione Immunitatis Ecclesiasticæ possit, tametsi Clerici etiam Principum negotia gerant, vel ab ipsis ad officia consiliariorum, aut aliorum munerum suscipiantur, vel Statuum provincialium Deputati existant. (quæ ejusmodi officia licitè sine alia dispensatione, etiam regulares Prælatos suscipere posse puto, modò contra dignitatem Clericalem non sint, vel aliàs illorum statui, ac officio Ecclesiastico, aut residentiæ præjudicium non inferant, cum hoc passim antiquissimâ consuetudine receptum sit, & cedat in bonum commune Reipublicæ, atque hoc onus administrationis necessariò subeundæ connexum videatur bonis, quæ in Provincia possident, maximè si feudalia sint, vel quasi talia) non inquam video, licet suscepti ad ejusmodi officia debeant Provinciæ, vel Principi vi sui juramenti fideles existere, bonâ fide administrare, consulere, rationes reddere, ac respondere, cum hæc ex natura officij, quod administrant, redundent, si in aliquo, etiam ratione sui officij delinquant, vel lis sit, aut controversia oriatur, ad alium judicem trahi possint, vel ab alio distringi, vel puniri, quàm ab Ecclesiastico: licet solummodò pœna pecuniaria imponenda veniat. Et tametsi

passim etiam quo ad hoc de facto aliud practicetur, videtur tamen nostra Sententia multò verior, tutior in conscientia, ac Immunitati Ecclesiasticæ, quâ indifferenter Clerici gaudent, conformior.

4. Ratio pro nobis est, quod, sive male, sive bene ejusmodi officia suscipiant, modò trina monitione eos ordinarij locorum dehortati non sint, nihilominus Privilegium Clericale retineant, & exempti sint à Laicâ potestate, per ea, quæ notantur in *c. fin. de vita & honest. Cleric.* Et cum nullibi Pontifex Clericos hoc casu subijciat sæcularium Jurisdictioni, sicut tamen contingit quo ad causas Feudales civiliter intentatas, sanè neque privatorum Doctorum authoritas, & præsumpta usurpatio Principum prævalere contra Immunitatem, etiam hoc casu poterit.

5. Et hanc Sententiam tenent satis communiter Canonistæ, præter citatos *à Barbos. dicto tract. Iur. Univers. Eccles. lib.*1.*c.39.*§.2. *artic.127. inter quos pro nostrâ Sententiâ allegatus est etiam Clarus.* §. *fin. q.36. num.21. Diana in suis resolut. moral. p.*1. *tract.2. resol.18. & p.4. tract.*1. *resol.39. Lezana in Summa. tom.3. verbo. Clericus. n.30. Marta, Squillante, & alij*, locis ibidem allegatis.

6. Argumentum, quod pro contrariâ Sententia allegat *Suarez*, citatus *à Leymanno in tit. de immunit. Eccles. lib.4. tract.9. c.5. num.2. & seq.* superiùs refutatum est, & vel nihil, vel nimium probat. Nam tametsi in genere non diffiteamur, verum esse, eundem non rarò hominem, pro diversis respectibus diverso jure vel qualitate censeri, illatio tamen in specie fabricata à *Suarezio* parùm concludit, dum ait: Quia hoc casu Clerici non considerantur, nisi sub respectu merè Civili, & maximè, quia sub eâ conditione & pacto ad ea ministeria acceptantur, quod pactum (sicut idem Doctor gratis asserit) neque contra exemptionem Ecclesiasticam est, neque contra bonos

mores.

mores. Nam ista abstractio diversi respectûs in unâ & eâdem personâ Clerici, quo ad subjectionem fori Laicalis, in casibus in jure non expressis, nulla est, & contra SS. Canones, ut paulò superiùs vidimus.

7. Deinde quando magis sub respectu Laicali Clericus considerabilis est, quàm cum se negotijs sæcularibus etiam illicitè implicat. v.g. Lanionis, vel Tabernarij, vel Procuratoris, aut Notarij officium exercens, & tamen neque tunc Sacri Canones volunt, eum privatum esse privilegio fori, & subjectum sæculari Jurisdictioni, nisi primùm post trinam admonitionem: quomodo ergo, si licitè honestum officium in bonum commune pro Republicâ obeat, eo ipso Laicali foro subijciendus erit? Textum apertum paulò antè ad hoc adduximus ex *Clement.*1. *& c. fin. de vit. & honest. Cleric.*

8. Tertio, quid est notius in Jure, quam quod mixta nomine simplicium non veniant, nisi in favorabilibus, seu, quod idem est, quod is, qui diversis qualitatibus, ac attributis, & consequenter respectibus affectus est, non subjaceat quo ad odiosa Juris dispositioni in illis, in quibus subjacet is, qui uniûs qualitatis & respectus est, tametsi eandem etiam qualitatem in altero reperire sit? Hinc communis est doctrina, nomine Clericorum, Canonicos, vel Episcopos, aliosque in dignitate existentes non venire in odiosis, quia Episcopus, aliæque nominatæ personæ præter Clericatum simplicem, aliam, & quidem nobiliorem qualitatem, & respectum, simplicem Clericatum superantem, in se continent. Vide, quæ notat *Abb. in rubric. ad tit. de vit. & honest. Cleric. Barbos. de appell. juris. verbo. Clerici. appell.* 51.

9. Et quæso, si hic respectus mere civilis, quà talis, Clericos foro Laicali subijcit, quo interim in angulo seponent dignitatem Clericalem, intuitu cujus, quo ad suam personam

totam exempti sunt à Jurisdictione Laicorum, ut dici non posit, vel debeat, aliquem in dignitate Clericali constitutum coram judice Laico conventum fuisse?

Ejusdem quoque valoris est altera ratio à *Suarezio* ibidem subjuncta, quasi propterea maximè conveniri tunc Clerici coram Judice sæculari posint, quod eô pactô, & conditione ad ejusmodi officia acceptentur. Jam enim suprà vidimus, quod Clerici neque volentes, neque inviti, quamdiu tales sunt, renunciare fori Privilegio posint. quomodo ergo pactum, vel conditio taliter acceptati Officij Clericum ligabit? foret enim hæc ultranea subjectio contra Immunitatem Ecclesiasticam Clericorum Ordini, ac Statui generaliter concessam, ut adeò minus bene etiam subjungatur ab eodem *Suarezio*, ejusmodi pactum & conditionem contra Immunitatem Ecclesiasticam non fore.

Parum itaque probat citatus Author his duabus rationibus pro contraria Sententia allatis, vel nimium, quia frequentisimi casus forent, in quibus Clerici foro Laicali subijcerentur, cum in quovis politico actu & contractu, quo ad eorum personas, respectus merè Civilis militet. Ergò ex illius Sententia Magistratui Civili subijciendi sint, quod verum non est.

COROLLARIUM SECUNDUM.

Ex eâdem materia cum allegatione mœstorum Eventuum ex historicis, eorum qui Clericos ad forum Laicale traxerunt.

SUMMARIUM.

Consuetudo, vi cujus Prælati tam regulares quam sæculares tenentur ratione bonorum temporalium, vel etiam debitorum, respon-

spondere in actione personali coram judice Laico, est contra Immunitatem ecclesiast. & gravissimis pœnis subjacet, neque eidem insistere quis potest, sine crimine Sacrilegij, & peccati mortalis incursu. n.1. & 2.

Qui Ecclesiam, & consequenter Ecclesiæ caput, non audit, neque eidem paret, est sicut Ethnicus & Publicanus. n.3.

Ob oppressam Ecclesiæ, & Ecclesiasticorum Immunitatem principes sæculares bellis, alijsq; malis frequenter à Deo castigantur. n. 4.

Imperatores Orientis ex eo, quod personas Ecclesiast. ad sua tribunalia cogerent, contra Ecclesiæ Immunitatem jure Divino eidem competentem, justo Dei judicio Imperium amisere: teste Spondano ad annum Christi 1148. numer. 5.

Emanuel Orientis Imperator, jamjam bello petendus, ut numen sibi reconciliaret, bullâ promulgatâ Immunitatem, quam invaserat, Ecclesiis restituit eod. num.

Enumerantur aliquot Imperatores, qui feliciter regnârunt, eo quod essent Immunitatis, & privilegij fori, Clericis de jure Divino competentis, admodum observantes. n.6.

Ludovicus pius Imper. 33. annis piacularibus flammis excoquitur. n.7.

Sicut Principes sæculares valdè ferunt indignanter, casu, quo illorum jurisdictio invaditur, ita cogitent Deum non passurum, impunè involari suam, & suæ Ecclesiæ jurisdictionem. n.8.

Olim ex mente SS. PP. non tantum Clericorum, sed & Laicorum Christianorum causæ cognoscebantur ab Episcopis. n.9.

Hoc fori Privilegiū jam olim etiam ab Imperatoribus Clericis indultum est. n.10.

Valentinianus Imp. ob ereptum Clericis fori Privilegium graviter flagellatur à Deo per Attilam. n.11.

Allegantur Concilia antiquissima, quæ stant per Privilegio fori quantum ad Clericos. n.11.

Consuetudo, quâ nixi sæculares foro suo subijciebant personas Ecclesiast. semper est damnata ab Ecclesia. n.12.

Contemptus Immunitatis, via est ad hæreses seminandas, demonstratur exemplis. n.13.

I.

EX quibus tam hic quam superiùs deductis, liquidò colligis, quàm directò contra Sacros Canones consuetudo

paſsim in noſtrâ Germaniâ malè inolita ſit, quâ Prælati Eccleſiarum, tam regularium, quam ſæcularium tenentur, etiam in perſonalibus actionibus, coram ſæculari Judice reſpondere. Sicut hodieque paſsim per Provincias, noſtræ, præſertim Superioris Germaniæ, obſervatur, ut Prælati quo ad debitum aliquod, quantumcunque modicum, conventi, coram Laicis reſpondeant, imò nonnullibi ſtatuto etiam municipali, quo ad hoc ſancitum eſt, & palam in alijs locis, etiam Religioſiſsimis aliàs Principibus ſubjectis conſuetudine & foro receptum, ut dicti Eccleſiarum Prælati, nolentes volentes, etiam in perſonalibus actionibus, ſæcularium tribunalibus ſubijciantur, imò ſi ad Ordinariorum ſuorum Epiſcoporum vel aliorum Superiorum fora, & juriſdictionem provocent, mulctis pecuniarijs, alijsque pœnis deterreantur, incurrantque graviſsimam Principum offenſam, in quorum Provincijs degunt, ſicut ad hoc ſtabiliendum exempla non deforent, niſi eſſent nimis odioſa.

2. Quæ ſanè quomodo ſalvâ authoritate SS. Canonum, & Immunitate Eccleſiaſticâ, ac ſine mortali peccato, crimine Sacrilegij, atque metu, ac periculo certò incurrendæ excommunicationis, quotannis per Bullam in Cœna Domini in violatores Immunitatis ejuſdem vibrari ſolitæ, fieri poſsint, ego non video, cum, ut notatur etiam *in c. Eccleſia S. Mariæ. de conſtit.* Laicis ſuper Eccleſijs, & Eccleſiaſticis perſonis, nulla ſit attributa facultas, quos obſequendi manet neceſſitas, non authoritas Imperandi. ut ibidem loquitur Innocentius Papa tertius.

3. Et ſi tibi ſicut Ethnicus & Publicanus habendus eſt, qui Eccleſiam non audierit, *Matth. 18.* quo in numero eos accenſebis, qui luculentis Eccleſiæ, & Summorum

morum

morum Pontificum præceptis & determinationibus, vi & vigore Juris Divini factis, tam pertinaciter facto, & verbis contradicunt?

4. Certè hæc Semina sunt, unde magnam malorum messem, Principes de amplificandâ jurisdictione territorij Laicalis pessimè persuasi, in Respublicas miserrimè inferunt. Tot bellis aliquando justo Dei judicio attriti, tot Provincijs, & civitatibus Ditioni suæ hostiliter ereptis, non agnoscunt manum Dei flagellantem, & vindicantem Ecclesiam, atque oppressam Ecclesiasticorum Immunitatem. Ecce *Balsamone* teste *in Synodo septima c.* 12. dum tractat de Canone decimo quinto Concilij Carthaginensis, quo agitur, de non trahendo Clerico ad Laicorum tribunal, ait: illum Canonem palàm contemptum esse à Græcis, multosque non solùm ex Laicis, sed etiam Ministris Sacris, Episcopos, Clericos, & Monachos ad sæcularia tribunalia, (ut hodieque fit) nolentes, cogere impunè consuevisse.

5. Quibus luculenter ostendit, ut asserit *Spondanus:* ad *annum Christi* 1148. *num.* 13. ad ima prorsus jam tunc demersa fuisse Ecclesiastica Jura, unde opus fuit, ulciscente Numine, Imperatores Orientis privari Imperio, & redigi in servitutem, cum tanta impietate usi cogerent Ecclesiam sibi ipsis subijci servitute. Discantque hinc Principes Occidentales, pro ipsis rem agi ab Episcopis, cùm, quod suum est, vendicant ab eorum manibus censuris Ecclesiasticis. Hæc *Spondanus*, cum citato *Balsomone*, teste horum oculato. Hinc *Emmanuel* ejusdem Orientis Imperator, cùm se peti à *Rogerio* Siciliæ Rege ingenti classe videret, ut divinum Numen sibi reconciliaret, quod gravissimè offenderat, lege latâ quâ passim in Immunitatem Ecclesiasticam grassabatur, indictione undecimâ, mense *Februario*, ad *eundem annum Christi* 1148. auream Bullam promul-

mulgavit, quam ab effectu Medicatricem appellavit, & rescidit (quo rebus suis melius consuleret) quæ antè in Cleri & Ecclesiarum præjudicium impijssimè sanxerat: Cujus exemplo utinam nostri Cleromastiges saperent!

6. Certè quotquot Imperium feliciter administrârunt, ut Constantinus, Theodosius, Honorius, Carolus Magnus, Ludovicus ejusdem Filius, & plures pijssimi Reges & Imperatores Immunitatem Ecclesiasticam Religiosissimè coluerunt. De Constantini Cultu, *c.1.* diximus. De Theodosio, & Honorio res nota apud Historicos est, præsertim *Baronium*, & ex eo *Spondanum, ad annum Christi* 381. & sequentibus. Quantum verò Carolus Magnus Episcoporum foro, exemplo ejusdem Theodosij Magni detulerit, *idem Spondanus ad annum Christi 801. probat ex. c. 281. Capitul. Franc. lib. 6.* Et testantur Consilia passim celebrata sub Ludovico verè pio, Magni Caroli Parentis, non degenere Filio, quantùm Ecclesiæ, & Ecclesiasticorum Immunitatem, cultum, & disciplinam cordi semper sibi duxerit.

7. Quamvis, ut obiter hoc interseram, triginta tribus Annis piacularibus flammis excoqui debuerit, quod, cæteroquin Religiosus, conniventior aliqua *teste Pithao*, contra Legem Dei fieri permiserit in regno suo. Viderint ergo illi Principes, quibus ignibus animam suam post fata destinent, qui contra Legem Dei, & Ecclesiæ sanctiones apertas, Immunitatem ejusdem, Statutis & Constitutionibus tam audacter pessumdant, male sentientium, & adulantium consilijs persuasi.

8. Ecce, quid indigniùs ferunt Principes, quàm à vicinis Jurisdictionem suam usurpari? Injuriam ferro vindicandam

sæpesæpius arbitrati. Et quo illi Jure jurisdictionem nacti? nisi prærogativâ Successionis & Heredij, titulis solo jure Civili quæsitis. Et interim cùm jure Divino, ut vidimus, cùm tot sanctionibus Pontificijs, tot Imperatorum privilegijs, tot sacrorum Conciliorum Constitutionibus, & Patrum Ecclesiæ Doctorum Sententijs in Clericos & Clericorum causas sæcularibus Jurisdictio omnis abrogata sit, quæso quâ conscientiâ eandem sibi arrogant? Et qui lædi Jurisdictionem suam, ingentem injuriam rati, quoquô modô eandem ulciscuntur, suam, & suorum Pontifici censuris persequenti indignentur? Intolerabile videbitur, Jus Civile, solâ voluntate humanâ, principio labili, & multis erroribus exposito nixum violari, ac Jus Divinum, æternum, & stabile, ac constitutiones Imperatorum, Pontificum, Consiliorum, &c. negligi jocus erit, nec res indigna, & periculo perdendæ salutis æternæ plena. Lege post ea, quæ *suprà disput.1. c 2. de Immunitate Clericis jure Divino concessa* diximus, *Spondanum in epitom. annal. Ecclesiast. Baronij. ad annum Christi 57. num.*10. & luculenter intelliges: ex *Clemente 2. constit.49. & seq. Epiph. hær.45. & 70 Chrysostom. homil.16. in. 1. c. Corinth. Theod. in.*1 *Corinth. 6 c. Ambros. ibidem. & epist.49. ad Marc. Augustin. de op. Mon. c.29. & in Psalm.*118. *conc.74:*

9. Mentem fuisse Apostoli, Sacerdotes, & Episcopos judicijs præficiendos; Eandemq; reipsâ Episcopos exercuisse judiciariam potestatem, ut etiam causas sæculares litigantium tunc Christianorum audirent ac definirent, vel ut male à sæcularibus Magistratibus tractata retractarent. Omitto retexere, quæ ibidem satis fusè de hac potestate Laicis abrogata, ac Ecclesiæ à Christo concessa, & addita, testimonijs Scripturæ, & SS. Patrum confirmata. Imperatorum Decreta notoria sunt, & relata *in Cod. Theodos. de Episc. & Cler. de Episc. jud.* & alibi. &

meminimus etiam in fine hujus tractatûs Legum & Constitutionum Imperialium, quibus Augustissimi Cæsares hanc Immunitatem Clericis indulsêre.

10. Certè pijssimus Imperator Honorius, ut legitur cit. *Cod. Theodos. de Episc. & Cler. L. 40. &* 41. assertis verbis sancivit: Ne Clerici apud alios Judices, quam Episcopos postularentur. Non nescio *Valentiniani Imperat.* Novellam. *tit.* 12. *de Episc. jud.* quâ omne sustulit judicium Ecclesiasticum, nullamque voluit esse Clericis fori exceptionem. Sed quæ mala inde in Imperium sibi conscijt? Vindice numinis manu flagellum in Sacrilegum Imperatorem vibrante. *Attila*, etsi antè maxima jacturâ in Gallijs Cœsus esset, ex peccatis *Valentiniani* mox viribus auctus, Nobilissimas Italiæ Civitates, paulò post occupavit, ac diruit, Romam quoque subacturus, nisi *Leonis* Max. Pontif. insignis pietas debitum hoc Imperatori flagellum ab Vrbe clementer avertisset. ita *ex Baronio Spondan. ad ann.* 452. *num.* 7. *&* 8.

11. Pontificum Decreta non allegamus, nota sunt etiam invidentibus adversarijs. Conciliorum textus aperti & plures sunt. Calcedonense *Canon.* 9. hæc habet: *Si Clericus adversus Clericum habet negotium, non relinquat Episcopum suum, & ad sæcularia judicia non recurrat.* Agathense *Canon.* 32. ita loquitur. *Clericum nullus præsumat apud sæcularem Iudicem, Episcopo non permittente, pulsare.* Idem dicitur in Concil. Carthaginensi. 3. *Can.* 8. Toletano. 3. *c.* 13. Matisconensi. *Can.* 8. Aurelianensi. *tertio. Annuentibus Francorum Regibus. Canon.* 29. Milevitano. *Canon.* 13. Quid dicam de SS. Patrum Sententijs? legat, si cui vacat, *Gratiani nostri* allegatas quæstiones & causas, ac capitula à *Gloss. ad titulum de Immunit. Ecclesʃ.*

Eccles. & affatim habebit, quod admiretur. Certè *Sulpitius Severus. histor. sacr. lib.2.* Author est: S. Martinum Episcopum aliquando concionantem peroràsse: Novum, & inauditum nefas esse, ut causam Ecclesiæ Judex sæculi judicet. Et quid aliud *Ambros. 78. ad Theophil. & S. Augustin epist.162.* clamant, quàm sartam tectam esse debere Immunitatem Ecclesiarum, ac fori Privilegium Clericorum?

12. Quantum verò consuetudo valeat, quâ se vel excusare, vel defendere satagunt, qui ita palàm, & notoriè contra Immunitatem Ecclesiasticam & fori Privilegium grassantur, inferiùs dicemus. Certum est, Ecclesiam ejusmodi usurpationem jurisdictionis in Clericos, quantùm ad actiones personales à Laicis attentatam, semper damnavisse, Sicut testis est *Suarez lib.4. de Immunit. Eccles. c.34. n.32.* consuetudinem, quæ etiam ante Schisma in Anglia vigebat, quatenus Rex, vel ejus ministri Clericos judicarent in actionibus Civilibus, etiam personalibus, à Rotâ Romanâ, supremo Orbis tribunali, damnatam esse.

13. Et utinam hic contemptus Immunitatis, ac Ecclesiasticæ Jurisdictionis & Juris usurpatio, non malè sana præludia sint ad tristem hæresûm Tragædiam ludendam. Certè, si Historicis fidem damus, hæc præambula Hussitarum in Bohemiâ, & Moraviâ, Wickleffitarum in Angliâ, Lutheranorum in Germaniâ, Calvinistarum in Galliâ, & reliquæ fæcis Hæreticorum passim fuère, quibus velut in proscænio eliminandæ Orthodoxæ fidei præluderent. Lege *VVenceslai Hagecij Chronicum de rebus Boemicis. Nicolai Harpsfeldij historiam Anglicanam. Laurent. Surij Commentarium de rebus gestis ab anno Christi 1500. Michaelis Maucleri Monarchiam*, & intelliges, semper ijs in Regnis ac Provincijs antè gravissimè contemptos Clericos, protritam Immunitatem Ecclesiasticam, ac concultatam

esse, quàm justo Dei judicio ejusmodi Regna in pœnam neglectæ, ac contemptæ unicæ suæ Sponsæ Ecclesiæ, ac ejusdem Ministrorum, à se fataliter proijceret, æterno exitio damnanda. Habeo penes me orationem, typis vulgatam tempore *Maximiliani I* Imperatoris, pudet, vel primis, ut ajunt, labris delibare, quâ crudelitate, quô contemptu, & turpitudine passim impune grassatum in Clericos & Sacerdotes sit. Vt adeo nemo, quod miretur, habeat, si ab his malis ovis, malos quoque corvos, & Hæreticorum sanguinaria examina inde prognata, hodie ingemiscat. Sed sat sit interim tristium næniarum, nos materiam nostram Juris prosequamur.

CONTROVERSIA QVINTA.

SVMMARIVM.

Clericus pro contractibus & obligationibus, tempore quo erat sæcularis, initis, coram sæculari conveniri posse, tenent nonnulli, n. 1.

Negativa tamen, Conveniri coram Laico non posse, à pluribus tenetur, & est de mente SS. Canonum. n. 2.

QVintò tametsi non desint, qui teneant, Clericum conveniri coram Laico posse, pro contractibus & obligationibus, tempore, quo erat sæcuris, initis, teneo tamen *cum Diana. p. 4. tract. 9. resol. 23. & Barbos. ubi suprà. n. 128.* alijsque ab ijsdem citatis, necessariò Judicem Ecclesiasticum etiam hoc casu adeundum esse, ob rationes paulò superiùs allegatas.

2. Et ita decisum fuisse in Sacro Concilio Neapolitano *Anno 1625. testatur idem Diana.* ut adeò pluribus immorari necessum non sit.

CON-

CONTROVERSIA SEXTA.

SVMMARIVM.

An Prælati Ecclesiast. & Clerici in Curia sæculari Provinciæ, vel Principis possint ad solvendas steuras conveniri, & urgeri, sicuti passim in Germaniâ ad tributa, & census annuos solvendos, ex bonis immobilibus, & prædijs ad eorum Ecclesias, & monasteria pertinentibus coguntur. n. 1.

Pro Sententia affirmativâ, est inveterata consuetudo Patriæ. n. 2. & allegantur plures rationes politicæ. n. 3.

Steuræ imponi solent duplici modo: primò, habendo principaliter respectum ad personas. Secundò, habendo principaliter respectum ad res. Deinde habendo principaliter respectum ad res, steuræ quotannis imponi solitæ vel sunt certæ, stabilites, & invariabiles, vel sunt incertæ, variabiles, & instabiles. n. 4.

Ponuntur exempla utriusq; generis. num. 5.

Affertur Sententia communis pro casu utriusq; generis steurarum. num. 6.

Non valet statutum quo ad Clericos obligandos, ut omnis possessio, ad quemcunq; devenerit, ad solutionem pensionis quotannis præstandæ, pro ut Princeps, vel Provincia decreverit, faciendam obligata sit. n. 7.

Consilium Bartoli pro ejusmodi statuti valore concinnatum, ab omnibus damnatum est, tanquam contra Immunitatem Ecclesiast. militans. n. 8.

Persona ecclesiast. sicut ex fundis, qui antequàm ad eorum Ecclesias deferrentur, steuras tantùm variabiles & incertas solverant, de jure SS. Canonum nihil solvere tenentur, ita à fortiori coram sæculari Magistratu propterea conveniri non possunt. n. 9. & 12.

Minus possunt Clerici, qui nullatenus tenentur ad steuras intuitu personæ imponi solitas, earum ratione in foro sæculari conveniri. num. 10.

Tertiò sicut Clerici, & eorum prædia, ubi semel ad eos, & eorum Ecclesias transierunt, non possunt novis pensionibus à sæcularibus gravari, ita neque ob hoc conveniri vel molestari apud sæculares magistratus. n. 11.

Sine ullo titulo justo, & cum reatu

 peccati

peccati mortalis, & excommunicatione certò incurrenda hodie indifferenter tam variabiles quã invariabiles steura exiguntur à personis Ecclesiasticis ratione bonorum ad Ecclesias eorum pertinentium per Magistratus saeculares, maximè si illa à Principibus liberè ad Ecclesias transierunt, quorum nunc Successores novis exactionibus onerant. n. 13.

Respondetur ad rationes in contrarium superius allegatas. n. 14. 17. 18. 19. 20.

Princeps, licet fortè ex indulto Apostolico ei praestare steuras persona aliquot Ecclesiast. teneantur, nihilominus tamen propterea ad forum suum trahere non potest. num. 15. & 21.

Quomodo connexorum est idem judicium. n. 16.

Examinatur ratio Suarezij, qui putat, quod, si bona Ecclesiis cum hac conditione tradita sint, ut possessores Ecclesiast. desuper respondere Laico judicialiter teneantur, valeat ejusmodi conditio, & implenda sit ab personis Ecclesiasticis. 22. & 23. Refutatur hac opinio Suarezij. n. 24. 25.

Author non condemnat saeculares, de facto Clericos ex actionibus gravantes, cogentesq; coram se desuper in foro Laico respondere, sed remittit ad Ecclesia determinationem, & Dei judicium. n. 26.

Qua ratione & respectu excusari aliquatenus posse videantur hoc casu Laici Clericos contribuantes. n. 27. & 28.

Idem deciditur quantũ ad Ordinarios Provinciarum Deputatos, quando nimirum excusari posse videantur hoc casu. n. 29.

Quoties bona feudalia sunt, qua tenentur à Clericis, non est illicitum eos cogere coram tribunali Domini Senioris Laici respondere. n. 30.

Hodie tamen passim & indifferenter coguntur persona Ecclesiast. coram Laicis ratione bonorum suorum respondere, solis poenè caussis merè spiritualibus foro Ecclesiastico reservatis, cum gravi Immunitatis Ecclesiast. praejudicio. n. 31.

SExtò cum passim notum sit, Clericos & Ecclesiarum Praelatos, etiam regulares, bona immobilia, ac praedia possidentes, urgeri quotannis ad steuras, tributa, vel census annuos Provinciae vel Principibus solvendos.

1. Quaeri

1. Quæri etiam poteſt, an ad hæc debita expedienda, ſi moram faciant, vel tergiverſentur, conveniri in Curia ſæculari Provinciæ, vel Principis poſsint, vel potiùs coram Judice Eccleſiaſtico deſuper reſpondere teneantur. Pro affirmativâ, quod deſuper à ſæcularibus judicari poſsint, eſt praxis, & inveterata conſuetudo.

2. Deindè, ſi Princeps vel Provincia poteſt exigere, videtur etiam ad hoc judicialiter compellere poſſe. Sunt enim hæc connexa, & cui conceſſum eſt antecedens, videtur conceſſum & conſequens, ſine quo id eſſe non poteſt. *L. ſi cui legatum. ff. de condit. & dem. on.* Tertiò foret res admodum ardua, & difficilis, ſi recurri hoc caſu ad Eccleſiaſticum Judicem deberet, tum quia circa debita ſteurarum, quæ Principi vel Provinciæ debentur, informati non ſunt, & exiguam in hoc praxin habent.

3. Tum quia Eccleſiaſtici plerumque juvant, & fovent Eccleſiaſticos, & ſic facilè contingere poſſet, ut ob favorem, affectum, & reſpectum contra Principem vel Provinciam Sententiam dicerent pro Clericis, in præjudicium Reipublicæ. Vltimò, quia Principes territoriales, quo ad temporalia videntur indifferenter in omnes habere fundatam Jurisdictionem, ſicut etiam id de facto paſsim practicatur: & quomodo tolerare poſſent, ut Eccleſiaſtici Judices ſciant, vel curiosè indagent in annuas Ducatûs ſui, vel Provinciæ obventiones & reditus, quæ tamen de Secretis Principum ſunt?

Antequam in hâc Controverſiâ mentem meam aperiam:

4. Præmitto, certum eſſe: primò, ejuſmodi Steuras, vel Contributiones, aut annuos Cenſus, imponi ſolere vel intuitu, aut habito reſpectu ad perſonas, vel intuitu aut habito reſpectu ad res.

5. Secundò, quod dictæ Steuræ, imponi ſolitæ quotannis,

nis, vel sint certæ, stabiles, & invariabiles, aut incertæ, & variari solitæ. Primi generis sunt, die gewöhnliche Leibsteur/ oder so die Underthanen von Hauß und Hoff/ und andern unbeweglichen Gütern zuthun schuldig seyn. Secundi generis exemplum esse potest. Primò, si, v. g. ex uno prædio Rustico, vel Curte, ut vocant, medium florenum certô, & invariabiliter quis solvere ex titulo à Jure approbato quotannis teneatur, quicunque denique illud prædium, vel curtem possideat, vel, ut æstimatis omnibus bonis immobilibus, ex centenis solidis vel florenis, aliquis teneatur. v.g. quinque vel sex immutabiliter præstare, Principi, vel Provinciæ. Aut si Secundò nihil certi ex uno prædio, vel æstimatis bonis pendatur, ut: hoc anno medius solidus, post triennium, duo Imperiales, &c.

6. Et communis est Sententia Canonistarum, ut videre est apud *Abbatem in. c. Ecclesia S. Mariæ. de constit.* quod, si pensio certa, definita, & invariabilis sit, præstanda ex prædio, vel fundo, tunc ejusmodi possessiones transeuntes ad Ecclesiam vel Ecclesiasticos, huic oneri subjectæ maneant: ut colligitur *ex. c. si tributum. c. magnum. 11. q. 1. & c. tributum. 22. q. 8.* transit enim res cum onere. ut ex utroq; jure constat. *L. alienatio. ff. de contrah. empt. L. si divina. Cod. de exactorib. tribut. lib. 10. c. cum non sit. c. pastoralis. de decim. c. ex litteris. de pignor.* quod si verò variabilis sit, & de facto sæpius mutata, ut ut solita sit exigi, ex prædijs, vel bonis immobilibus ejusmodi pensio, tunc nullatenus eò in casu, quo dicta bona, vel prædia in Ecclesias, vel Ecclesiasticos transferuntur, hoc onus secum trahent, eò ipso quod certum & invariabile non sit. Multo minus si impositio steuræ solo habito respectu ad personas fieri solita fuerit. Hinc neque valeret statutum, vel sanctio municipalis Provinciæ (quantum ad obligandos Clericos) quo definiretur, ut omnis posses-

possessio ad quemcunque devenerit, ad solutionem pensionis, singulis annis præstandæ, pro ut Princeps vel Provincia decreverit, faciendam obligata sit.

8. Propterea cum *Bartolus*, ut refert *Azor. tom. 1. lib. 5. c. 13. q. 1.* in idem argumentum Consilium dedisset, illud reprobatum postmodò ab omnibus est, tanquam læsivum, & præjudiciale Immunitatis Ecclesiasticæ.

9. His igitur præmissis: Respondeo primò, quòd, sicut communiter Steuræ ex fundis solvendæ, variabiles & incertæ sunt, consequenter ratione ejusmodi fundorum ad Ecclesias & Ecclesiasticos translatorum, Clerici de Jure nihil solvere tenentur, ita etiam à fortiori coram sæculari Magistratu propterea conveniri non possint.

10. Respondeo secundò: idem dicendum esse de Steuris ratione, & intuitu personarum indictis & solvendis, eo ipso, quod personæ Ecclesiasticæ non subsint Laicis, nec in foro sæculari conveniri possint.

11. Tertiò: æque indubitabile esse, quod, sicut Clerici, & eorum prædia, ubi semel ad eos & eorum Ecclesias transierunt, novis pensionibus gravari à Principe Laico non possint, sine consensu Sedis Apostolicæ prius impetrato, ita neque ob hoc conveniri apud sæculares Magistratus valeant.

Quartò: quantum ad propositam controversiam, tametsi sciam passim cogi Ecclesiasticos ad annuos census ex prædijs & possessionibus eorum indifferenter solvendos:

12. Dico tamen, nisi liquidò doceri possit, jam antequàm ad Ecclesias ejusmodi prædia deferrentur, ex ijs dictam Steuram vel censum potius invariabiliter, & definitè præstari solitum esse, vel ab immemoriali tempore ab Ecclesiasticis solutum, Principes ex postfacto, ubi semel dicta bona immobilia ad Ecclesias transierunt, novis exactionibus amplius gravare

sine peccato mortali, & incurrendâ excommunicatione non posse, non attento, quod, antequàm transferrentur ad Ecclesiasticos, Steuris & Contributionibus ejusmodi prædia subjacuerint, modò illæ invariabiles, certæ, & definitæ non extiterint, consequenter ubi à personis Ecclesiasticis ostendi poterit, sua prædia ac bona immobilia olim libera à contributionibus extitisse, quod & de jure præsumitur, vel certam ac definitam pensionem ex ijs non solvisse, sed variabilem, etiam ab antiquo, antequàm ad Ecclesias talia prædia transferrentur, fuisse; de jure à sæcularibus, etiam Principibus, ad contribuendum cogi non poterunt.

13. Ratio fundamentalis est, quia, ut supponitur, pensio ex prædijs eorum solvenda, certa, definita, ac invariabilis non fuit, antequàm transferrentur ad Ecclesias. Consequenter à fortiori intelligis, quam sine ullo titulo justo, à Prælatis Ecclesiarum ob eorum bona Immobilia, de quibus constat, liberè & sine ullo onere ad eorum Ecclesias transijsse, hodie passim exigantur Steuræ, & Contributiones à sæcularibus, à quibus tamen & de jure Divino & Canonico, ac Civili liberi sunt, præsertim cum pleraque bona immobilia non à subditis, sed ipsis Principibus, Regibus, ac Imperatoribus liberè donata, ac collata in animarum suarum remedium, Ecclesiæ possideant. Ergo sicut ipsi Principes Immunes à Steuris illa tenuerant, ita sine dubio libera ab ijsdem in Ecclesias transtulerint.

14. Quantum ad rationes in contrarium allatas attinet; Dicimus primò: ejusmodi praxin, & consuetudinem inveteratam nihil excusare sæculares, cum potiùs corruptela sit, & juri Divino, secundum quòd Clerici Immunes sunt ab ejusmodi contributionibus, derogare non possit.

15. Respondeo secundò: etiam eo in casu, quò sæculares exigere Steuras, & pensiones annuas à personis Ecclesiasticis de

de jure, vel ex indulto Sedis Apostolicæ possunt, nihilominus tamen propterea ad forum suum trahere non valere, nisi expresse hoc illis per Sedem Apostolicam concessum foret. Sunt enim ejusmodi concessiones Pontificiæ strictè interpretandæ, utpote odiosæ, & Immunitati Eccles. præjudiciales.

16. Ad id, quod ex jure Civili allegatum est: quasi connexorum sit idem judicium, & qui habet potestatem antecedentis, habeat & consequentis. Dico: verum esse ordinariè loquendo. Hic autem in proposito quando unum licet solùm ex merâ gratiâ & indulto, non statim licebit & alterum, quod ex eâdem gratiâ & indulto concessum non est, maximè si separabilia sint, ut in proposito, & sufficere debet, quod Princeps, eo in casu, quô accipere Steuras ab Ecclesiasticis potest, ad easdem contribuendas eos per judicem Ecclesiasticum compellere possit, & pro hôc expressus est textus *in. c. adversus. &. c. non minus. de Immun. Eccles.* sicut ibidem communiter docent Canonistæ.

17. Ad tertium dico: rem tam arduam non esse, ut, si modò exhibeatur indultum Apostolicum, compelli per Ecclesiasticos judices Clerici ad contribuendum non possint: & docet hoc praxis antiquissima, quâ de Jure SS. Canonum soli Ecclesiastici judices Clericos ad contribuendum compulêre.

18. Quod autem subjungitur: Clericos juvari à Clericis, & sic illud cedere posse in præjudicium Reipublicæ: frivola excusatio est; habebunt enim sæculares Principes recursum ad Pontificem, si quid non rectè decidatur. Et cum de Jure notum sit non ex uno textu, Laicos plerumque Clericis esse infensos, nunquid meritò recurrent Clerici ad suos Judices, ob periculum, ne nimis, & contra justitiam graventur? quod utinam non constaret experientiâ.

19. Ad ultimum dico: nullo Jure probari, quantum ad temporalia, quæ personarum Ecclesiasticarum sunt, Principes sæculares habere fundatam jurisdictionem, cùm contrarium de Jure SS. Canonum indubitanter decisum sit, & in subsequentibus, cùm de Privilegio fori in actione reali agemus, demonstrabimus.

20. Neque tam curiosi judices Ecclesiastici sunt, ut velint in secreta principum indagare, quibus sufficit, si subditas sibi personas Ecclesiasticas à nimio gravamine sæcularium tueantur, sicut possunt, & debent ex præscripto sacri juris Canonici. Si de facto aliud practicatur, parùm movere debet, cùm non quid de facto fiat, sed quid de jure faciendum sit, attendi oporteat, & propè abest, ut si, quid de facto fiat, spectandum sit, Dei Decalogum abrogatum esse dicere opus sit, cùm passim, & sæpe impunè, contrarium fiat, & practicetur.

21. Cæterùm idem *Diana*, suprà citatus pro nostrâ Sententia *tract.3. p.4. resolut.60. cum Trident. Sess.24. c.70.* tenet *per tex. c. si diligenti. de foro compet. c. nullus Clericus. c. placuit. c. nullus Episcopus. 11. q.1. c. at si Clerici. & quæ not. Abb. in suâ repet. ad idem. c. de Judicijs. c. sæculares. de for. compet. in. 6. & auth. statuimus. Cod. de Episc. & Cler. & ibi Barbos.* etiam hoc casu, ut ut accipere Steuras Laici Principes à personis Ecclesiast. valeant, compelli à sæcularibus non posse, vel in suo foro eos propterea convenire, cùm etiam in Civilibus exempti sint Clerici à jurisdictione Laicorum.

22. Tametsi autem allegatum modo *Dianam* aliquo modo dubium faciat, ratio à *Suarezio* apud eundem allegata: quasi ejusmodi bona sub ejus tenoris conditione Ecclesijs, & Ecclesiasticis concessa sint, ut desuper Laicis respondere etiam in actionibus personalibus teneantur, me non admodùm movet.

23. Vel

23. Vel enim illa concesſio taliter Eccleſiæ facta, per modum Feudalis donationis ac beneficij eſt, & res difficultatem non habet, tunc enim cum id SS. Canones approbent, ut deciditur *in. c. novit. & c. cæterum. de judicijs.* quo ad ejuſmodi bona feudalia etiam in perſonalibus conventionem Clericorum coram Domino feudi Laico, non eſt quod opponamus.

Vel bona Eccleſiæ ſimpliciter, ſine expreſsione qualitatis feudalis, ſunt donata, prævià tamen hac conditione per Pontificem approbatâ, & iterum res ſcrupulo caret, exercebit enim tunc Laicus juriſdictionem hanc ex indulto Pontificis, quod fieri poſſe, indubium eſt.

24. Vel ultimò reſervavit ſibi Laicus donator, aſſentiente Clerico donatario, cauſæ hujus cognitionem, etiam quo ad actiones perſonales, ſine conſenſu Summi Pontificis. (Epiſcopi enim conſenſum non ſufficere putamus, tum quod juris Divini hæc ſit Immunitas, cujus diſpoſitio & diſpenſatio ſolius Pontificis, tanquam Chriſti in terris Vicarij eſt, & cui hoc reſervatum, teſte Abbat. *in. c. Eccleſia. S. Mariæ de conſtit. n. 5.* eſſe dignoſcitur) & nullam dicimus futuram eſſe reſervationem, cum pactis privatorum, quæ in utilitatem publicam, & communem Clericorum favorem introducta ſunt, derogari non poſsit, neque etiam in jure Canonico textus ſit, per quem ejuſmodi conditionis appoſitio comprobetur.

25. Nam quod teſte *Diana* ad hoc à *Suarezio* allegatur. *c. Verum. de condit. appoſit.* nihil ad rem facit. Sermo enim ibi eſt de talibus pactis, quæ contra jus Canonicum, & maximè jus Divinum non ſunt; atque videtur abſurdum, ſæcularem hoc pacto de Jure non probato, captare, & quaſi mercari Juriſdictionem in perſonam Clerici poſſe, quem maximè in perſonalibus actionibus, tam jus Divinum, quàm Canonicum & Civile exemit.

Et tametsi quis sibi Jus in re, ultrà quam illa necessaria ad dotem sit, Ecclesiæ donatâ reservare possit, ut communiter docent Interpretes, per ea, quæ *Molina. de Iur. & Iust. tom.1. tract.2. disput.172. n.3. Leyman. de Immunit Eccles. c.5. num.4. c. præterea.23. de jure patron. ibi Abb.& in c.1.de censibus.ibid. Hostiens. tradunt* non tamen potest Jus in personam Ecclesiasticam, ad quam res transitura erit, occasione factæ donationis quærere, eô ipsô quod persona nunquam ipsius Juri subjecta fuerit, sicut tamen res, in quâ sibi Jus reservavit, erat, dicatque Clericus intrinsecam improportionem, & incapacitatem quo ad suam personam, subjectionis Laicalis, adeò ut ad eam habilitari nonnisi per Summum Pontificem possit.

26. Cum itaque ex præmissis tot particularibus quæsitis luculenter videamus, in plurimis casibus principes & Magistratus sæculares usurpare contra Decreta SS. Canonum Jurisdictionem in Clericos, condemnabimusné eos peccati mortalis, ac violatæ Immunitatis Ecclesiasticæ, & incursæ Excommunicationis? cum præter casus superiùs allegatos, & magis disputabiles, palàm videamus Clericos, Prælatosque de facto teneri de bonis ad illorum Ecclesias spectantibus Steuras & Tributa, etiam inconsulto Summo Pontifice, indifferenter pendere, ac conveniri coram supremis Principum sæcularium tribunalibus.

Respondeo: Ego neminem judico, est qui quærat, judicet, & damnet: habent Moysen & Prophetas, habent Ecclesiam, quam qui non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus. Et noverint illud Psalmistæ: Dominus Justitias judicabit, qui verè justus est, & rectum judicium ejus.

27. Quod si tamen aliqua ex parte excusare exactionem ejusmodi Steurarum, vel magis pensionum annuatim factam à Laicis circa bona & personas Ecclesiasticas volumus, creden-

dendum est, propterea personas Ecclesiasticas ad Steuras modò etiam sæcularibus teneri, quod bona, quæ nomine Ecclesiarum possident, tali onere reali affecta fuerint, antequàm ad Ecclesias transirent, donata. v. g. à subditis, quæ certam, ac definitam, & invariabilem pensionem solvere ab antiquo, Principi, vel Provinciæ obligata erant. Transit enim res, ut audivimus, cum onere, NB. tamen quod non solverint præcisè, ut subditi illius territorij, sed ut vasalli, vel emphiteutæ, vel alio simili titulo: onus enim Steuræ etiam invariabilis debitum Principi vi solius Jurisdictionis, & non ratione dominij, ex aliquo fundo à Laico possessore non debetur amplius Principi, si fundus ille in Ecclesiam transierit, per ea, quæ dicemus. *disp 3. c.* 4. Ista tamen indubitantter semper ita intelligendo, ut illa onera vel pensiones præstitæ, antequàm prædia, quibus annexa erant, transferrentur ad Ecclesias, merè realia fuerint, certa, & invariabilia, non verò quod solita quidem fuerint imponi rebus, sed cum respectu ad personas, quatenus scilicet imponentis Steuras jurisdictioni subjectæ fuerint, sic enim tale onus non transmitterent in Ecclesias, ut bene notat. *Felin. in. c. Ecclesia S. Mariæ. de constit. n. 76. Azor. tom. 1. lib. 5. c. 13. q. 1. Leyman. cit. loc. de Immunit. Ecclesiast. c. 6 ex Abbat. & Innocent. in. c. cæterum. de judicijs c. 1. de censib. c. non minus. c. adversus. de Immunit. Eccles. & c. ultimo. de vit. & honest. Clerici. Molina. tom. 3. part. prior. tract. 2 disput. 661. & 672.*

Ratio est, quia cum ejusmodi res, quas ut supponendo diximus, subditi in Ecclesias vel Monasteria transtulerunt, recognoverint à Principibus in Emphiteusin, feudum, vel contractum censiticum, certè etiam simpliciter transferendo præjudicare Dominis directis non potuerunt, quo minus etiam illi ab Ecclesijs, ad quas ab ijs transierunt, onera prædijs inhærentia exigerent, ut diximus paulò superiùs.

28. Quod

28. Quod si tamen dicta prædia, vel alia bona immobilia ab ipsis Principibus, Regibus, vel Imperatoribus, sicut suprà aliquo modo insinuavimus, tanquam à Dominis directis, ut allodialia, & sua propria Ecclesijs simpliciter oblata fuissent, certè ad nullas amplius Steuras eorum Successores obligare possent.

Interim in dubio, quâ intentione, vel pacto oblata Ecclesijs fuerint, si ab immemoriali solitæ sint Ecclesiæ ex ejusmodi bonis certa tributa definita, & invariabilia pendere, vehems præsumptio foret, (accedente præsertim titulo, saltem colorato, & famâ) quod cum tali onere transierint, nisi contrarium evidentiùs probari posset, tum enim præsumptioni amplius locus non esset.

Hoc tamen singulariter semper animadverso, quod, si interim bona aliqua alia, ad Ecclesiam, vel monasterium. v. g. sine tali onere transiverint, illa in Matriculam censualem redigi à Principe, absque læsione Immunitatis Ecclesiasticæ non possint, per ea, quæ notat *Felin. ubi suprà. num. 77.*

29. Ex dictis incidenter intelligis, quando Ordinarij Provinciarum Deputati, vulgò die Herren verordnete Landt-Ständt/ justè vel injustè Steuras indicant, vel exigant à Clericis, & personis Ecclesiasticis, ut tunc justè accipere dicendi sint à personis Ecclesiasticis, quando ad eas prædia cum hoc onere alicujus certæ pensionis ac definitæ transierunt, injustè verò, si, cùm hæc bona feudalia Provinciæ non sint, nec Emphiteutica, vel censitica, ut supponitur, Steuris illa gravant, solvendis Provinciæ à possessoribus Ecclesiasticis, quod à fortiori procedit, si illæ extraordinariæ sint, id est communiter imponi non consuetæ, cum neque ordinarias pendere Clerici teneantur Principi terræ, nisi in quantum bona illorum, ut jam sæpiùs meminimus, hoc onere Steuræ certæ sive pensio-

nis

nis invariabilis affecta sunt, & ad eos sic affecta transierunt. Injustum autem esse, & sine peccato mortali, & incurrenda excommunicatione Bullæ Cœnæ Domini fieri non posse (quod tamen nostro tempore passim practicatur) ut Ordinarij Provinciæ Deputati Clericos, & Prælatos indifferenter novis & extraordinarijs exactionibus ac Steuris subijciant, non aliter, atque cæteros Status Provinciales Laicos, imò non rarò gravius onerent quàm ipsosmet sæculares, etiam sine omni præhabito consensu Summi Pontificis: Eò, quod ista qualitas: Statum Provincialem esse, (quod in effectu nil aliud esse videtur, als Landt-Güter haben/) non posit præjudiare Exemptioni & Immunitati personarum Ecclesiasticarum, sicut suprà fusè vidimus.

Quod si æquitas naturalis suadere aliquando videbitur, ut & personæ ejusmodi exemptæ contribuere teneantur, insinuari omnino Superiori illorum, & cujus est jus Divinum interpretari, vigore cujus Immunes sunt, Pontifici scilicet Romano princeps debebit, ut ille judicet prudenter, in quantum expensis circumstantijs, hic & nunc æquitati naturali deferendum sit, moderato ad tempus Immunitatis & exemptionis Privilegio; quod si negligatur, contemptâ Pontificis Romani authoritate, cujus solius ceu Christi Vicarij est, dispensare, mihi indubitatum est, ejusmodi Statuum Provincialium Deputatos, seu sæculares sint, seu Ecclesiastici, peccare mortaliter, incurrere excommunicationem Bullæ Cœnæ Domini, & teneri ad restitutionem indebitè exactorum. Sicut scio sacram Congregationem Cardinalium in casu præsentis difficultatis consultam, idem *anno 1659.* respondisse.

Cæterum quantum ad alterum attinet, quomodo scilicet Principes, vel alij sæculares excusandi sint, qui personas Ecclesiasticas ratione Steurarum non solutarum ad forum Laicum

trahunt, respondeo: Si excusare velimus, necessariò ad contractum feudalem recurrendum esse, dicendumque, quatenus ejusmodi bona, intuitu quorum Ecclesiastici coram Laicis conveniuntur, in talem contractum ac conventionem deducta, eodem onere ac obligatione feudali translata in Ecclesias, ac Monasteria fuerint, & consequenter etiam in personalibus, ratione istorum bonorum, vel pensionum restantium, & ex eadem obligatione feudali, Domino seniori debitarum, hodieque Clerici conveniri coram eodem Domino Seniore, vel Paribus Curiæ, pro naturâ & ratione litis ortæ, etsi Laici fuerint, possint, per ea, quæ notavimus ex *c. novit. & c. cæterum, de judicijs.* & dixi in meo *tractat. feudali. ultima. q.*

30. Quod si verò ejusmodi bona, quibus modò fruitur Ecclesia, vel Ecclesiastici, reverâ feudalia non sint, sed ex mera donatione, & prorsùs liberâ, in Ecclesiam vel Ecclesiasticos translata sint, neque antequàm transferrentur, onere solvendæ pensionis certæ, & invariabilis affectæ, tunc sicut à principe terræ, vel Statibus Provinciæ, ubi sita sunt, sine prævio consensu Summi Pontificis collectari, vel Steuris affici non possunt, tanquam bona cum personis Clericorum, quorum modò sunt in usu, in sortem Domini missa, & de peculio Christi & Ecclesiæ, ita neque personas easdem, Ecclesiasticâ Immunitate, & Privilegio fori gaudentes, sine consensu Sedis Apostolicæ ad forum suum Laicale, ratione Steurarum non solutarum trahere possunt.

31. Quamvis sciam indifferenter hâc facultate contra propriam conscientiam abuti Laicos, & sicut sine discrimine bonorum, sive jam Ecclesia titulo feudi possideat, sive ut allodium, Steuris onerant, ita oneratos illorum ratione Clericos, coram se respondere, mulctis & executionibus, ut vocant,

vocant, compellunt. Solis propè merè spiritualibus causis exceptis, quas Episcopis relinquunt, cæteris omnibus temporalibus ac civilibus. v. g. debitorum pecuniariorum, mercedum famulorum, & similium, ad forum Laicum vocatis.

CAPUT III.
De Privilegio fori in actione reali.

SVMMARIVM.

Clerici non tantum in actione personali, sed & in reali gaudent fori Privilegio, ita ut non nisi coram Iudice Ecclesiast. etiam cum de eorum bonis agitur, conveniri possint. num. 1.

Allegantur rationes & fundamenta pro ista Sententia. num. 2. 3. 4. & 5.

Textus & rationes adversariorum pro contraria Sententia. à n. 6. usque ad 12.

Respondetur ad textus & rationes in contrarium allegatas. n. 13. & 14.

PAtitur hoc Privilegium fori in actione reali, quantum ad personas Ecclesiasticas, tam multos adversarios, præsertim Laicos Juris Civilis Doctores, & principum sæcularium consiliarios, ut difficillimum sit numerum eorum inire, nec operæ precium, velle referre.

Tametsi igitur torrens Doctorum, maximè practicorum, & in foro ac consilijs principum quotidie versantium, contra nos inundet, plurimique etiam Theorici contrarium doceant, ut videre est per citatos à *Barbos. in tract. univers. Iur. Eccles. lib. 1. c. 39.* §. 2. *à num. 106.* & quos allegat *Aud. Geil. lib. 1. obser. 37. Mynsing. cent. 1. observ. 22. & cent 4. observ 95. Gulielm. Benedictus in. c. Reynutius. vers. uxorem. 2. num. 33. & seq. Tiraquell. de retract.* §. 22. *gloss* 1. *num. 81. & seq.* & quos refert *Gratianus discept. forens. c. 36. n. 39. & seq. Boërius latissimè decisione. 69. n. 22, & denique Cavallos. com. contra com. q. 36.*

1. Nos tamen contrariam Sententiam sequimur, certam in puncto Juris, tutam in conscientiâ, & Immunitati Ecclesiasticæ conformem, tenentque communiter Canonistæ, qui in hâc materiâ tanquam sui fori & professionis propriâ potiores sunt, & sequendi. Et ex Legistis *Albericus* acriter contrariæ Sententiæ authores insectatur. *in Authent. statuimus. num. 6. vers. in contrarium. Cod de Episc. & Cler. Ioann. Faber. in eadem Authen. Baldus. in. c. decernimus. de judiciis. Roland. à valle. cons. 12. num. 37. & consil 23. num 3. Rota. in antiquis. tit. de consuetudine. decis. 840. in ordine. & de for. compet. decis. 552.* dicimusque in actione etiam reali Clericos fori Privilegio gaudere.

2. Ratio pro nostrâ Sententiâ est (præter plurimas illas, quas suprà pro Immunitate probanda, etiam de jure Divino, indifferenter congessimus, ubi plures etiam textus in hoc sunt argumentum adducti) quod sicut persona Clerici, ita & bona illius immunia sint, & exempta à jurisdictione Laicali, cum sint accessoria illius personæ. per *L. in pecudum. ff. de usuris. L. 2. C. de Episc & Cler.* & quia quæ Religiosis adhærent, Religiosa fiunt. *L. quæ Religiosis. ff. de rei vind.* Vide pluribus *Leymannum*, qui in specie probat hanc tam personarum, quàm rerum ad Clericos pertinentium exemptionem *lib. 4 tract. 9. in tit. de Immunit. c. 5. & 6.*

3. Optimo etiam argumento nostram Sententiam fundat *Barbos. ubi suprà. n.* 111. sumptò à minori, quod, sicut res & bona, assumentis militiam sæcularem, mutant Statum & forum. per. *L. ex eo. Cod. de agent. in reb. lib. 12. L. Magisteria. C. jurisd. omnium Iudicium.* ita multò magis bona, quæ deveniunt ad Ecclesiam vel Clericum, debent Judicem & Jurisdictionem mutare. Transierunt enim in digniorem personam, & quæ modo ascripta sit militiæ cælesti, & vocata in sortem Christi, & quæ de Patrimonio ac peculio ejusdem existat. *L. non distinguemus.*

guemus.37 §. *Sacerdotio. ff de recept. arbit.* & qu æ notat. *Innocent. in c. 2. de majorit. & obed. num. 1. in fin. per c. si imperator. dist. 96:*

4. Vbi Papa Johannes disertis verbis rescribit Imperatori. Deum voluisse, Clericos à Pontificibus & Sacerdotibus discuti & judiciari, non à potestatibus sæculi. Et quæ refert. *gloss.* ibidem in verbo. *discuti.*

5. Ratio fundamentalis hujus nostræ & comunis de Jure SS. Canonum opinionis est, quod quoties bona non habent obligationem per se sibi propriam & realem, sicut contingit in rebus & bonis feudalibus, sequuntur conditionem, Statum & qualitatem personæ, ita, ut si ea eximatur à Jurisdictione, (ut in proposito Clericus, qui à toto genere jurisdictionis Laicalis exemptus etiam de jure Divino est, nam de jure Canon. nemo dubitat per ea. *quæ disp.* 1. *c.* 2. attulimus, & refert *Leyman. lib. 4. tract. 9. c. 5. num.* 1) etiam bona ipsius exempta sint, cum fieri non possit, ut Judex de bonis processum judicij, & Sententiam formet, nisi personam vocando, examinando, eidem jubendo, quæ sine Jurisdictione in illam fieri non possunt; consequenter exemptâ personâ, etiam res & bona ejusdem exempta erunt. Vt rectè argumentatur Abbas pro nostrâ Sententiâ *in. c qualiter. de judicijs. n* 8.

6. Contrariæ Sententiæ Authores Sententiam suam probare conantur. Primò, per *text. in L final. Cod. ubi in rem.* eò quod ibid. dicitur: possidentem ibi locorum conveniri posse, ubi res sita est.

7. Secundò: *per L. viros. Cod. de palat. sac. largit. lib.* 12.

8. Tertiò: per *L. si pradium. Cod. de pradijs, & al. reb. minorum.*

9. Quartò: *Instit. de action. §. omnium.* ubi in actione reali persona non dicitur obligata.

10. Quintò textus est: *in. L. sed & loci. §. si alter. ff finium regundorum*, ibi: quoniam magis fundo, quàm personæ adjudicari fines vel partes intelliguntur.

11. Sextò: *per. text. in. L. qui aliena. §. fin. ff. de negot. gestis.* ibi: Sententia prædio datur.

12. Vltimò: est Authentica *Clericus. C. de Episc. & Cler.* ibi: quod si natura causæ, vel alia ratio faciat, ut negotium apud eum decidi non possit, &c.

Rationes, quibus probare eandem Sententiam laborant, quia ex ijsdem textibus desumptæ sunt, supersedemus allegare.

13. Tanti tamen ponderis, neque textus, neque rationes ex ijsdem desumptas esse putamus, ut non facilè in contrarium responderi possit. Loquuntur enim plerique textus eò in casu, quô res sita in loco, à jurisdictione illius Judicis, cujus aliàs esset jurisdictio, specialiter, & quidem toto genere exempta non est, sicut sunt in proposito Clerici, & eorum bona, quo ad jurisdictionem Laicalem. Et quæso quid efficaciter inferri potest ex textibus Juris Civilis, cum Clerici jure Civili non ligentur, quoties contrarium vel diversum, de jure Canonico statutum est? ut in nostro casu contingit.

14. Consequenter intelligis, omnes actiones Dominij & rei vindicatorias, vel in rem, & à fortiori etiam mixtas, (de quibus fusissimè *Schneidew.* & communiter interpretes *instit. de actionibus* agunt,) quotiescunque persona Ecclesiastica convenienda est, & personam rei sustinet, coram judice Ecclesiastico ventilandas esse, ob rationes & textus paulò superiùs allegatos.

CON-

CONTROVERSIA PRIMA.

Circa Privilegium fori in actione reali.

SVMMARIVM.

Res hypothecata Laico. v. g. domus, quando in Clericum justo titulo transit, executio ratione hypotheca non potest fieri à judice Laico. n. 1.
Ratio decisionis. num. 2.

1.

CONtrovertitur primò: Num, quando res hypothecata Laico. v. g. domus, fundus, in Clericum aliquo titulo justo transit. v. g. ex titulo donationis, emptionis, secuta traditione, executio ratione hypothecæ fieri possit à Judice sæculari?

2. Respondeo negativè: mutavit enim res, onere hypothecæ affecta statum, atque exempta modo à jurisdictione Laicorum est, cui rei totaliter modò exemptæ, cum onus hypothecæ inhæreat, non video quare ab eodem judice Ecclesiastico, cui res onere hypothecæ affecta noviter subjecta est, executio etiam ratione hypothecæ, alteri, tametsi Laicus sit, quæsitæ, fieri non debeat, cum hæc hypothecæ qualitas velut accidens extra substantiam nec existere possit, nec aliquid per se esse, de jure censeatur. Sicut proportionaliter discurrunt de servitute, quam quis habet in fundo alterius, quæ verè in bonis nostris esse negatur. per ea, quæ notat *Bartol. in L. 1. ff. de usu & usufruct. legat.*

CON-

CONTROVERSIA SECVNDA.

SVMMARIVM.

Quando prædiũ aliquod, vel alia res in Clericum nulliter alienata est, executio & revocatio prædij judicis Laici est, & non Ecclesiastici. 1.

Limita, modo à judice Laico executio non concipiatur in Clericum. eodem num.

Ratio Decisionis. num. 2.

I.

COntrovertitur secundò: An eô saltem in casu, executio judicis Laici sit, quô prædium aliquod alienatur notoriè nulliter in Clericum?

Respondetur affirmativè, modò executio non concipiatur in personam Clerici, in quam Laicus jurisdictionem nullam habet, sed in rem nulliter in Clericum translatam, & à Clerico revocandam.

2. Suppositâ enim nullitate alienationis, præsumitur res aliena, & in priori dominio Laici, existere. per ea, quæ notat *Felicianus. de cens. lib. 3. c. 6. Cevallos. com. contra comm. q. 36. a. n. 14. Diana. p. 3. tract. 1. resolut. 49. Barbos. sæpe cit. tract. Iur. univers. Eccles. lib. 1. c. 39.* §. 2. *n.* 105.

CONTROVERSIA TERTIA.

Circa idem Privilegium fori in actione reali.

SVMMARIVM.

Persona Ecclesiast. quantum ad bona feudalia sortiuntur forum Domini Senioris tam in actionibus realibus, quàm personalibus. n. 1.

Amplia-

Ampliatur, ut procedat, licet tantum de possessione feudi agatur. num 2.

Quando negatur feudum, de quo lis est, pertinere ad Dominum seniorem Laicum, ordinarij Iudicis est cognitio. n. 3. & 6.

Si tamen Vasallus putatitius negans feudum, de quo lis est, ad Dominum Seniorem Laicum pertinere, aliud feudum indubitatum ab eodem recognoscat, ad Pares pertinet cognitio. n.4.

Allegatur ejus ratio. n.5.

Vasallus negans feudum, quod tale esse praetenditur, coram Iudice ordinario conveniendus est, non coram Seniore Domino feudi praetensi vel Paribus curiae. num.3. & 6.

Quando occasione feudi tantum lis est, non de ipso feudo. v.g. contra eum, qui re feudali spoliavit possidentem, ordinarij est cognitio, non Domini Senioris, aut Parium Curiae. n.7.

Quoties contra Vasallum Clericum, quo ad amissionem feudi criminaliter, aut de crimine civiliter agitur, coram Iudice Ecclesiastico conveniendus est, non coram Domino Seniore, vel Paribus Curiae. n.8.

Allegantur textus, & ratio. n 9.

Quod n.1. diximus de Clerico, quatenus ratione feudi forum sortiatur Domini Senioris Laici, tam in actione reali, quam personali non extenditur ad Emphiteusin, & bona censitica. n.10.

Ratio diversitatis bene notanda allegatur. n.11.

1.

CÆterum jam suprà perstrinximus, personas Ecclesiasticas, quo ad res feudales sortiri forum Domini Senioris etiam Laici, tam in personalibus, quàm realibus actionibus. *per. c. verum. c. novit. c. caeterum. c. ex transmissâ. de for. compet. & quae notat. Abb. & Felin. cum Innocentio. in. c. solita. de major. & obed.* plurimiq; allegati *à Barbos. ubi supra. a. n.129.*

2. Quod putamus cum eodem hoc Doctore tam verum esse, ut procedat, etiamsi solùm de feudi possessione agatur, adeò, ut possit judex Laicus Sententiam suam etiam execu-

tioni mandare contra vasallos Clericos, sicut tenent plures citati à *Barbos. ibidem.* maximè *Menochius. consil.2. num.97.*

3. Sed quid si negetur feudum, de quo est controversia, pertinere ad Dominum Seniorem Laicum, coram quô aliàs litigandum foret, aut omnino feudum non esse contendatur, vel occasione quidem feudi (quod tertiò quæri potest,) sed non de feudo quæstio sit: ut si agatur contra tertium, qui re feudali possidentem spoliavit, nunquid ad Dominum Seniorem recurrendum erit, tanquam Judicem competentem, & cujus his tribus casibus sit jurisdictio?

4. Respondeo primò, & secundò casu negativè, & quidem tantò certiùs, quantò indubitatius supponimus, Vasallum putatitium, vel qui Vasallus esse asseritur, nullum aliud feudum, de quo dubium non sit, ab eodem Domino Seniore possidere, tunc enim si feudum aliud indubitatum possideret ab eodem, saltem coram Paribus Curiæ conveniendus videretur, per ea, quæ notat *Schrader. de feudis. p.10. sect.1. & 2. & sect.5.* ubi multa de Paribus Curiæ disputat, plurimosque allegat.

5. Ratio posterioris hujus partis esse potest, quod, quando lis inter unum tanquam Dominum Seniorem, & alterum tanquam vasallum est, ita ut constet hunc ab illo feudum possidere, fundata jurisdictio Parium sit. per *text. in c.1. §. præterea, de prohibita feudi alien per Frider. c.1. de controvers. feud. per Pares termin.* tum etiam, qua Pares Curiæ exactam præ alijs notitiam habere solent, quænam bona ad Curiam Domini jure vasallagij affecta pertineant, vel non, ut adeò hoc in casu meritò illorum, tanquam rei bene expertorum sit cognitio, & jurisdictio.

6. Ad Judicem igitur ordinarium (qui si Clericus personam rei sustinet, Ecclesiasticus est,) toties recurrendum erit,

quo-

quoties Clericus rem controversam negat, feudum esse, vel se illud ab alio possidere ait, & aliud nullum præter id, quod controvertitur, feudum à Domino Seniore, qui illud asserit, possidet. ex communibus Juris feudalis sanctionibus. Sicut & nos in *tract. nostro feudali. c. ultimò. thesi.* 2. docuimus. tunc enim Judicis ordinarij jurisdictio est, cum diversum de jure feudorum non est expressè constitutum, sicut in proposito casu contingit.

7. Quantùm ad tertium casum, itidem negamus Domini Senioris jurisdictionem esse, cum neque hoc casu habeamus specialem juris feudalis constitutionem, consequenter ad jus commune recurrendum etiam hic erit. per *c.1. §. strenuus. de feudi cognit.* & tenet *Menochius* cum communi. *cit. consil. 2. a. num. 93.* & nos ubi suprà. *dicto. capite ultimo. thes. 3.*

8. Sed quid si contra Vasallum Clericum, quo ad amissionem feudi criminaliter, aut civiliter quidem, de crimine tamen lis intendatur, nunquid Domini Senioris Laici erit, de hoc crimine cognoscere, vel an ad Ecclesiasticum pertinebit examen criminis & jurisdictio?

Respondeo, etsi non pauci teneant, etiam hoc casu judicis Laici, Domini scilicet Senioris esse jurisdictionem, per ea, *quæ tradit Leyman. lib. 4. tract. 9. c. 5. num. 3. Suarez de immunit. Eccles. lib. 4. cap 34. num. 26. Schrader. p. 1. q. 3.*

9. Teneo tamen cum *Abb. & Innocen. in c. verum. de for. compet. Barbos. cit. §. 2. c. 39 num. 135.* cum plurimis citatis, contrarium, & sanè optimus textus est in *c. Clerici. de judicijs.* ubi dicitur, quod de omni crimine debeat Clericus coram judice Ecclesiastico conveniri, ita ut hâc in parte Canonibus ex nulla consuetudine (quale Jus consuetudinarium etiam feudale est) præjudicium generari debeat. Et sanè tam Statuta Conciliorum generalium sunt, quàm SS. Canonum, ac etiam Impe-

ratorum, ut in omnibus causis criminalibus Clerici plenissimum fori Privilegium obtineant, per plurimos textus allegatos *à Leymanno dict. loc. c. 4.* vide, quæ ad hoc congessit Gratianus noster *in decreto. tota causa.* 11. *q.* 1. & textus sunt *in. c. at si Clerici. c. qualiter & quando. c. cum non ab homine. de judicijs. c. significasti. c. si diligenti. de for. compet.* Sic enim & conservabitur libertas Ecclesiastica, & exemptio Clericorum, neque præjudicium Domino Seniori inde inferetur, cum probato apud judicem Ecclesiasticum crimine contra Clericum is liberè suo Jure uti postmodò valeat, & ob crimen feloniæ Clericum feudo privare possit. Præsertim cum non videatur Jus feudale in specie circa crimen Clerici à Domiuo Seniore, tanquam judice, vel Paribus Curiæ examinandum aliquid disposuisse, aut approbatum à SS. Canonibus esse.

10. Hoc singulariter in proposito advertendum est, quod licet in Civilibus, ubi de crimine Clericorum, qui Vasalli sunt, non agitur, ratione bonorum feudalium personæ Ecclesiasticæ forum Laicale regulariter declinare non posse profiteamur, nullatenus tamen illud amplificandum veniat, quo ad bona emphiteutica, & censitica.

11. Quia ut optimè notat *Mandosa. in annotationibus. littera H. ad consilium Ludovici Romani.* 212. *num* 6. in materia Jurisdictionis licitum non est argumentari de feudo ad emphiteusin, vel censum. idem tenet *Baldus. extra de Iudicijs. in rubric. colum. 3. vers. Sed nunquid. Decius in. c. cæterum. de judicijs. ante numerum. 13. Oldradus. cons. 83. num. 7. Barbos. cit. loc. num. 159.*

CAPUT

CAPUT IV.
De Privilegio fori in reconventione.

SUMMARIUM.

An Clericus tam in actione reali, quàm personali reconveniri possit coram Laico Iudice, controversa quæstionis est. n.1.

Pro affirmativâ Sententiâ allegantur textus, & rationes. à num.2. usque ad 5.

Negativa Sententia est probabilior, & tenenda. n.6.

Reconventio contra Clericum non admittitur, quoties hoc in fraudem procuravit Laicus, ut conveniretur à Clerico. n.7.

Ratio hujus decisionis. ibid.

Neque admittitur reconventio contra Clericum, quoties si admitteretur, tangeret causam spiritualem, vel ei annexam. n.8.

Pariter non admittitur in causa criminali, ubi nec civiliter Clericus reconveniri potest. n.9.

Item: quoties non agit nomine proprio, vel versatur in causâ appellationis, executivâ, vel ex capite nullitatis, aut in causa depositi, vel quæstio spoliationis controvertitur. n.10. & 11.

Vltimò: si reus Conventus esset excommunicatus, non posset is Cleribum reconvenire. n.12.

Etiam qui reconventionem Clerici Laico concedunt, intelligi volunt tantum quò ad causæ cognitionẽ, non quantum ad personæ Clerici districtionem. n.13.

Adducuntur argumenta quare Clericus reconveniri non potest, à num.14 usque ad n.20.

Reconventio nihil videtur in effectu aliud, quam secunda Conventio, sicut substitutio, secunda heredis institutio est. n.21.

Respondetur argumentis contrariæ sententiæ. à n.22. usque ad fin.

1.

VAldè controversæ quæstionis est, utrum Clericus indifferenter in quavis actione, tam reali quàm personali, qui Laicum coram judice sæculari convenit, ab eodem reconveniri coram eodem judice Laico posſit, ut videre licet ex ijs, quæ allegat in utramque partem *Felin. n.8. in. c. at si Clerici. de*

judicijs. Abb. Ioann. Andr. & communiter Interpretes. *post glossam. ibid.*

2. Affirmativam probant primò per expressum textum *Novella. 9. de sanctiss. Episc. c. 25. de apocrysarijs. ibi:* neque aliquam conventionem sustineant, nisi mandatum habeant à suis Episcopis, ut aliquos conveniant, tunc enim solis illis damus licentiam, qui ab eis conveniuntur, si quam habent obligationem, contra Ecclesiam, aut contra Episcopos eorum proponere. &c.

3. Et in argumentum etiam esse potest, *Authentica. Clericus. Cod. de Episc. & Cler.* Secundò. *Authentica. & consequenter. Cod. de Sententia. &c.* ubi indifferenter statuitur: aliquem reconveniri posse coram eodem judice, coram quô alterum convenit, modò ante litem contestatam, vel immediatè post faciat.

4. Tertiò probatur ratione: quia, sicut omnes concedunt, quando Clericus convenit Laicum, & fertur contra Clericum Sententia, tunc Judex sæcularis poterit Clericum condemnare in expensis, quia hæc condemnatio venit accessoriè ad Sententiam, & hoc non reperitur reprobatum à Jure Canonico, ergo cum & reconventio veniat accessoriè ad conventionem, reconveniri poterit Clericus coram judice Laico; cujus enim est cognoscere de principali, est etiam cognoscere de ejus accessorio, atque eidem connexo. *c. quanto. de judicijs.*

5. Quartò: quia Clericus agens contra Laicum, necessariò cum eodem contrahit, sicq; utraque persona connectitur, atque alligatur judicio & personæ judicantis, ut ambo pariter necesse habeant parere ipsius jurisdictioni. Videbitur ergò valdè rationi & æquitati conforme, ut cui judici, tanquam suo, necessitate juris subjectus est uterque, coram eodem respondere reconventus debeat. Maximè (si quidem dicere

ita

ita liceat) quod hæc reconventio, quasi in effectum alicujus exceptionis ad enervandam intentionem, vel causam principalem, contra actorem ab actione absterrendum proponatur: consequenter cum ad exceptionem actor respondere sine dubio coram eodem judice necesse habeat, coram quo proposita est actio, & contra actionem exceptio, declinare ejusdem judicij forum Clericus reconventus non poterit, & pro hac Sententiâ vide plurimos allegatos à *Barbos. ubi suprà. num. 137.* quam & ipse tenet.

6. Verùm quidquid ponderis sit his argumentis & textibus, Censeo cum *Ioann. Andrea, ab eodem Felino, ubi suprà. num 8. citato.* multo probabiliorem, & tenendam esse Sententiam contrariam, tanquam favorabiliorem Immunitati Eccles. Quàm antequàm textibus & rationibus confirmem, probabiliora minusque dubia præmitto.

7. Et primò quidem certum est, etiam contrariæ Sententiæ Authores non admittere, ut reconventio locum habeat in casu, quô Laicus procurâsset in fraudem conveniri à Clerico, ut sic illum postea reconvenire posset, per textum, ut vult *Felin. cit. loc. Capituli. relatum. juncta glossa in verbo. sæculari de jur. patron. Abb. in. c. dilectus. in fin. de arbitr.* & ita tenet etiam *Erasmus Cochier. de jurisd. ordin. in exempt. p. 4. q. 71. num. 29. Barbos. ubi supra. num 146.* Reconventio enim Clerici coram judice Laico, ut volunt adversarij, ex necessitate connexitatis à SS. Canonibus permissa est, non ut aliquis per dolum sibi ad eam principaliter intentam, viam aperiat.

8. Secundò, certum quoque est, reconventioni locum non esse, quoties si admitteretur reconventio, tangeret causam spiritualem, vel ei annexam. ita *Baldus & Abb. in. c. at si Clerici. cum Felin. Barbos. ubi suprà.*

9. Tertiò, in causâ criminali, in quâ Clericus nec civiliter

potest

potest reconveniri, ita ut hæc reconventio neque per viam exceptionis fieri possit, & ita docere Imolam per *text. in c.1. de Cler. conjug. in 6.* testatur *Felin. ubi suprà. num.10. Barbos. cit. loc. num.148. Camil. Borell. in summa decis. tit.7. n.84. Decianus in tract. crim. lib.4. c.9. num.37.*

10. Quartò, quoties non agit Clericus nomine proprio, sed alieno, v.g. nomine tutorio, vel procuratorio. *Barbos. ubi suprà.*

11. Quintò, in causâ appellationis, ex mente *Maranta. p.4. distinct. 6. num.24.* vel in causâ Executivâ, aut ex capite nullitatis intentatâ. Sicut neque etiam in causâ depositi, vel cum quæstio spoliationis controvertitur, reconventio contra Clericum locum habet. teste *Maranta. ubi suprà. plures alij allegati. à Barbos. num 150.*

12. Vltimò, si reus conventus esset excommunicatus, certum quoque foret, ab eo non posse Clericum reconveniri: *gloss. in c. intelleximus. verbo. conveniri. de judicijs.*

Et singulariter nota ex mente *Felini*, quod, ut ut contrariæ Sententiæ Authores reconventionem coram Judice Laico concedant, solummodò tamen eatenus intelligi velint, quatenus ea causæ cognitionem concernit, non verò quatenus districtionem personæ Clerici, quia Laicus in Clericum, ut loquitur ibidem *Felin. cum Archidiacono in cit. c.1. de Cler. conjug. in. 6.* manum ponere non potest.

14. His itaque tanquam certioribus præmissis. Probo nostram Sententiam cum *Ioanne Andrea ubi suprà.* Primò, quia ubi prohibetur genus, prohibetur omnis species contenta sub eo genere. *c. generi. de regul. Iur. in. 6.*

15. Atqui jura prohibent Clericum conveniri sub Laico, per textus superiùs ex utroque Jure jam sæpius allegatos, ergo prohibent etiam reconveniri, quia reconventio est species conventio-

ventio-

ventionis. Confirmationem hujus argumenti faciunt Interpretes *in rubric.ff.soluto matrim.* quam diffusiùs explicatam vide apud *eundem Ioan. Andream. & Felin. loc. allegato.*

16. Quod autem aliqui respondent, apud dictum modo *Felinum*, textus adductos non dicere Clericos conveniri non posse coram Laicis, sed trahi non posse, frivolum est.

Olim enim hoc maximè termino utebantur antiqui Jurisconsulti, quod conventi nolentes volentes apprehensâ illorum auriculâ in jus raperentur. Secundum illud *Horatij.lib.*1. *Satyr.9.*

— — — casu venit obvius illi
adversarius. & licet antestari? ego verò
oppono auriculam. rapit in jus. &c.

17. Deindè: Si tantùm hoc trahi est prohibitum, & non etiam conveniri Clericum coram Laico, sanè Clericus sine læsione Privilegij fori ante sæcularem Judicem judicialiter respondere posse, & debere dicendus erit, quod falsum est.

Tertiò, *in.c.nullus Clericus.* 11.*q*.1. nulla fit mentio de ista tractione ad forum, sed simpliciter prohibetur, ne Clericus propter quamcunque causam intret in Curiam, vel ante judicem Civilem causam dicere præsumat. Neque enim solummodò ratione modi veniendi ad judicium Clerici à foro Civili exempti sunt, sed reverâ & principaliter, ne coram Laicis causam dicere teneantur, utpote qui eorum Jurisdictioni non subsint.

18. Neque valet etiam secunda responsio, quam aliqui apud eundem *Felinum* comminiscuntur, quasi propterea verbum: Conveniri: simpliciter capi non possit ut Genus, quod sit limitatum multis modis, & aliàs sequi videatur, quod, sicut Laicus conveniri non potest coram non suo judice. *c.si*

Clericus Laicum. de for. compet. etiam reconveniri coram non suo judice haud possit, quod falsum est. Nihil enim valet hæc responsio, quia malè illa adaptatur cum suo antecedente Laicæ personæ. Simpliciter enim verum non est, quod Laicus coram Judice sæculari, etiam non suo comparere non possit, sed solùm quod invitus trahi eò nequeat, cum volens prorogare judicium in judicem etiam non suum indubitanter possit. *L. si conveniret. ff. de jurisdict. omn. Iudicum. L 1. Cod. eodem tit. Maranta distinct.* 11. *p.4.* Clericus autem tam simpliciter coram Laico conveniri non potest, ut neque nolens, neque volens ibi partes Rei sustinere possit. *cit. c. si diligenti. de for. compet.* Est enim Laicus per se prorsus incapax, ut jurisdictionem propriâ authoritate in personam Ecclesiasticam exerceat: velut suprà jam vidimus.

19. Secundò: licet in genere quasi summo, sive absolutè *in. L. Papinianus, ac Authenticâ, & consequenter. Cod. de Sent. & interlocut. &c.* dicatur: coram eodem Judice, coram quo aliquis alterum convenit, eundem reconveniri posse, huic tamen generali, & à Jure Civili factæ decisioni derogatur per specialem prohibitionem, quatenus Clericus nullô modô coram Laico conveniri possit, consequenter cum species deroget generi, & Jus suum, nisi in casibus specialiter exceptis, in quolibet foro observari debeat, quoties circa idem diversa statuit, certè parùm ad rem faciet generalis illa Juris Civilis regula: Quemvis reconveniri posse coram eo Judice, coram quo alium convenit. Disponit enim jus Civile circa personas Laicorum sibi subjectas, qui sicut in genere sæculari Magistratui indifferenter subditi sunt, ita in genere liberè statui potuit, eos etiam in causâ reconventionis illorum jurisdictionem effugere non posse: quod tamen malè ad Clericos, & personas Ecclesiasticas applicatur, cùm nullatenus jurisdictioni Laicorum subijci

possint.

poſſint. Vide apud *eundem Felin.* pulchram ſimilitudinem, quâ hoc argumentum confirmat.

20. Textum in ſpecie pro noſtrâ Sententiâ putat eſſe *Felinus. in. c. fin. extra. de judicijs.*

21. Vltimò confirmari hæc Sententia etiam hoc argumento poſſe videtur: quod reconventio nihil aliud ſit, quam ſecunda conventio, ergo ſicut prima conventio fieri, quo ad perſonam Clerici, abſolutè coram Laico nequit, ita neque ſecunda conventio fieri coram Laico poterit. Velut in ſimili docent Interpretes, ſubſtitutionem directò faciendam, ex eo, quia eſt ſecunda heredis inſtitutio, ijſdem ſolennitatibus fieri debere, ſicut facienda eſt prima heredis inſtitutio: cum primô vel ſecundô loco fieri, non diverſificet ſpeciem, vel ſubſtantiam actûs. Et hanc noſtram Sententiam teſte *Felino* ſæpe allegato, ubi ſuprà, multi tenent.

22. Ad argumenta & textus in contrarium allatos Reſpondeo: Et quidem quantùm ad textus ex jure Civili productos dico: Eos nihil ſtringere, nam ſuprà jam ex *c. Eccleſia S. Mariæ. de conſtit.* intelleximus, Laicos poteſtatem ſtatuendi, quo ad Clericos, nullam habere.

23. *Authentica & conſequenter.* quæ in genere ſtatuit, aliquem reconveniri poſſe coram eodem Judice, coram quô alterum convenit, intelligenda eſt, loqui de illis perſonis, quæ abſolutè & in genere ſaltem ſubijcibiles foro Laicali ſunt, quales non exiſtunt Clerici.

24. Tertiam probationem, quæ nititur paritate, quâ, ſicut Laicus judex Clericum actorem cauſam perdentem, condemnare poteſt in expenſis, eo quod hæc condemnatio veniat acceſſoriè ad Sententiam, ita videatur poſſe in Clericum reconventum judex Laicus Sententiam ferre, propterea dicimus vacillare, quod ſit rationem diverſitatis oſtendere: nam con-

demnatio partis victæ in expensis, ad causam principalem accessio & connexio necessaria, & quasi intrinseca est, & de natura causæ in tali judicio ventilandæ, reconventio autem non necessaria, & ex solâ voluntate liberâ conventi originem trahens, & ita merè per accidens est, ut adeo à pari argumentum non procedat.

Ad quartam probationem eadem est responsio.

25. Ad confirmationem, quæ vult, quasi hæc reconventio sit quædam exceptio, respondemus: negando esse exceptionem, propriè enim dicta exceptio, est actionis, vel ad minimum intentionis exclusio, quorum neutrum reconveniens intendit, cum reconventio ex aliâ prorsus causâ, principio, vel contractu, aut negotio fieri possit, & quod nullam prorsus connexitatem cum actione, & causâ à Clerico intentatâ habeat.

26. Hinc aliqui apud *Felinum. cit. c. at si Clerici. de judiciis, num.10. in fin.* tametsi concedant, Clericum reconveniri posse coram Laico, limitant tamen, ut hoc solùm procedat, si reconventio fiat super eodem facto, super quo sæcularis à Clerico conventus est, vel super eidem connexo, quæ Sententia minus improbabilis est.

27. Et contrariam hanc opinionem, atque hucusque rationibus fulcitam eò lubentius etiam amplector, quod licet plurimi teneant satis indifferenter, Clericos reconveniri posse coram judice Laico, ut videre est apud *Barbos. in tract. jur. univers. Eccles. lib.1. c.39. §.2. à num.137.* cum septem ampliationibus. idem tamen *Barbos.* pluribus allegatis *ibidem num.156.* tenet, ut ut tunc victum ex illorum Sententia Clericum condemnare per Sententiam judex Laicus possit, Sententiam tamen exequi neque in personâ, neque in bonis Clerici reconventi valere, sed ad judicem Ecclesiasticum pro ejus execu-

cutio-

cutione recurrendum esse, ex eo principio, *si Diana.p.4.tract.1. resol.65.* credimus, quod coactio, quæ fit in executione, supponat jurisdictionem, Judex autem Laicus non habeat jurisdictionem in Clericum; nam si executionem Sententiæ judici Ecclesiastico reservamus ex eo fundamento, quod Laicus jurisdictione in Clericum careat, sanè etiam reconventionem eidem Ecclesiastico reservemus, necesse est, cùm neque hîc ratio sit, cur jurisdictionem Laicus in Clericum habere dicatur, saltem ad condemnandum, eò quod nullibi in Jure Canonico expressum sit, & æquè in hoc casu jurisdictione opus esset Laico judici ad condemnandum Clericum, sicut necesse est ad exequendum contra eundem.

CAPUT V.

De Privilegio fori in causis possessorijs.

SVMMARIVM.

In causis possessorijs rerum spiritualium vel beneficialium, si Laicus conveniatur, coram Laico suo Judice conveniendum esse plurimi tenent. n.2.

Clericus in quacunque causâ, excepta feudali, coram judice Ecclesiast. conveniendus est. n.1.

Respondetur argumentis & rationibus in contrarium adductis. à n. 15. usque ad num.22.

Allegatur textus & rationes pro Sententia. n.2. allata. à n.3. usque ad 8.

Contraria Sententia, quod in causis possessorijs rerum spiritualium Laicus debeat coram judice Ecclesiast. conveniri, tenenda est, & probatur. à n.9.

1.

VEntilanda hic non minus solennis, & maximè controversa quæstio est, utrum in causis possessorijs rerum spiritualium, vel beneficialium, ubi scilicet de solâ possessione rei spiritualis agitur, Clericus fori Privilegio gaudeat, vel Judicis

etiam Laici sit cognitio, atque hoc, sive Clericus actor sit, sive reus.

1. Et suppono ex dictis tanquam certum, eò in casu, quo Clericus partes rei sustinet, etsi solùm de possessione rei spiritualis agatur, Judicem Ecclesiasticum adeundum esse, actor enim forum rei sequitur *l. 2. Cod. de jurisdict. omn. Jud.* quod quo ad Clericum, Ecclesiasticum est, non sæculare. per text. *c. qualiter. de judicijs. c. experientia. 11. q. 1. c. si Clericus Laicum. c. cum sit generale c. si diligenti. de for compet. & c. quoniam. ibi: ratione personarum. in. 6. de immunit. Eccles. Covarr. pract. qq. c. 35. Menoch. remed. 3. à num. 349. Barbos. ubi suprà. num. 175.*

2. Cæterùm: quod si Clericus actor sit, & Laicum conveniat in causis possessorijs rerum spiritualium, vel beneficialium, integer Catalogus Doctorum, maximè qui Principibus sæcularibus à consilijs sunt, tenet ejusmodi Clericum actorem agere, & instare debere contra Laicum conventum apud judicem sæcularem: hujus opinionis Doctores enumeratos vide apud *cit. Barbos. ubi suprà. à num. 160.* & testatur *idem author*, hanc Sententiam passim in Galliâ, Hispaniâ, Lusitaniâ, Italiâ, alijsque locis in praxi receptam esse, sicut & in Germaniâ palàm, & communiter ipsius usus in tribunalibus est.

3. Pro fundamento hujus Sententiæ allegant primò textum *in c. fin. de Iudicijs.* ubi videtur in terminis decisum: sæcularem judicem, qualis erat Florentina potestas, cujus ibi textus meminit, posse judicare de quasi possessione rei spiritualis. v. g. juris eligendi.

4. Secundò adferunt *c. petimus. 11. q. 1.* ubi legitur: Episcopum per potestatem sæcularem fuisse compulsum, restituere plebem, quam vi occupaverat.

5. Tertiò. *c. filijs. 16. q. 7.* quo loco textus vult, regis auribus intimandum, si malè res Ecclesiæ administrent Metropolitæ.

6. Quar-

6. Quartò. *c. cauſam quæ. il. 2. qui filij ſint legit.* ubi aſſertis verbis dicitur: ad regem pertinere, non ad Eccleſiam, de talibus poſſeſſionibus judicare.

7. Probant quintò ratione: quia ubi agitur de ſolâ quæſtione facti, de merâ temporalitate quæritur. v. g. an hoc vel illud factum ſit, hæc vel illa verba prolata fuerint, hic vel ille rem controverſam detineat, &c. Et ita reſolvit *Bartol. & Doctores Iuris Civilis in l. Titia. ff. ſolut. matrim. & Abbas in c. litteras. de juram. Calum.* cum enim cauſa poſſeſſionis per meros actus temporales quæratur, ex quibus reſultat jus detinendi rem ſibi ut propriam, velut notat *Gloſſ. per text. in L. 3. ff. de acquirend. poſſeſſ. L. peregrè. 44. ff. eod. tit. Covarr. in regula poſſeſſor. p. 2. num. 3. & in Rubric. de teſtament. p. 1. num. 2.* non eſt, cur judici Laico negetur juriſdictio in cauſa poſſeſſionis.

8. Accedit ratio *ex L. naturalis. §. nihil commune. ff. de acquirenda poſſeſſ.* ubi dicitur: Poſſeſſionem nihil habere commune cum proprietate, quid enim participare videtur de ratione intrinſecâ Sacramenti matrimonij quæſtio, an Titius cohabitet cum Bertâ, an nuper Cajus præſentaverit ad beneficium vacans, vel Sempronius, an Marcus vel Marcellus collegerint decimas, cum hæc omnia in ſolo facto conſiſtant, de quo poſtmodùm apud ſæcularem Judicem quæritur.

9. His tamen Textibus & rationibus non obſtantibus, ſentio etiam in hoc caſu & causâ, judicis Eccleſiaſtici juriſdictionem eſſe, cum plurimis citatis à *Barboſ. dicto loc. a. num. 173.* maximè *Gutierez canon. qq lib. 1. c. 34. à num. 26. Covarr. pract. qq. c. 35. Zerol. in ſuâ prax. Epiſc. p. 2 verbo. poſſeſſorium. Nicol. Garſ. de benef. p 1. c. 2. num. 50. Marta de juriſdict. p. 4. cent. 1. caſ. 34. Azor. p. 1. lib. 5. c. 14. q. 1. Puteus lib. 10. deciſ. 361.* ex mente & Sententia Rotæ

Rotæ Romanæ, quæ vult Judicem Laicum neque principaliter, neque incidenter cognoscere de causa spirituali posse.

10. Pro nostrâ Sententiâ allego optimum textum *in. c. 2. de judicijs.* ubi expressè statuitur: tam petitorium quàm possessorium coram Sede Apostolicâ intentari. Et *Clement. unica. de sequest. poss.* ubi luculenter etiam supponitur: causam possessoriam coram Judice Ecclesiastico ventilari. Et denique *Clement. 2. de judicijs.* ubi ad præstationem decimarum eos, qui tenentur, statuitur, posse censurâ Ecclesiastica urgeri, consequenter præstatio, quæ est facti, in ordine ad aquirendam possessionem fructuum decimalium, fori Ecclesiastici est, non sæcularis. Nam si ex Sententia adversariorum causa possessionis merè temporalis est, adeoque ut volunt, pertinens ad forum Laicale, quomodo ergo citatis locis coram Judice Ecclesiastico ventilanda proponitur?

11. Probatur secundò: Si causa possessoria rei spiritualis agi posset coram Judice sæculari, tunc causa possessionis & proprietatis rei spiritualis non pertineret ad idem forum, ut per se notum est, sed pertinet, tam causa possessionis quàm proprietatis rei spiritualis, ad idem forum, per *citatos textus. & gloss. ac bonum textum. in c. 1. extra. de sequest. poss. verbo indistinctè*, ubi dicitur: quod si alicui causa absolutè commissa sit, si quidem causa & qualitas judicis patiatur, censeantur commissa, tam possessorium quàm petitorium, nomen enim causæ absolutè prolatæ utrumque complectitur, consequenter cum omnis causa tam spiritualis quàm Ecclesiastica pertineat ad Ecclesiasticum Judicem, pertinebit tam possessorium quàm petitorium ad forum Ecclesiæ.

12. Probatur tertiò: Continentia causarum dividi non debet, per *express. text. cit. c. 1. de sequest. possess. & quæ not. And.*

Geil.

Geil. lib.1. obſerv.31. Baldus. in L. nulli. Cod. de judicijs. c tuam. de ord. cognit. ubi enim, ut loquitur, *Geil.* ex mente *Baldi*, duo judicia ad eandem rem pertinent, & competunt, licet diverſis vijs, ſicut eſt poſſeſſorium & petitorium, eatenus dividi non debent, quatenus ſcilicet coram uno Judice tractetur poſſeſſorium, coram altero petitorium. Sic enim continentia cauſæ divideretur, quod fieri non debet. per *textus allegatos.*

Cauſam autem petitorij & cauſam poſſeſſorij eſſe cauſas continentes, patet, quia ſunt ad eandem rem pertinentes: finis enim poſſeſſorij eſt principium petitorij, & cognitio unius affert intelligentiam alterius. Quomodo ergo ex Sententia adverſariorum poſſeſſorium rei ſpiritualis coram Laico, & petitorium coram Eccleſiaſtico agi poterit, cum toto genere hæc duo fora divellantur? ut adeo vel falſa debeat eſſe Sententia *Baldi*, & errare textus ex *Clement.* & *Decret* allegati, quod dici nequit. (Nam ibi in terminis dicitur: Poſſeſſorij & petitorij cauſas eſſe continentes,) vel falſa Sententia adverſariorum, quod volumus.

13. Nam impoſſibile erit, unquam has duas cauſas petitorij & poſſeſſorij per ſe, & de jure coram eodem Judice agitari: non enim coram Laico, quia incapax eſt juriſdictionis in rem ſpiritualem, qualis eſt cauſa petitorij rei ſpiritualis, per ſe exercendæ, non coram perſonâ Eccleſiaſticâ, quia per ſe incompetens eſt, vel ſaltem non neceſſarius Judex ex mente adverſariorum cauſæ poſſeſſorij, cum ex illorum Sententia ea temporalis ſit, & propterea, quaſi neceſſariâ conſequentâ ad forum Laicale pertinens, qnod verum non eſt, cum & Eccleſia de temporalibus judicet, ut de fundis, alijsq; bonis Eccleſiaſticis, ſicut videbimus in ſubſequentibus.

14. Quod ſi dicent: de poſſeſſorio & Eccleſiaſticum, & ſæcularem Judicem cognoſcere poſſe, convincet illos in hoc

errare, ipsa continentia causæ, inter petitorium & possessorium existens, ut vidimus, quæ cum saltem toto genere non debeat posse dividi, coram eô possessorium solummodò ventilandum erit, coram quo petitorium potest, qui solus est judex Ecclesiasticus, cum sæcularis Judex etiam ex Sententiâ adversariorum in petitorio rei spiritualis per se cognoscere nunquam possit. vide etiam quæ notat *Abbas* ad propositum. *c. final. de judicijs. n. 34. & sequen.*

15. Quæ in contrarium allegata sunt, tam nodosa non videntur, ut non facilè expediantur. Et primò quidem terrere tot Doctorum turma non debet, quando pro veritate pugnandum est, certè plures ex adversarijs professione suâ Leguleij tantùm sunt, Canonum non admodum curiosi, quorum cum nonnulli Principibus sæcularibus à consilijs fuerint, quod in augmentum jurisdictionis sæcularis erat, consulendo scripsisse videntur, ut adeò, etsi aliàs, veluti quidam veritatis testes, pluralitate suâ multùm possint, sicut pulchrè docet *Maria Coratius. in suo tract. de Sententia communi.* in proposito tamen tanquam suspecti, & partiales non admodum curari debeant.

16. Textus *ex. c. finali, extra. de judicijs.* in contrarium adductus nihil ad rem facit, agitur enim ibi de possessione rei profanæ, non spiritualis, cujusmodi erat Electio Rectoris sæcularis ad officium, seu Magistratum sæcularem, & ita post communem Sententiam tenet. *Covarr. Menoch. & alij allegati à Gutierez. Canon. qq. dicto. c. 34. num. 29. Nicol. Garsias de benef. p. 3. c. 2. num. 58. Barbos. dict. loc. n. 177. Abbas ad idem. c. finale.*

17. Textum *ex. c. petimus.* pro contrariâ Sententiâ adductum, intelligimus de brachio sæculari invocato, & ita intelligit etiam *Menoch. Gutierez. & Barbos. cit. loc.*

18. Capitulum *filijs.* etsi velit regis auribus intimandum, si malè

ſi malè rem Eccleſiæ adminiſtrent Archiepiſcopi, hæc tamen intimatio non fit in vim, & finem conceſſæ juriſdictionis exercendendæ à Laicis principibus in perſonas, & res Eccleſiæ, ſed ut omni meliori modo, tanquam advocati, ac patroni vigilent, ac curent, (extrajudicialiter tamen) ne damnum patiantur Eccleſiæ, & ſi neceſſe ſit, ejuſmodi dilapidatores denuncient apud Sedem Apoſtolicam, vel immediatos ſuperiores.

19. Limita tamen, niſi de re feudali Eccleſiæ quæſtio foret, tunc enim negari regibus, vel principibus juriſdictio non poſſet, intelligendo ſecundum ea, quæ *diſ. 2. c. 3. num. 25.* circa juriſdictionem in feudalibus cauſis, perſonis Laici competentem adnotavimus.

20. Textus *ex. c. cauſam quæ. il. 2.* allegatus etiam nihil contra nos facit, nam ut textum bene explicant: *Covarr. Menoch. Gutierez. cit. loc.* & poſt eos *Barboſ.* per verbum poſſeſſionibus. ſentiunt Pontificem idem dicere voluiſſe, ac ſi dixiſſet: de rebus Laicorum proprijs, villis, fundis, &c. de his enim quærebatur, nomine enim poſſeſſionis res poſſeſſas venire etiam de jure certum eſt, per ea, quæ notantur *in. L. interdum. 78. ff. de verb. ſignif.* & quæ notat ibi *Gloſſ.* atque hoc ſenſu accipitur etiam poſſeſſio in Scriptura *Matth. 19. & Marci 2.* Quidam enim Anglus ſpoliaverat quendam nepotem defuncti fratris ſui, ex eo, quod matrem hujus nepotis, quæ filia dicti fratris mortui fuit, diceret non fuiſſe legitimam, cujus ſanè ſpoliationis cauſam Summus Pontifex rectè Anglorum regem cognoſcere, ac judicare, tanquam ſuper causâ merè temporali, nec connexa per ſe ſpirituali voluit, non Eccleſiaſticos Judices, reſervatâ tamen ſtatûs Legitimitatis causâ foro Eccleſiaſtico.

21. Ad Rationem pro contrariâ Sententiâ adductam Re-

spondeo: Transeat quod quæstio facti in se intrinsecè etiam circa rem spiritualem mota, spiritualitatem non contineat, sicut & quod pro confirmatione affertur *ex L.naturaliter.§.nihil commune* Fatemur enim in simili possessionem intrinsecè, & in suo esse, nihil habere commune cum proprietate, sive quod idem est, proprietatem nihil participare de possessione, negamus tamen possessionem, & proprietatem aliô modô non communicare, cum regulariter soleant esse conjuncta, & dominium cœperit ex possessione, ut notat *Gloss. ibid. in L. naturaliter.* Et patet ex præscriptionis titulo, quantùm ad Dominium & rei proprietatem obtinendam conferat possessio.

22. Nec quidquam refert, motas quæstiones in confirmatione, non inferre intrinsecam participationem rei spiritualis, negatur enim consequentia: Ergo quæstio facti vel possessionis rei spiritualis coram Laico examinari potest, sicut hæc quoque sequela, quæ communiter fieri solet in hac materia: Ista causa in se intrinsecè merè temporalis est, ergo ad forum sæculare pertinet, nam quando de fundo Ecclesiæ alienando disceptatur, nunquid de re in se intrinsecè merè temporali agitur? sed quis dixerit ad forum sæculare hanc quæstionem pertinere? item quid si agatur de onere reali. v.g. tributo prædio Ecclesiæ imponendo, nunquid de re merè temporali agitur? Et tamen judicis Ecclesiastici forum declinari jure non potest. Sic, quid in se spiritualitatis continet, quod ex eo, quia Titius mille florenos dedit in dotem alicui Ecclesiæ, possit Episcopo Clericum aliquem præsentare, pro ministerio illius Ecclesiæ? Si ergo propter connexitatem vel respectum, per quem necessariò dependent ab Ecclesiâ, vel jure spirituali, ejusmodi negotia subijciuntur foro Ecclesiastico, mirum videri non debet, ob eandem connexitatem respectum & communio-

munionem poſſeſſionis rei ſpiritualis cum proprietate rei ſpiritualis, eam pertinere ad idem forum, ad quod proprietas pertinet. Et ſufficere deberet, ita per SS. Canones definitum eſſe.

COROLLARIA AD PRÆSENTEM controverſiam de Privilegio Fori in cauſis Poſſeſſorijs.

SVMMARIVM.

Deprehenſus in habitu Laico & dicens ſe Clericum conjugatum & cum unicâ & virgine contraxiſſe, etſi hæc quæſtio facti eſt, Iudex tantum Eccleſiaſt. cognoſcit. numero 1.

Ratio hujus deciſionis. num 2. quam multi tenent. eodem num.

COROLLARIVM PRIMVM.

EX allegatis modò, pro hâc ſententiâ Privilegij fori Clericorum, etiam in cauſis poſſeſſorijs, ijſdem fundamentis nixi reſolvimus negativè notam illam quæſtionem, quâ in ſpecie facti quæritur: an Clericus ſit bigamus, caſu quo deprehenſus in habitu Laico, ait ſe Clericum conjugatum eſſe, & contraxiſſe cum unicâ & virgine?

1. Ratio dubitandi ex mente adverſariorum eſſe poteſt, quia eſt quæſtio facti, num aliquis viduam vel virginem in matrimonium duxerit. Et ita tenet *Guido Papa deciſ. 138.*

2. Sed pro noſtra & communi Sententia eſt ratio, ipſa connexitas, quæ eſt inter factum & Jus, cum enim certum de

jure Canon. sit, Clericum etiam conjugatum, si unicam & virginem duxerit, concurrentibus cæteris requisitis, de quibus in *c. unico. de Cler. conjug. in 6. & Trident. Sess.23. de reform. c. 6.* gaudere Immunitate Ecclesiastica, certè judicis Ecclesiastici erit, an hic & nunc Clericus, de quo quæritur, bigamus an monogamus existat, judicialiter judicare. Et ita tenet *cum Claro, Covarr. Baldo. Bonacin.* alijsque à se citatis *Lotterius. de re benef. lib.3. q.36. à num.70.* per satis expressum *text. in c. si judex. de Sent. excom. in 6.*

COROLLARIVM SECVNDVM.

SVMMARIVM.

Circa repertum in delicto, cum dubio vestitu, ita ut nesciatur Laicus is an Clericalis sit, judicis Ecclesiast. est cognitio. num.1.

Ratio decisionis. n.2. quam multi tenent. eod. num.

Ratio rationis assignatur. n.3.

EX ijsdem fundamentis resolvitur secunda quæstio negativè, in quâ quæritur: an Laici, vel Ecclesiastici judicis sit, cognoscere in casu, quo aliquis in delicto repertus est cum dubio vestitu, ambigendo, an is Clericalis sit, vel sæcularis.

1. Tametsi enim & hæc quæstio facti sit, abstrahens per se ab omni spiritualitate, quia tamen naturâ suâ connexa est, & causam spiritualem respicit, aliud præter personæ Ecclesiasticæ judicium esse non potest.

2. Cùm enim jure Canonico statuatur, Clericum fori Privilegio gaudere, si habitum & tonsuram deferat, quis non videt

videt ad Judicem Eccleſiaſticum ſpectare, ut cognoſcat an hic & nunc perſonæ præſentis habitus Clericalis ſit? & ita *plurimi citati apud Dianam. p. 4. tract. 1. reſolut. 5.* tenent. Et quos idem Doctor allegat. *p. 1. tract. 2. reſol. 27. & p. 3. tract. 5. reſol. 15.*

3. Ratio rationis eſt, quia cum judicis Eccleſiaſtici, per *text. c. ſi Iudex. citati* ſit cognoſcere, an aliquis ſit Clericus, tonſura verò & habitus ſint ſigna demonſtrativa Clericatus, certè cujus erit cognoſcere, an aliquis ſit Clericus, ejuſdem etiam erit dijudicare, an veſtis, quam gerit, Clericalis ſit, vel potius ſæcularis, præſertim cum ad Epiſcopum loci pertineat habitum, quem portare debent, ſuis Clericis præſcribere, conſequenter etiam debebit de eodem judicare.

COROLLARIVM. TERTIVM.

SVMMARIVM.

De crimine hæreſeos licet tantum quæſtio facti controvertatur. v. g. ubi, quando, coram quibus, quid dixerit, vel fecerit, Iudicis Eccleſiaſt. eſt cognitio. num. 1. Ratio Deciſionis. 2. cum authoritate D. D. eandem Sententiam tenentium. n. 3.

1.

NEque tertiò credimus, tametſi ſola quæſtio facti de crimine hæreſeos controvertatur, judicis Laici cognitionem eſſe poſſe. per *text. c. ut inquiſitionis officio. §. prohibemus. de hæret. lib. 6.* ubi hæc ſtatuuntur: prohibemus quoque diſtrictius Poteſtatibus. &c. ne ipſi de hoc crimine, cum merè ſit Eccleſiaſticum, quoquo modo cognoſcant, aut judicent. ubi nota, per verbum, quoque modo. omnem ſpeciem cognitio-

gnitionis excludi, est enim dictio generalis, omnia includens. *per L. 1. vers. quoquo modo. §. de test. milit.*

2. Consequenter judex Laicus cognoscere per suam jurisdictionem ex comprehenso ob hæresin non potest, etiam quæ meri facti sunt, ut: ubi, coram quibus, quando, quid dixerit vel fecerit, non attento, quod cognitio de quæstione facti, non sit propriè cognitio de crimine.

3. Et ratio etiam in proposito videtur esse, connexio unius cum altero; ut adeò ea trahi ad diversa, & toto genere separata tribunalia non debeant. & ita tenet *cum Barbos. Ruino. Rollando. Cephalo. Pereira. Felin. Decio. Thusco. & alÿs communiter contra Cavallum in tract. de cognit. per viam violentiæ. p. 2. q. 56.* Diana. *p. 3. tract. 1. resol. 2. & p. 4. tract. 1. resolut. 58.*

COROLLARIVM QVARTVM.

SVMMARIVM.

Judex Laicus, vel etiam Clericus ex commissione Judicis Laici non potest cognoscere super solâ etiam possessione beneficÿ, in qua Titius Clericus. v. g. turbatur, vel quâ vi spoliatus est. n. 1.

Hæc decisio est communis Canonistarum, & affertur ratio decisionis. num. 2.

QVartò, ex ijsdem principijs resolvimus negativè illam quæstionem, quâ quæritur: An Judex Laicus, vel Clericus de commissione Laici. v g. Principis terræ (sicut quidam Principes habere solent consilia, quæ vocant Ecclesiastica, quæ plerumque constant ex personis Laicis & Ecclesiasticis, ubi decidi solent causæ juris patronatûs in quan-

quantum Principem concernunt, aliæque controverſiæ, maximè Eccleſiarum & Eccleſiaſticorum temporalia concernentes.)

1. An inquam judex Laicus, vel tale Conſilium Eccleſiaſticum juſſu principis ſæcularis cognoſcere cauſam poſſit, in quâ quæritur ſuper recuperanda ſolâ poſſeſſione beneficij, è quâ Titius. v.g. vi ejectus eſt, vel in eâdem turbatur? neque morari debet, quidquid in contrarium allegatur *à Covarr. cum ſuis ſequacibus pract. qq. c. 35 n. 1.*

2. Nam efficax Ratio deſumitur ex cit. à ſuperiùs *Clement. 1. de ſequeſt. poſſeſſ.* ubi cauſa de beneficio, ſive jure petitorij, ſive poſſeſſorij controvertatur, ſpiritualis cenſetur: ergò judicare in eâ Laicus non poteſt, ita ut neque conſuetudo, neque tolerantia Summi Pontificis eum à crimine læſæ Immunitatis Eccleſiaſt. excuſet, ſicut ex communi Canoniſtarum *Diana p. 1. tract. 2. reſol. 4. & 5.* docet. Et nos inferius fusè ſatis demonſtrabimus. vide eundem *Dianam eod. tract. reſol. 67. Azor. p. 1. lib. 5. c. 15. q. 1.* & citatos ab ijſdem.

COROLLARIVM QVINTVM.

SVMMARIVM.

Iudex Laicus non poteſt cognoſcere, utrum hic & nunc reus gaudeat Immunitate, ad hoc, ut ſciat an ipſum incarcerare poſſit, vel non. num. 1.

Item, non poteſt cognoſcere, an crimen, de quo quæritur, ſit unum de atrocioribus, ob quod quis privatus eſt Immunitate. n. 2.

Neque cognoſcere poteſt, an locus ſit ſacer, vel religioſus, eo fine, ut ſciat, an ſua ibi ſit Iuriſdictio. n 3.

Quoties dubium est, an hic & nunc jurisdictio, & cognitio causa sit Laici, vel Ecclesiastici judicis, semper Ecclesiasticus tanquam judex superior cognoscet, num. 4

Quoties definitivè conclusio formanda est ex praescripto juris Canon. etiam cognitio eorũ, quae ad conclusionem faciendam judicaturo secundum SS. Canones connexa & necessaria sunt, eidem competet. num. 5.

Pro hac opinione allegatur Bulla Gregorij 14. lata circa Immunitatem Ecclesiarum. n. 6.

1.

QVintò similiter negativè resolvimus illam quaestionem, quâ quaeritur, an judex Laicus cognoscere possit, utrum hic & nunc reus gaudeat Immunitate Ecclesiarum, cum suâ interesse possit, hoc scire, ut intelligat, num eum carcerare fas sit, & ferre Sententiam capitis in illum;

2. Consequenter neque intromittere Laicus se potest, quo ad cognitionem criminis, eô fine, ut determinet, num illud sit de enormibus, & exceptis, ob quae quis privatur Ecclesiae Immunitate;

3. Vel quo ad cognitionem loci, utrum sacer vel religiosus sit.

4. Adeoque instar regulae esse possit, ut, quoties dubium est, num hic & nunc jurisdictio, & causae cognitio sit judicis Laici, vel Ecclesiastici, semper Ecclesiasticus tanquam superior cognoscat, ut ex communi Sententia cum *Felin. & Decio. in c. pastoralis. de rescript.* & *Covarr. pract. qq. c. 33. n.* 1. tradit *Diana p. 4. tract. 1. resol. 64.*

5. Deinde quoties definitivè conclusio formanda est ex praescripto juris Canonici, etiam cognitio eorum, quae ad eam faciendam connexa, ac necessaria sunt, judicaturo secundum Canones competet, consequenter cum judicis Ecclesiastici sit, defini-

definitivè concludere: hoc crimen privat Immunitate Eccleſiæ, hoc non privat: Item hic locus ſacer eſt, hic non eſt ſacer, âd eundem pertinebit, cognoſcere, num hic & nunc quis gaudeat Immunitate, num crimen ſit de atrocibus, & ijs quæ privant Immunitate, num aliquis locus ſacer ſit, & conſequenter ad eum fugiens gaudeat aſylo Eccleſiaſtico. &c.

6. Et iſta Sententia eſt certa ſtante *Bulla Gregorij* 14. lata de *Immunit. Eccleſ.* quæ incipit: cum aliàs nonnulli. & allegat plures *Diana p.4. tract.1. reſol.69.* qui nobiſcum ſentiunt. Atque bonus textus eſt *in c. ex parte. de verb. ſignif.* ubi deciditur, quod & in caſu quo controvertitur, an territorium Eccleſiæ ſit violatum, ad judicem Eccleſiaſticum ſpectet cognitio, ſicut ſi captus à ſæculari Magiſtratu aſſerat, ſe in loco ſacro captum, ut ibidem ex eadem ratione reſolvit. *Diana.*

CAPUT VI.

De Privilegio Fori in cauſa criminali.

SUMMARIUM.

Perſona Eccleſiaſt. non tantum quo ad actiones perſonales & reales, ſed vel maximè in cauſis criminalibus pleniſſimum fori Privilegium obtinent. num.1.

Allegantur ad hoc textus, eodem num.

Immunitatem jam anteà ſanctè obſervatam cum turpiter Iulianus apoſtata conculcâſſet, reſtituit Theodoſius & Valentinianus. n.2.

Fridericus 2. Imperator (alam quadantenus à Iuſtiniano Novell.83. coll.6. pleniſſimè redintegravit. num.3.

Etiam in feudalibus, ut ſuprà c.3. de Privil. in act. reali. controver.3. n.8. jam meminimus; & hic repetitur, quoties criminaliter agitur, judicis Eccleſ. juriſdictio eſt, non Domini Senioris, cui aliàs Vaſallus & Clericus ſubjicitur.4.

Tractans negotia ſæcularia non eò ipſo privatur Immunitate. n. 5.

Immiſcens ſe enormitatibus, quando deſti-

destituatur hoc Privilegio sub distinctione. n6.

Ratio differentiæ assignatur. ibid. num. 7.

Quæ requirantur, ut immiscens se enormitatibus privetur hoc Privilegio. vide remissivè. numero 8.

I.

CLericos, aliasque personas Ecclesiasticas, non tantum quò ad actiones Civiles, personales & reales, ut modo satis fusè per textus & authoritates Doctorum deduximus, à foro sæculari exemptos esse, certum est, sed in omnibus etiam causis criminalibus plenissimum fori Privilegium obtinere, quatenus coram Judice Laico conveniri, aut mulctari nullatenus possint, passim Decreta Conciliorum, & Summorum Pontificum extant, quæ congesta vide apud *Gratianum causa* 11. *q.* 1. & palàm textus sunt in Decretalibus. *toto tit. de judicijs. c. at si Clerici. c. Clerici. c. qualiter & quando. c. cum non ab homine. & titulo. de for. compet. c. 2. c. si diligenti. c. significasti.* Eandemque exemptionem Imperatores Christiani passim suis sanctionibus firmaverunt; certè, ut legere est in *Codice Theodosiano lib. 45.* & duobus sequentibus, sicut illos allegat *Leymann. lib. 4. tract. 9. cap. 4. de Immunitate Eccles.*

2. Cum Immunitatem Clericorum jam anteà sanctè observatam Julianus Apostata turpiter conculcâsset, Theodosius & Valentinianus Imperatores ita rescripserunt: Privilegia Ecclesiarum omnium, quæ sæculo nostro Tyrannus inviderat, pronâ devotione renovamus. Clericos item quos indiscretim ad sæculares Judices debere deduci, infaustus præsumptor edixerat, Episcopali audientiæ reservamus. Fas enim non est, ut divini muneris ministri temporalium Potestatum subdantur arbitrio.

3. Quod

3. Quod si eandem aliqualiter à *Iustiniano* quoque *Novellâ*, *83. coll.6.* læsam deprehendimus, correctam à Friderico Secundo in Authenticâ: Statuimus, jam superiùs *c. 2. allegata*, dicimus, ubi ita loquitur: Statuimus, ut nullus Ecclesiasticam personam in criminali quæstione, vel Civili trahere ad judicium sæculare præsumat, &c. Quod si actor fecerit, jure suo cadat, judicatum non teneat, & Judex ex tunc potestate judicandi privetur: valdè enim indecens esset (notent hoc nostri Cleromastiges) ut statu inferior, qualis est Laicus, judicet Superiorem, qui sunt Sacerdotes, aliæque personæ Ecclesiasticæ per *c. duo sunt. distinct. 96.*

4. Atque hæc, quæ de Exemptione Clericorum in causâ criminali diximus, eatenus ampliamus, ut, tam etsi aliàs in certis casibus quo ad causas Civiles Clerici, velut est causa feudalis, Laicorum judicio subijciantur, si tamen causa criminalis etiam quo ad feuda emergat, illa Ecclesiastico, non sæculari judicio subijcienda sit, per ea, quæ notat *Abb. & Innocent. in c. verum, num.17. de foro compet. c. at si Clerici, c. cæterum. de judicijs.*

5. Sed neque tunc statim, ut aliqui volunt, tribunali Laico subdendum esse Clericum putamus, quando negotijs sæcularibus, vel vilem exercens artem. v.g. macellarij, tabernarij, etiam dimisso habitu immiscetur; nisi expressim tertiò monitus sit. per apertum *text. in c. fin. de vit. & honest. Cler. Clement. 1. eod. tit. de Sent. excommun. c.25. & 45. & utrobiq; gloss. Covarr. pract. qq. c.32 num.2. Sanch. de matrim. disput.46. lib.7. num.18. Clarus. §. fin. q.36. à num. 23.* alij plures allegati *à Barbos. dicto tract. Iur. Univers. Eccles. lib.1. c.39. §.2. num.17. & 18.*

6. Quod autem communiter dicitur: Clericum se immiscentem enormitatibus (quæ in proposito talia delicta sunt, ut ex ijs infamiam quis incurrat. teste *Aloys. Riccio. in sua praxi. resol. 371. num. 3. Barbos. cit. loc. num. 76.*) Privilegium fori amittere, intelligendum sub distinctione est, secundum decisionem Cardinal. allatam ab eodem *Barbos. dicto num. 76. in una Motulensi. 1. Febr. anno* 1620. ita, ut vel Clericus se ejusmodi enormitatibus immiscens pluribus vicibus, fuerit in habitu & tonsurâ Clericali, vel in habitu Laicali, si primum, tunc secundum d. decisionem eô ipsô, absque alia monitione prærequisitâ censetur renunciâsse Privilegio Clericali. Si secundum, opus sit trinâ monitione.

7. Ratio esse potest hujus diversitatis, quod in primo casu jura in odium tam graviter læsi Ordinis Clericalis, (quod talis Clericus incedens cum habitu & tonsura Clericali non est veritus se immiscere tantis enormitatibus;) præsumant præsumptione juris & de jure, dictam renunciationem Privilegij Clericalis, non verò in secundo casu, cùm non subsit eadem ratio, utpote cum Laicaliter vestitus, communiter tanto scandalo non sit.

8. Quæ autem aliàs abstrahendo ab hac Cardinalium resolutione requirant Doctores, ut Clericus immiscens se ejusmodi enormitatibus, privetur fori Privilegio, notat *cum citatis à se Barbos. num. 72. & seqq. loco cit. Diana. p. 1. tract. 2. resol. 24. & 130.* ubi accuratè examinat hanc difficultatem. Cæterum etsi teste *Deciano, in tract. crim. tom. 1. lib. 4. c. 10. Iulius Clar. §. fin. q. 36.* ubi multa ad propositum tradit, & *Cassanæus de consuet. Burgund. rub* 1. §. 1. *num.* 47. rectè, & ex communi velit Clericum præsertim in Criminalibus, de quibus hic modò sermo est, exemptum esse à Jurisdictione Laicorum, notare tamen plures casus est, in quibus Laici videntur de criminibus Cleri-

Clericorum cognoscere posse, & è contra Ecclesiastici de Laicorum, ex quibus notabiliores aliquos, quantum satis erit, referemus.

EXCEPTIONES AD CAPVT VI.

De Privilegio Fori in causis criminalibus communiter Clericis indulto.

SVMMARIVM.

Praambula ad subsequentes in specie exceptiones est Exceptio communis & primipilaria, quatenus Clericus, aliáve persona Ecclesiast. se immiscens enormitatibus hoc fori Privilegio non gaudeat. vide n. 6. c. 6. de Privil. for. in caus. crim. paulo ante discusso.

Ibidem traditur: quando, & sub quibus conditionibus excidat quis hoc Privilegio secundum DD. n. 8, remissivè.

EXCEPTIO I.

SVMMARIVM.

Clerici histrioniam exercentes privati sunt hoc Privilegio ipso jure, si id fiat per annum continuum. num 1.

Minus quàm per annum eidem vacantes tunc privati sunt hâc immunitate, si post trinam monitionem non resipiscant. n. 2.

1.

ET primò quidem expressus textus est *in 6. de vit. & honest. Cler. c. unico.* Clericos histrioniam exercentes, quos jura voce barbara Goliardos, vel Buffones appellant, aut per annum continuum mimos agentes, ipso jure omni Privilegio Clericali privatos esse.

2. Quod

2. Quod si verò minus, quàm per annum mimicis gesticulationibus vacaverint, nec interim ad trinam monitionem desistant, tunc saltem per Sententiam amittere digni sunt prædictum Privilegium. per ea, quæ notat fusè *Decianus lib.4 c.9. num.86. Barbos. & allegati ab eodem ubi suprà.*

EXCEPTIO II.

SVMMARIVM.

Clericus ter monitus, nec se emendans, atq; ita incorrigibilis existens, Privilegium amittit, potestq; ex tunc coërceri à judice Laico. n.1.

Allegatur ad hanc resolutionem text. ibid.

Quando completè habeatur pro incorrigibili. n.2.

Excommunicatio & Anathema regulariter pro eodem sumuntur, fallit hic. num.3.

Distinguntur Clericus incorrigibilis, & enormiter peccans. n.4.

Quomodo intelligendi DD. dicentes: in Clericum enormiter peccantem judicem Laicum non posse procedere ante traditionem Curiæ sæculari factam. eod. n.4.

Hoc non habet locum in incorrigibili. eod. n.4.

1.

SEcundò Clericus, qui ter monitus, etiamnum se non emendat, & ita pro incorrigibili habetur, Privilegium Fori amittit, potestque ex tunc coerceri à judice Laico. per express. text. *in c. cum non ab homine. de judicijs.*

2. Dicitur autem tunc incorrigibilis, secundum *Decianum lib.4. c.9. num.130.* quando contemnit legales pœnas sibi impositas, negligitque mandata suorum Superiorum ac judicum, & deliberatè ad delinquendum procurrit, ita ut (veluti colligitur ex *cit. c. cum non ab homine. & c. at si Clerici,*) Ecclesia

non

non amplius habeat, quid pro tantâ incorrigibilitate delinquenti imponat, ut patet ex allegato. *c. cum non ab homine.* cum enim ibi in crimine enormi deprehenſum deponi Clericum Pontifex juſſiſſet, velut exemplificatur ibidem in crimine furti & homicidij, ſecutâ incorrigibilitate, ſive, ut hîc ſumitur incorrigibilitas, ſpontaneo relapſu in idem, vel ſimile crimen ſæpius patratum eundem excommunicari, ac denique incorrigibilitate quaſi completâ ac ſubſequente contumaciâ, anathematis mucrone feriri mandavit, quo facto ſi necdum ad frugem ocyus, ac pœnitentiam rediturus eſſet, jam non exſpectatâ ulteriori declaratione incorrigibilitatis, etiam non ſecutâ formali traditione factâ poteſtati Laicæ, Judex ſæcularis procedere contra talem, maximè ſi in flagranti deprehenſus ſit, omni jure poterit.

3. Tantùm hîc nota, etſi ſæpe pro eodem ſumantur: excommunicatio, & anathema, quia tamen hic tanquam diſtincta ſibi opponuntur, videtur Pontifex velle per anathematis mucronem intelligere execrationem reſciſſivam à corpore Statûs Eccleſiaſtici, quæ medicinalis, ut communiter eſt excommunicatio, amplius non ſit, ſed merè pœnalis, ob contumaciam incorrigibilitatis. vide quæ not. *Barboſ. ad hoc. c.*

4. Quod autem ſatis multi tenent *per c. novimus. de verb. ſignif. c. degradatio. de pœnis in. 6. c. falſariorum. de crimine falſi.* ad hoc, ut exercere ſuam poteſtatem in Clericum enormiter peccantem Judex Laicus poſſit, præcedere debere formalem Clerici traditionem Curiæ ſæculari faciendam, vel non niſi præmiſſa degradatione, procedere dicimus, in caſibus de jure ſpeciatim expreſſis, & ubi ſumus extra vitium incorrigibilitatis, de quo *Capitulum, cum non ab homine.* eo modô, quo diximus, diſponit. Nam propter nimiam criminis enormitatem evenire poteſt, ut Clericus aliquando etiam non incorrigibilis,

potestati & Curiæ Laicali puniendus mox subijci debeat, & ita conciliantur opiniones. vide *Barbos. cum allegatis à se.* ubi tamen paulò aliter, & magis intricatè loqui videtur. melius *Abbas & hostiens. in cit. c. cum non ab homine*, & quæ notat. *Diana. moral. resol. p. 1. tract. 2. resol. 32. resol. 24. & fusissimè. resol. 130.* quem omnino vide.

EXCEPTIO III.

SVMMARIVM.

Assassinij crimine infames excluduntur ab hoc etiam Privilegio, num. 1.

Quid ad hanc pœnam incurrendam requiratur secundum Covarruv. 2. & qui sint propriè assassinij ex mente ejusdem eod. num.

Examinatur opinio Covarr. & rejicitur. n. 3. 4. & 5.

Assassini propriè & originaliter sumpti fuerunt Syri. n. 6.

Iura accipiunt verba, ut communiter solent accipi. n. 7.

Etiam ex mente Covarr. assassinus accipitur pro quovis infideli percussore, etsi ex Syria oriundus non sit. eod. num.

Gwelfi & Gibellini fatali inter se odio dissidebant, & qui fuerint. num. 8.

Tam mandans quam mandatarius, sive Laicus, sive Clericus fuerit, & licet uterque Christianus, pœnâ assassinij tenetur, modo interemptus sit homo Christianus. num. 9.

Requiritur Sententia declaratoria à Iudice Ecclesiast. ferenda super incurso crimine assassinij, ut contra illos judex Laicus procedere possit. n. 10.

Ratio, cur ferenda Sententia declaratoria sit super crimine assassinij. num. 11.

1.

TErtiò inter amittentes Fori Privilegium communiter numerantur Clerici, crimine Assassinij infames. De quo habemus decisionem expressam *Concilij Lugdunensis relatam in c. 1. de homicid. in 6.*

2. An autem ad incurrendam illam pœnam, de quâ ibi

sanctio

sanctio Pontificia, requiratur, *ut vult Covarr. lib.2. variar. c.20. n.*10. *Navarr. in manuali. c.27. num.156. Barbos. ad idem. c.3. citatum de homic. & sæpe dicto. lib.3. §.2. c.39. num.86. Iur. Univers. Ecclesiast.* alijque ab ijsdem, maximè *à Covarr.* allegati, ut Christianus occidatur à tali, qui ipse Christianus non sit, sed Barbarus, & de fæce infidelium dictorum: Assassini, qui, ut scribit *Covarr. teste Volater. lib.11. de sect. Syria.* & *Paul. Æmilius de rebus Francor. lib.5.* erant Syriæ inquilini, ita à Pueritia instructi, ut mandato Regis vel Domini, cui obediunt, quosvis audacter inopinatò perimant: tametsi ex mente *Covarr. per express. text. cit. c.*1. *de homic. in 6.* interim non intersit ad incurrendam dicti capituli pœnam, licet Domini, cujus Imperio præfati Assassini in necem alicujus dimittuntur, sint Christiani, imò etiam Clerici. Vel, ut communis, & contraria vult Sententia, attestante eod. *Covarr. ibidem. num.*10. ad incurrendam *dicti. c.* pœnam sufficiat, modò quis de mandatô alterius, sive Christianus, sive Barbarus & verè Assassinus, hominem Christianæ religionis inopinatò perempturus opprimatur: Dubium est inter Doctores, ut apud sæpe nominatum *Covar. dict. loc.* videre est, qui contrariam, & communem opinionem omnino falsam arbitratur.

3. Sed meo quidem sensu, nimis confidenter, nam quod hoc colligi luculenter ex illis verbis *cit. cap.* 1. *de homicid. in 6.* putat, ubi textus ita loquitur: Præsertim cum nonnulli Magnates taliter perimi formidantes coacti fuerint, securitatem ab eorundem Assassinorum Domino impetrare, sicque ab illo non sine Christianæ Religionis opprobrio redimere quodammodo vitam suam, &c. Ego certè non video, quæ sit conse-

quentia: aliqui Magnates debebant redimere quodammodo vitam suam ab ejusmodi percussorum Domino: Ergo tales percussores debent esse infideles, & ut plurimum verè Assassini.

4. Nam summus Pontifex potius ad causam principalem hujus enormis delicti respicere voluit & debuit, quàm ad instrumentalem, in quâ illâ cum non posuerit differentiam, num Domini mandantes fuerint fideles, vel infideles, Clerici, vel Laici, mirum profectò sit, si differentiam in instrumentali ponere voluerit. Nam ut sciunt etiam Philosophi, effectus causæ instrumentalis imputatur causæ principali; in cujus virtute operatur. Hæc autem verba: Non sine Christianæ dignitatis opprobrio. rectè explicata, opinione meâ hunc sensum habent, quod cum inter Christianos omnis servitus pridem sublata sit, quæ aliàs Dominis de jure maximè veteri, potestatem vitæ & necis tribuebat, sanè non sine Christianæ dignitatis opprobrio, Chrstianus à Christiano redimere vitam suam quodammodo deberet, maximè inter illos, qui se redemptos semel in vitam æternam, Christi sanguine gloriarentur.

5. Quid ergo? num qualitas infidelitatis in percussore infideli majorem atrocitatem operabitur, quam in percussore Christiano respectu percussi Christiani? ut adeo illo infideli occidente pæna incurratur, non occidente hoc? respectu cujus tanquam fidelis contra fidelem ut fratrem insurgentis, sine dubio major est enormitas, quam respectu illius infidelis.

6. Secundò. cùm Assassini fuerint orientales populi, utpote Syri, cum quantâ copiâ usque in occidentem debuissent immigrare, & quidem in Italiam & Burgundiam? Fuit enim hoc crimen tempore Innocentij quarti, qui eidem Consilio, in

in quo pænam prædictam in Aſſaſſinos conſtituit, *ac Anno Domini* 1245. Lugduni præſedit, admodùm frequens. Deinde non eſt credibile, Clericis tolerandum fuiſſe, habere, vel ſuſcipere, aut emere ejusmodi infideles, hoc crimine Aſſaſſinij infames, in ſuâ domo ac dominio futuros.

7. Tertiò, cùm ſoleant Conſilia, quæ delicta certarum perſonarum prohibent, uti nominibus & verbis, ſicut communiter accipiuntur; communiter autem Aſſaſſini tunc, ut & hodie in Italia, dicantur indifferenter eſſe percuſſores aliorum inopinati, ad hoc maximè conducti, & de mandato alterius ſubmiſſi, miror cur detorquere dictam ſanctionem ad ſolorum infidelium percuſſorum interventum velimus. Et quæ eſt ratio, cur nomine Aſſaſſini quivis alius etiam non Syrus, modo ſit infidelis, ſi taliter interimat, venire dicatur, & non etiam Chriſtianus, cum idem delictum committat? immò cum qualitate majoris enormitatis, ut vidimus, neque enim etiam alius infidelis, ſi Syrus non ſit, verè Aſſaſſinus dici poteſt, & certè etiam hodie aliquem Chriſtianum vulgari uſu & acceptione vocamus Ethnicum, vel Turcam, qui gravia delicta ab Ethnicis & Turcis fieri ſolita, facit, etſi ſine dubio reverâ, & in perſonâ talis non ſit: cur ergo non etiam Aſſaſſinos Pontifex vocare voluiſſe credendus eſt, quicunque tam enormia delicta Aſſaſſinorum perpetrare auſi fuerant?

8. Et me, ut credam, maximè perſuadent iniqua tempora illius ævi, ac fatale odium inter Gwelfos, & Gibelinos, poſt Fridericum Secundum ab Innocentio Quarto Imperio privatum. Nam ut bene notat *Thritemius* noſter in *Chronico Hirſaugienſi.* tantis odijs Gwelfi & Gibelini (hi erant qui Friderico adhærebant, Gwelfi, qui Pontifici) in ſe mutuò exarſerant, ut Gibelini quomodocunque, quibusvis etiam machinationibus poſſent Gwelfos, & hi Gibelinos de medio tollerent: ut adeò paſſim ejuſmodi percuſſores, qui Aſſaſſini ho-

dieque vocantur, in necem aliorum conducerentur: ad quod *Covarruvias* utpote, ceu homo in Hispaniâ natus, rerum Imperij, & Germaniæ minus gnarus non videtur advertisse.

9. Hâc itaque pænâ tam mandans, quam mandatarius, sive Laicus sit, sive Clericus, etsi uterque Christianus, tenetur, modo perimatur homo Christianus. Crimen enim Assassinij committi dicitur tam ex persona mandantis, quam mandatarij, ut tenet etiam *Covarr. num.* 10. *à princ.* etsi paulò pòst contrarium asserat.

Nobiscum sentit *Barbos. ad sæpe dictum, c.* 1. *de homicid. in. 6. Farinac. in prax crim. p.* 1. *q.* 123. *Capyc. decis.* 155. *& alij à Covarr.* allegati maximè *Everardus in locis topicis, c* 76.

Revertendo itaque ad præsentem Quæstionem de fori Privilegio in criminali quoad personas Ecclesiasticas:

10. Clericum tam mandantem, quam mandatarium, si de crimine Assassinij probabiliter constet, ut apertè deciditur in *text. c.* 1. *citati.* ipso jure Privilegio Clericali exutum esse. [1](dicitur enim diffidatus) posséque à judice Laico impunè contra eum procedi, præmissâ tamen sententiâ incursi Assassinij declaratoriâ, à judice Ecclesiastico ferendâ. per ea, quæ notat. *Barbos. sæpe. d. c.* 1. *de homicid. in.* 6. *num.* 22. *& cit.* § 2. *c.* 39. *lib.* 1. *univers. Iur. Eccles. num.* 85. *Grammaticus decis.* 105. *num.* 60. *Felin in. c. cum non ab homine. num.* 9. *&* 10. *de judicijs & in. c. Rudolphus num.* 35. *de rescriptis. communiter Interpretes in sæpe d. c.* 1. *de homicid. in* 6.

11. Ratio secundum prædictos Doctores est, quod quoties pæna ipso jure pro aliquo crimine imposita est, intelligi debeat, modò subsequatur sententia declaratoria.

EXCE-

EXCEPTIO IV.

SUMMARIUM.

Clericus probabiliter non gaudet Privilegio fori, ſi, cùm aliquod delictum ante Clericatum patràſſet, poſteà ad evitandam juriſdictionem ſæcularem, judiciumq́; declinandum facit ſe hoc fine ordinari in Clericum. n.1.

Limitatur: niſi bona fide faceret ſe Clericum, quod præſumitur, niſi aliud ex circumſtantijs colligatur. n.2.

Aſſignatur ratio. n.3.

Quando prius degradatione opus ſit ad hoc ut Curiæ ſæculari Clericus Privilegio fori privatus tradatur. n.4.

Iudex Eccleſiaſt. cognoſcit, an quis fraudulenter ſe fecerit ordinari. num.5.

Ponitur objectio ad præmiſſa. n.6.

Reſpondetur. n.7.

Cur Clericus talis extra Caſum degradationis non poſſit à Laico judice corporaliter puniri. n.8.

1.

QUartò, valde quoque probabile eſt, illos etiam Clericos fori Privilegio non gaudere, qui, cum antè delictum aliquod tale commiſiſſent, poſtea ad evitandam jurisdictionem ſæcularem, declinandúmque judicium faciunt ſe ordinari.

2. Quod tamen ſecus eſt, ſi id bona fide fecerint, quod & præſumitur, niſi aliud ex circumſtantijs colligatur. Ita præter *Barboſ. cit. tract. Iur. univer. Eccleſ. c.* 39. *num.* 87. *Covarr. pract. qq. c.* 32. *num.* 4. *Cavall. com. contra. com. q.* 563. *& de cognit. per viam viol. p.* 2. *q.* 37. *Deciam. quæſt. criminalium. tom.* 1. *lib.* 4. *c.* 9. *num.* 60. argumento eſſe *poteſt* Lex. *hos accuſare.* §. *hac beneſ. item L. Magiſt. ff. de accuſ. Bart. in L.* 1. *ff. de pœnis. Oldradus conſ.* 4.

3. Et

3. Et ratio est, quod dolus nemini debeat patrocinari *c. intelleximus. in fin. de judicijs. & c. 2. de dolo.* imo ejusmodi personæ tam enormiter delinquentes tanquam infames, ordinibus indignæ sint.

4. Nota tamen, etsi tales fraudulenter promoti, quo ad hæc maneant sub jurisdictione judicis sæcularis, non tamen poterunt per eum absque præviâ degradatione, si id crimen perpetratum mereatur, pæna corporali capitali puniri, sed tantùm pro qualitate criminis, bonorum & rerum multâ ac amissione. ita *Covarr. ex communi Sent. cit. loc.* Consequenter, si crimen pænam mortis mereatur, aut mutilationem membri, erit talis Clericus, ut modò diximus, prius degradandus per Episcopum, & tradendus Curiæ sæculari: & ita tenet *Bartol. cit. L. 1. ff. de pænis.* ut adeò nullo modo liceat judici sæculari in personam Clerici, etiam fori Privilegio destituti ante degradationem pæna corporali animadvertere.

5. De hac autem fraude Judex Ecclesiasticus cognoscet, sicut ad hoc allegat decisionem Cardinalium. *Barbos. cit. loc. n. 89. in fin. vide* etiam *Zerol. in sua prax. p. 1. verbo. Clericus. num. 6. Dianam resol. mor. p. 1. tract. 2. hoc tit. resol. 27. Suarez. de Immunit. Eccles. lib. 4. c. 15. num. 17. & Trident. sess. 23. c. 4. ibid. Barbos.* ubi in terminis prohibetur, ne causâ subterfugiendi sæcularis judicij aliquis post delictum commissum se faciat ordinari.

6. Quod objiciunt: sicut videre est *apud Dian. & Suarez.* aliquem post crimen admissum confugientem ad Ecclesiam, gaudere Immunitate, ergo etiam gaudere debere, facientem se post delictum ordinari. Item argumento *ex. l. qui cum uno. §. reus. ff. de re milit.* à simili desumto, ubi criminaliter accusatus, si efficiatur miles, non remittitur, sed à Judice militiæ judicatur. Ergo à fortiori locum habere debet in effecto milite cælesti.

7. Re-

7. Reſpondemus ad primum, negando paritatem, jura enim cum prohibuerint talem criminoſum ordinari, per conſequens etiam videntur negare voluiſſe Privilegium fori, quod non eſt in confugiente ad Eccleſiam, cui hoc aſylum de jure prohibitum non eſt.

8. Ad ſecundum reſpondendo, dico: in multis fallere argumentationem à milite ad Clericum: ergo ſolidi ex *ea. L.* nihil inferri, cur autem puniri à Laico pecuniaria multâ poſſit, & non corporali, (præmiſsâ tamen ſemper ſententiâ declaratoriâ à Judice Eccleſiaſtico, quod hic & nunc non gaudeat fori Privilegio,) ratio eſt, quod tametſi ipſum non juvet Privilegium fori, ſi tamen extra caſum degradationis, vel traditionis Curiæ ſæculari factæ, corporaliter à Judice ſæculari mulctari poſſet, cederet hoc in ignominiam univerſi Ordinis Clericalis, cum reverâ Clericus, talis criminoſus, ſit, quod jura canonica non admittunt ob reverentiam Ordini Clericali debitam.

Atque his quidem quatuor caſibus Privilegium fori Clericos amittere, certum de jure putamus.

Cæterùm quæ magis controverſa circa hoc privilegium fori quo ad perſonas Clericorum in cauſis criminalibus ſint, jam nunc ordine pandemus.

CASVS MAGIS CONTROVERSI circa Privilegium Fori in causâ criminali.

SVMMARIVM.

Clericus, quando unum & idem crimen committit cum complice Laico, cui judici uterq; ſubjiciatur? n 1.

Communiter quilibet à suo judice judicatur, n.2.
A judice Ecclesiast. utrumq;, tam Clericum quàm Laicum judicandum esse deciditur. n.3.
Argumenta adversariorum. num.4. & 5.
Fundamenta pro Iudice Eccles. quo ad utrumque delinquentem afferuntur. n.6.
Rationes nostræ Sententiæ, num.7.8. & 9
Constantinus Imper. sua chlamyde se velle tegere peccantem Clericum dixit; ne exinde Clericalis dignitas vilipendium incurrat. numero 10.
Respondetur ad argumenta adversariorum. n.11. 12. 13. 14.
Clericus & Laicus ubi communitatem habent, ut si. v.g. coheredes sint, pro causâ communi apud Iudicem Ecclesiast. conveniendi sunt. n.15. & 16.

QVæritur ergo primò, quid Juris eo in casu, quô Clericus simul cum Laico aliquod delictum committit, ita ut unum & idem utriusq; crimen esse dicatur:

1, Verbi gratia. Clericus cum sua coquâ fornicatus est, cum sui æditui uxore adulterium commisit, furatus est cum Sempronio, unà cum Titio homicidium perpetravit. Vel si perplexitas, & connexio causæ impediat processum plurium judicum, ut contingit in casu, quo quis mandat delictum, & alter illud tanquam mandatarius exsequitur?

2. Et respondeo: tametsi passim usu & praxi forensi quilibet horum delinquentium ad suum forum trahatur, Clericus scilicet ad Judicem Ecclesiasticum, & Laicus ad sæcularem, de jure tamen scripto multò probabilius: imò certum videri:

3. Stante maximè decisione Cardinalium, de quâ paulò pòst, judicis Ecclesiastici, quo ad utrumque delinquentem, Clericum scilicet & Laicum, jurisdictionem esse.

4. Ad-

4. Adverfarij fe fundant primò, ut diximus in praxi forenfi, & inveteratâ confuetudine. Secundò *in L. fi qui uxori. ff. de furtis.* ubi dicitur Socium criminis in delictis non gaudere Privilegio focij.

5. Et tertiò ratio effe poteft, quod cum judex Ecclefiafticus non foleat imponere pro delicto pœnam capitalem cum effufione Sanguinis, graviffima etiam delicta quo ad Laicos manerent impunita, vel faltem non debitâ de jure pœnâ mulctata, quod eft abfurdum.

6. His tamen non obftantibus dicimus: adhuc judicis Ecclefiaftici quo ad utrumque fore jurifdictionem. Et pro noftrâ Sententiâ allego cum *Scaccia. lib. 1. de judice caufarum. c. 11 num.* 24. ut eum citat *Diana p.4. tract 1. hoc tit. refol 7.* Decretum facræ Congregationis Cardinalium, quæ de *anno* 1591. *die* 10. *Decemb.* refcripfit Domino Pompeio de Amatis tunc temporis commiffario civitatis Tufculanæ, ut tam Clericos, quam Laicos inquifitos de violentiâ illatâ cuidam mulieri remitteret ad Judicem Ecclefiafticum.

7. Ratio pro noftrâ hac Sententiâ defumitur primò. *ex. c. per tuas de arbitris c. quanto. de judicijs. & ex L. fi communem. ff. quemadmodum Serv. amitt. & ex L eum qui. ff. de ufucap.* ubi magis dignum, ad fe minus dignum trahere deciditur. Sed Judex Ecclefiafticus eft magis dignus refpectu Laici: ut per fe notum eft, ergo tanquam magis dignus judicium aliàs Laico competens, tanquam minus dignum ad fe trahet. Secundò, quia caufæ continentia & connexitas dividi non debet. *per L. nulli. Cod. de judicijs. c.1. de cauf. poffeff. & propriet.* Hæc autem crimina connexa effe, nemo non videt, & Clericum judicare Laicus non poteft, ergo dividi non debent, & uterque à Judice Ecclefiaftico judicandus erit.

8. Ratio pro hác Sententiâ effe poteft, quod, ftante hâc

complicum ejusdem criminis connexitate & continentiâ, Judex Laicus exactam cognitionem, præsertim quo ad circumstantias delictum aggravantes, & consequenter pœnam augentes, vel minuentes habere non possit, nisi etiam de facto Clerici inquirat; quid si enim mulier vim sibi à Clerico factam dicat, neget Laicus manus violentas in homicidio perpetrato intulisse, sed tantùm adfuisse, & similia, quomodo ergo Sententiam feret citra periculum injustitiæ committendæ? cum confrontare utrumque reum ipsi non liceat.

9. Deinde: quia sic magis consulitur honori & reverentiæ Ordinis Clericalis, cum notum sit, cum quantâ vilipensione, contemptu, & irrisione Statûs Ecclesiastici evulgentur à Laicis crimina Clericorum, quibus de jure SS. Canonum dicuntur aliàs infensi.

10. Et si pientissimus Constantinus Imperator. ut *c.1. hujus disput.* audivimus, ob reverentiam Ordinis, tegere sua chlamyde se velle peccantem Clericum contestatus est, quis æquanimiter feret, ejusmodi crimina à Judicibus profanis, & minorum multò subselliorum, publicari, quod frequentissimè fieri cum tanto præjudicio animarum, & contemptus Ordinis Clericalis utinam experientia non comprobaret! Et hanc nostram Sententiam plurimi tenent, allegati à *Diana. dicta. p.4. tract.1. resol.7. & p.3. tract.1. resol.1. Leyman. lib.4. tract 9. c.4. num.10. Tambur. de jur. Abb. tom.1. disput.15. q.19. num.40. Farinac. de inquis. q.8. num.151. Felin. c.1. de præsumt. n.6.*

11. Ad argumenta, & text. in contrarium adductos respondeo. 1. textum. *L. si quis minor.* nihil contra nos pugnare, tum quia Legislator sæcularis nihil contra Clericos & eorum Privilegia, etiam indirectè statuere potest. per sæpe *cit. c. Ecclesiæ S. Mariæ. de constit.* tum quia nihil ad rem facit; uxor enim cum non teneatur de furto pro rebus subtractis viro, si alius,

qui

qui opem ei præstitit in furando, hanc Immunitatem haberet, utique impunitus evaderet, & ideò non mirum, si Privilegio uxoris non gaudeat. Vt taceam Privilegium illud personale esse, & sic ad complicem non extendendum, ne ex delicto suo favorem consequatur, neque ex eo, quod Laicus coram Ecclesiastico judice hîc & nunc respondere tenetur, sicut nec Clericus, impuniti manebunt.

12. Respondeo secundò: quod usu & consuetudine se excusare possint Laici judicantes in hâc causâ, verum non videri ob rationes pro nostrâ Sententiâ allegatas, & cum hoc Privilegium à jure concessum sit Clericis ob dignitatem sui Statûs Clericalis, qui ex Sententiâ adversariorum non minimùm, saltem indirectè, læderetur, prævalere consuetudo in contrarium non potest. Vt audiemus ex ijs, quæ de consuetudine contra Immunitatem Ecclesiasticam introductâ, in subsequentibus dicemus.

13. Ad rationem pro contrariâ sententiâ allegatam respondeo: etsi judex Ecclesiasticus pœnam capitis cum effusione sanguinis imponere non possit, non tamen inde sequi, gravissima delicta fore impunita, vel saltem condignâ pœnâ non mulctari: vel enim delictum tale est, quod pœnam capitis in Laico mereatur, & remittetur ad Judicem Laicum aliàs competentem, ut capitalem sententiam subeat, vel aliàs in corpore mulctetur. Neque hoc novum, cum & Clerici enormiter delinquentes soleant ad hoc Curiæ sæculari tradi, vel tale delictum est, quod pœnam solùm pecuniariam mereatur, & eandem quoque Judex Ecclesiasticus imponere poterit; ut adeo delicta ex eô, quod utrumque, Laicum & Clericum Ecclesiasticus judicet, meritam pœnam nullo modo effugiant: & optimè interim honori Statûs Ecclesiastici consulatur.

14. Atque hæc à fortiori procedent, si vera est (ut veram

esse suprà jam comprobavimus) Doctrina *Maranta. de ord. jud. p. 3. distinct.* 11. *num.* 3. *Barbos. sæpe dicto.* §. 2. *c.* 39. *num.* 95. *Tamburin. ubi suprà.* qui docent: quod, ubicunque Clericus & Laicus communitatem habent, veluti si inter Coheredes plures aliquis sit Clericus, omnes pro eâdem causâ communi conveniendi sint coram Judice Ecclesiastico.

15. Sicutetiam, si disceptaretur in divisione faciendâ, controversia per eundem Ecclesiasticum dirimenda foret. Vel si Clericus & Laicus executores Testamenti simul essent constituti. Ita citati. vide etiam. *Stephanum Gratian. discept. forens. c.* 641. *num.* 3. *num.* 19. *&* 20.

CONTROVERSIA SECVNDA.

SVMMARIVM.

Quæ-

QUæritur secundò, quid juris eô in casu, quô Clericus, vel alia persona Ecclesiastica deprehenditur in flagranti facinore. v. g. homicidij, adulterij, furti, &c. à Laico Magistratu, vel ejus Ministris. Aut secundo cum sit debitor, Clericus de fuga suspectus est, aut, quod tertium est, noctu vel interdiu arma prohibita portat, an sine periculo excommunicationis incurrendæ, vel læsione Immunitatis Ecclesiasticæ comprehendi à Laico, etiam non accedente mandato Judicis Ecclesiastici possit?

2. Ratio dubitandi est, quod text. in. *c. ut famæ. de sent. excom.* in terminis decidat: in ejusmodi casibus id faciendum de mandato prælatorum, deinde, quia jam sæpe repetitum est, eos immunes esse ab omni jurisdictione, & invasione, per vulgatissimum illud. *c. si quis suadente.*

3. Sentio tamen primò his non obstantibus, Clericum in flagranti crimine deprehensum impunè à sæculari Magistratu capi posse, ac interim carcerari, dum Ecclesiastico Judici præsentetur. Et ita tenet in terminis cum communi sententia. *Panomit. in. c. cum non ab homine. num.* 21. *de judicijs. contra Hostiens. Barbosa ad. c. ut famæ. de sent. excom. cit.* plurimis allegatis. *& in. c. 2. de vit. & honest. Cler. Diana. cum plurib. citatis p.* 4. *tract.* 1. *resol.* 85.

4. Hôc singulariter animadversô, ut quamprimùm possunt, eum Judici Ecclesiasticô sistant: non distinguendo utrum per. 20. horas detineant, necné, ut non pauci limitant apud *Dianam. & Barbos. cit. loc.*

5. Ratio pro hac sententia desumitur partim ex *text. c. ut famæ. cit.* quod publicæ utilitatis intersit, ne ejusmodi crimina mane-

maneant impunita, & ne per impunitatis audaciam, qui nequam fuerant, fiant nequiores. Partim ex capite conjecturatæ mentis & voluntatis prælatorum, qui hôc casu prudenter inviti esse non possunt, quatenus eorum vice & nomine Clerici tales criminosi capiantur, cum hoc publicæ utilitatis, ut audivimus, intersit, & Ministri Judicis Laici hîc & nunc se tantùm habeant ut instrumenta Judicis Ecclesiastici, in cujus virtute, tanquam causæ principalis, hunc actum capturæ exercent.

6. Ut taceam id fieri licitum, etiam ex capite justæ defensionis Boni communis, & utilitatis publicæ, de Jure naturali competentis, cum fiat, ut supponitur, cum moderamine inculpatæ tutelæ, eo ipso, quod haberi expressum mandatum Judicis Ecclesiastici, cujus aliàs esset hic jurisdictionem suam interponere, non possit, & periculum sit in morâ.

7. Ratio dubitandi nihil obstat, intelligendus enim textus est in casu, quo periculum non est in morâ, & expressum mandatum de capiendo haberi à Prælatis Ecclesiarum potest, quod non negamus, aliàs enim non esset defensio justa, utpote cui deficeret moderamen inculpatæ tutelæ, neque dici potest hic jurisdictioni Laicorum propriè subjici Clericus, cum hunc actum illi exerceant nomine Judicis Ecclesiastici, ex conjecturatâ mente ad hoc consentientis, & patet ex eô, quòd teneantur, quamprimùm possunt, illum deducere ad eundem, neque hæc invasio fit suadente diabolo, qui potius malit Clericum in crimine perseverare. vid. *plures textus. pro hac nostrâ sententiâ ex jure comportatos à Panormit. ubi supra. in. c. cum non ab homine. de judiciis.*

8. Secundô casu, quô Clericus, qui debitor est, fit suspectus de fugâ, idem affirmamus: adeo quidem, (sicut etiam sentit *Panormitan. c. cum non ab homine.*) ut ab ipso creditore capi

possit.

possit. & sufficit hîc, utilitatis privatæ interesse controverti, argumento. *c. olim. de restit. spoliat.* modò & hîc creditor, quam primùm potest, Judici Ecclesiastico Clericum debitorem præsentem.

9. Ratio est, quod etiam hîc locum habeat remedium naturale justæ defensionis cum moderamine inculpatæ tutelæ, quod cuivis, etiam privato, pro rebus, ac fortunis suis conservandis concessum est, quando aliud de Jure scripto hîc & nunc habere non potest.

10. Quantùm ad tertium casum: Respondeo, etsi arma prohibita sint communi statuto, modò aliud periculum de præsenti non subsit, illa auferri à Laico Ministro Judicis sæcularis non posse.

11. Ratio est, quia, qui talia arma. v. g. Faust-Pistolen/ Stillet/ &c. absque præsenti læsione alicujus defert, non dicitur in flagranti, v. g. homicidio, vel mutilatione membri alicujus deprehensus, ut bene notat *Barbos. cit. c. 2. de vit. & honest. Cler.* & quæ notat *in. c. in audientia. de sent. excom.* plures allegati ab eodem, quidquid dicat *Covarr. pract. qq. c.* 33. *& lib. 2. variar. resol. capit. fin. num. ult.* vide etiam pro nostrâ sententiâ, *Dianam. p. 1. tract. 2. resol.* 10. cum plurimis ab eodem in utramque partem citatis.

12. Sed nunquid hîc etiam controvertitur utilitas publica, & bonum pacis, ac tranquillitas Reipub.? deinde nunquid hoc casu tenentur etiam Clerici Legibus civilibus, cum illæ, ut diximus, utilitatem publicam manifestè concernant? Et Clerici quoque sint membra Reipublicæ, & nunquid hoc faciunt potius defendendo tranquillitatem publicam, quam intendunt, quàm ut auferendo arma, pœnam Legis exequantur?

13, Respondeo, etsi controvertatur hic utilitas publica,

intuitu cujus conservandæ hæc arma prohibita sunt, tamen Laicorum non esse, in non sibi subditos sine mandato Prælatorum Ecclesiarum jurisdictionem exercere, propterea *in. c. ut fama.* non attento respectu utilitatis publicæ, nihilominus inhibetur Laicis, ne Clericos aggrediantur absque mandato Prælatorum, ut adeò sola utilitas publica non sufficiat, ut intuitu illius vel læsæ, vel lædendæ, Laicus jurisdictionem in Clericum aquirat.

14. Et sufficere debet Laicis, ut deprehensum talem Clericum cum armis prohibitis deducere ad Judicem Ecclesiasticum possint, vel talem eidem denunciare, quo satis consulitur bono & tranquillitati Reipub. Deinde etsi concedamus Legibus civilibus teneri etiam Ecclesiasticos:

15. Hoc tamen solùm veritatem obtinet, quantùm ad vim directivam, non coactivam, ut communiter etiam Theologi docent, consequenter cum ablatio armorum effectus vis coactivæ sit, quâ Clerici non tenentur, Judex Laicus ea auferre Clerico non potest.

16. Neque tertiò locum habet hîc prætensa justa defensio utilitatis publicæ aliàs de jure naturali competens. Hæc enim tunc primum concessa est, cùm aliter defendere se quis, vel utilitatem publicam, ut in præsenti casu, non potest: quod hîc verum non est, satis enim defenditur utilitas publica, si tales Clerici deferentes arma prohibita, denuncientur judicibus Ecclesiasticis, vel ad eos cum armis deducantur, scient enim tunc ejusmodi judices Ecclesiastici, quantum expedit utilitati publicæ, Clericos taliter reos punire, & auferre ab illis arma.

17. Ex quibus incidenter intelligis, Clericum deprehensum cum canibus venari, vel laqueos ponentem avibus, aut feris, aut cum Bombardâ ambulantem animo jaculandi Cer-

vos,

vos, Damas, Apros, &c. aut piſcantem, puniri à Laico non poſſe, aut eidem inſtrumenta venationis, aucupij, aut piſcationis auferre, cum etiam hîc ſufficiat denunciare Clericos ejuſmodi reos Judici Eccleſiaſtico, aut ad eum cum dictis inſtrumentis deducere, militant enim hîc eædem rationes, quas in prioribus circa arma prohibita Clericis, à ſæcularibus non auferenda aſſignavimus. vide pluribus *Dianam, cit, reſol.* 10. *p.* 1. *tract.* 2.

CONTROVERSIA TERTIA.

SVMMARIVM.

Clericus vel regularis committentes crimen rebellionis, proditionis patriæ, parricidij, vel læſæ Majeſtatis, an à ſupremo ſaltem Magiſtratu, Rege. v. g. vel Imperatore puniri non poſſint? n. 1.

Rationes dubitandi. n. 2.

Reſpondetur ad rationes dubitandi, & deciditur pro Judice Eccleſiaſtico. n. 3. *&* 5.

Per ſe loquendo Clericus non poteſt incurrere crimen læſæ Majeſtatis. n. 4.

Quæ remedia apprehendenda ſint, cum periculum his caſibus in mora eſt, diximus controverſ. 2. *n.* 1. *& ſeqq. vid. etiam n.* 7. *hîc.*

Factum in contrarium à Magiſtratu Neapolit. in præſenti facti ſpecie Clemens 8. *improbavit. num.* 8.

Quid ad præſentem materiam Vrbanus 8. *reſcripſerit. eod. n.*

Tametſi hoc caſu Iudex Eccleſiaſt. negligat jus & juſtitiam adminiſtrare, Iudex Laicus ejus negligentiam ſupplere non poteſt, ſed recurrendum eſt ad Superiores Prælatos, vel Summum Pontificem. n. 9.

Contraria Sententia vocatur à Diana falſa & erronea. eod. n.

Iudex Eccleſiaſticus, econtrà datâ negligentiâ Iudicis Laici, poteſt procedere contra eundem, ſi is requiſitus non adminiſtret juſtitiam. n. 10.

Atque hoc fiet per cenſuras, ut munere ſuo Iudex Laicus fungatur, atque peccata publica corrigantur. eod. n.

Sententia Molinæ & Tanneri, qui

sentiunt, quod, in casu quo tanta esset necessitas, ut clarè & evidenter appareret periculum in morâ, possint principes seculares contra Episcopos & Clericos per modum justæ defensionis illud facere, quod recta ratio ad impediendum damnum Reipublicæ imminens dictaverit, vix in praxi locum habet, vel saltem rarissimè ejusmodi casus occurret. n. 11.

Ratio hujus affertur eod. num.

In casu negligentiæ Iudicis Ecclesiast. existentis, an Reges & Principes non possint saltem in pœnam & pœnæ supplementum Clericos delinquentes privare bonis temporalibus, quæ dignoscuntur iidem Clerici ab ejusmodi Principibus obtinere. n. 12.

Ratio dubitandi affertur. eod. n.

Allegatur distinctio bonorum, quæ per donationem Principum ad personas Ecclesiast. pervenêre, & quomodo ad easdem pertinere possint, quibúsve modis. n. 13.

Resolvitur quæstio negativè etiam in casu gravissimorum criminum secundum species, & distinctionem bonorum. n. 14 15. 16. 17.

Ratio fundamentalis nostræ decisionis n 19.

Quid in casu criminis degradatione & traditione Curiæ sæcularis digni statuendum. n. 20.

Respondetur ad argumenta in contrarium allata. n. 21. & 22.

Bona, quæ regulares Prælati Monasteriorum possident, bona Cameralia, vulgò Camergütter *dici non possunt. n. 23.*

CÆterùm quia Clerici, & nonnunquam etiam malè feriati regulares eò rapiuntur vitiosis affectibus, ut gravissima crimina, rebellionis. v. g. proditionis patriæ, parricidij, ac læsæ Majestatis moliantur, ac perpetrent. Quæritur tertiò, an saltem non his gravissimis casibus supremus Magistratus, Rex, Imperator, vel Princeps terræ eos delinquentes condignis pœnis subijcere possint?

1. Ratio dubitandi est, quia videntur ipso facto amittere Privilegium fori ob atrocitatem criminum.

Dein-

2. Deinde; quia non deſunt exempla, quibus doceri poſſit, ſæculares in ejuſmodi delinquentes animadvertiſſe, ergo inſiſtere veſtigijs aliorum poſſe videbuntur. Et ſæpe poſſet eſſe periculum in morâ, ſi expectari primùm Judex Eccleſiaſticus ad comprimendos ejuſmodi facinoroſos deberet.

3. Reſpondeo tamen his non obſtantibus, judicis Eccleſiaſtici etiam in caſu tam atrocium criminum commiſſorum à Clericis, vel Religioſis, fore cognitionem & Judicium. Ratio eſt, Fori Privilegium ipſis de Jure Divino & humano, præſertim in criminalibus, ut audivimus, abſolutè competens, nec conſtat de aliquâ limitatione in his caſibus à Sede Apoſtolica factâ, quando hodieque quotannis per Bullam Cœnæ Domini excommunicantur quomodolibet mulctantes perſonas Eccleſiaſticas, executores, & ſubexecutores pœnarum in perſonas prædictas à Magiſtratu ſæculari impoſitarum. Sicut plures tenent allegati à *Diana. p.4. tract.1. reſol.81. & p.1. tract.2. reſol.37. & p.3. tract.1. reſol.27.* & quæ notat *Barboſ ſæpe d. c.39. §.2. num.96.*

4. Et in ſpecie quantùm ad crimen læſæ Majeſtatis, quod incurri non poſſe à Clericis (per ſe loquendo) arbitrâmur. teſte *Gloſſ. in Clement. paſtoralis. § rurſus. de re judic.* eò quod à non ſubdito Imperatori vel Regi, in eum committi non poſſit. Perſonas autem Eccleſiaſticas à juriſdictione Laicorum exemptas eſſe, abundè jam in Superioribus probatum eſt, & quantùm ad hoc crimen in ſpecie tenet *Marc. Antonius. Genuenſis. in prax. Curiæ Neapol. c.72. Aloyſ. Riccius in collect. deciſ. p.5. deciſ.2062. Farinac. in prax. crim. q.8. à num.28. Clarus. §. læſæ Maieſtatis crimen. num.7.* dixi: per ſe loquendo. Credo enim Clericos ratione feudorum ſuorum, quæ tenent ab Imperio, omnino poſſe crimen læſæ Majeſtatis committere, cum eatenus Imperatori ſint ſubjecti, ut homines Ligij & Vaſalli; veluti ſunt Epiſcopi Ger-

maniæ, & aliquot Prælati, qui bonis temporalibus in feudum ab Imperio concessis fruuntur, etsi in causis criminalibus nihilominus ab Imperatore judicari nequeant, reservati in his judici Ecclesiastico. velut diximus *hac disput. 2. c. 3.* & videtur luculenter probari. per *text. §. si Clericus. de pace tenend. lib. 2. feud.* ibi: & de his in præsentiâ sui Episcopi sufficienti testimonio convictus fuerit. Consequenter si vasallus Clericus Imperatoris, res novas moliatur, cum hostibus Imperij conspiret, militem & arma hosti subministret, non erit Imperatoris, & Statuum Imperij de hoc cognoscere, sed remittetur ad Judicem Ecclesiasticum, à quo judicandus sit. Idem dicimus, si Clericus deprehendatur in suis Concionibus populum concitare in Principem, vel moliri furtivam traditionem inimicis Imperij, certi Castelli, vel Civitatis, aut vim parâsse Principi, Regi, vel Imperatori. Vt exempla ex Historicis ad hoc passim obvia sunt.

5. Ad rationes dubitandi respondeo: ut ut crimina talia sint, ob quæ Clericus mereatur amittere Privilegium fori, semper tamen, etiam suppositâ facti notorietate prærequiritur Sententia judicis Ecclesiastici declaratoria: talem Clericum hîc & nunc non gaudere Privilegio fori. Quod si de facto luculenter non constet, certum est de Jure, à judice Ecclesiastico judicialiter cognoscendum esse, num reverâ deliquerit, & consequenter tradendus sit Curiæ seculari, puniendus ex condigno.

6. Quod autem exempla suppetant, quibus manifestum sit, potestatem sæcularem ejusmodi facinorosos Clericos non exspectatâ Sententiâ judicum Ecclesiasticorum judicâsse, ac punivisse, facilè concedimus, cùm multa quotidie fiant, quæ tamen contra justitiam & jura sunt; nam non secundum facta, sed

fed jura judicandum eft: non enim exemplis, fed Legibus judicandum effe, fcimus *ex L. nemo. Cod. de Sent. & interlocut.*

7. Neq; fi periculum in morâ effe timeatur, alia remedia defunt, de jure, & ex mente Interpretum SS. Canonum conceffa. Velut paulò fuperius *hôc c. 6.* adnotavimus; hinc rectè notat *Diana. p. 1. tract. 2. hoc tit. refol. 20.* cum in fimili ad manutenendam fuam jurifdictionem Fifcus Regni Neapolitani allegâffet: quendam religiofum, qui aliquas terras ejufdem regni in manus Turcarum tradere volebat, olim fuiffe decapitatum à Magiftratu fæculari, declarâffe *Clementem 8.* malè fuiffe judicatum, & in cafu tunc præfenti caufam à Summo Pontifice fuiffe commiffam Nuncio Apoftolico Neapoli, tanquam à judice Ecclefiaftico examinandam, & finiendam.

8. Et propterea etiam *Vrbanus 8.* refcripfit: ficut *ex ipfius conftitutione datâ idibus Novemb. anno 1627. ac emanata eôdem anno.* videre eft, ut Clericus delictum falfæ Monetæ, vel ipfius attonfionis committens, legitimè convictus à Judice Ecclefiaftico, præviâ degradatione Curiæ fæculari tradatur, ab eâdem pro meritô exceffuum puniendus.

9. Sed quid, fi negligat Judex Ecclefiafticus in hujusmodi cafibus jus & juftitiam adminiftrare, cum delicta non debeant manere impunita, an tunc faltem fupplere poffit Judex fæcularis negligentiam Ecclefiafticorum Judicum? Quod hic loci confequenter quæri poteft. Et refpondemus per expreffum *text. c. quando & qualiter de judicijs.* neque tum ipfius effe jurifdictionem, eô fenfu, ut fuppleat negligentiam Judicis Ecclefiaftici, fed recurrendum effe ad fuperiores Prælatos, vel Summum Pontificem, ficut eft communis fententia Canoniftarum, & tenent multi allegati *à Diana. p. 4. tract. 1. refol. 80. & ex Theolog. Bonac. in bulla Cana. difp. 1. q. 15. punct. 4. §. 4. num. 10. Suarez. de Immun. Ecclef. lib. 4. c. 14. idem Diana. p. 3. tract. 1. refol.*

resol. 25. ubi contrariam ſententiam vocat falſam & prorſus erroneam. vide etiam *Azor. p.* 1. *lib.* 5. *c.* 14. *q.* 2. *Tambur. de jur. abb. tom.* 1. *disput.* 15. *q.* 19. *Leymann. lib:* 4. *tract.* 9. *c.* 4. *num.* 4. & alios ab ijſdem allegatos.

10. Hoc verum eſt, quod è converſo Judex Eccleſiaſticus datâ negligentiâ Judicis ſæcularis bene procedere poſſit contra Laicos, ſi requiſiti non adminiſtrent juſtitiam. Hinc communiter docetur, ut videre eſt per ea, quæ allegat *Barboſ. ad. c.* 10. *lib.* 2. *tit.* 2. *Decretal.* quod Judex Eccleſiaſticus procedere etiam cenſuris poſſit contra Laicum Judicem, ut munere ſuo fungatur, ſaltem eô titulô, ut peccata publica corrigantur, quod tamen de Judice Laico, in caſu negligentiæ Judicis Eccleſiaſtici nullibi jure conſtitutum eſt.

11. Quod ſi tamen tanta eſſet neceſſitas, ut clarè & evidenter appareret periculum in morâ, tunc poſſet ſuſtineri doctrina *Molina. tom.* 1. *tract.* 2. *disput.* 31. *concl.* 4. *Tanner.* 2. 2. *disp.* 4. *q.* 4. *dub.* 1. *num.* 30. ut liceat Principi contra Clericos & Epiſcopos per modum juſtæ defenſionis illud facere, quod recta ratio ad impediendum damnum republicæ imminens dictaverit; quamvis vix in praxi, vel ſaltem rariſſimè ejusmodi caſum evenire poſſe exiſtimem, cum Romanus Pontifex negaturus juſtitiam, debitè imploratus, nulli Principum ſit contra perſonas Eccleſiaſticas, ut paſſim ſunt exempla in corpore Juris Canonici. vid. *ſæpe cit. Dianam. p.* 1. *tract.* 2. *resol.* 18. *hoc tit.*

12. Cùm igitur neque in caſu negligentiæ Judicum Eccleſiaſticorum ſæculares admittendi ſint, ut ſuppleant defectum illorum, cognoſcendo de criminibus perſonarum Eccleſiaſticarum, atque eaſdem condignis pœnis ſubjiciendo, reſtat quæſtio, an non ſaltem privari bonis temporalibus in pœnam, & pœnæ ſupplementum à Principibus & Regibus poſſint, quæ dignoſcuntur ab ipſis obtinere ijdem Clerici? Ratio dubitandi

tandi eſſe poteſt, quod ex Jure civili notum ſit, factam donationem ob ingratitudinem donatarij, à donante revocari poſſe, etiamſi adjecta clauſula ſit, ut ex ſuperveniente ingratitune non ſit revocabilis, per ea, quæ ex communi ſententia notat. *Schneidew. inſtit. titulo. 7. lib. 2. §. ſciendum. num. 5. per L. pacta quæ. C. de pactis. Tiraquell. in repetit. L. ſi unquam. C. de revocand. donat.* Deinde, quia quantùm ad temporalia videntur Clerici ſubeſſe juriſdictioni Laicorum, cum hæc nihil ſpiritualitatis in ſe contineant, conſequenter poſſe videntur Prinpes, tanquam in re, quæ ſuæ jurisdictioni ſubeſt, diſponere, ac mulctare delinquentes. Et pro hâc ſententiâ allegat *hoc tit. p. 4. tract.* 1. *reſol.* 4. *Diana Pereiram. in ſuo tract. de manu regiâ. p. 2. c. 48. num. 3. & 4.*

13. Antequàm reſpondeam ad quæſtionem & rationem dubitandi, diſtinguere poſſumus inter bona, quæ ad Clericos, aliasque perſonas Eccleſiaſticas per donationem Laicorum, etiam Principum, tranſiêre, ita, ut alia bona ſint immobilia, alia mobilia: immobilia verò, vel ſint feudalia, vel allodialia. Secundò immobilia, ſive feudalia ſint, ſive non, ita dicuntur aliquando pertinere ad perſonas Eccleſiaſticas, ut potius ſint ipſarum Eccleſiarum, quàm Eccleſiaſticorum, veluti ſunt bona immobilia Epiſcopatuum, Monaſteriorum, Parochiarum, Canonicatuum, non diſtinguendo, ut diximus, an feudalia ſint, vel allodialia, dicuntur autem eatenus Epiſcoporum, Abbatum & Monachorum, Parochorum & Canonicorum, quatenus ex eorum fructibus, & proventibus ſuſtentantur. Tertiò pertinere poſſunt immobilia ad perſonas Eccleſiaſticas, ut bona eorum propria, ac patrimonialia, vel ex induſtriâ quæſita; neque hic diſtinguendo, an ſint feudalia vel allodialia, ut, quæ acquirunt ex hereditate, donatione, remuneratione, &c. ſolius intuitu perſonæ, non proſpectu Eccleſiæ; vel

ob aliquod officium, & negotium Principis gnaviter gestum, v. g. Cancellarij Regis, vel Camerarij, qualia officia etiam aliquando administrant personæ Ecclesiasticæ. Quantùm ad mobilia, illa considerari possunt, vel, ut sunt fructus beneficiorum, v. g. Episcopi, Parochi, Canonici reditus, vel aliàs prospectu Ecclesiæ acquisita, vel, ut sunt patrimonialia, aut industrialia, non prospectu Ecclesiæ obtenta, v. g. centum, vel mille floreni ex hereditate, donatione, industriâ, vel professurâ, si Doctor sit Clericus, & pro salario publicè legat, aut pro officio Provinciæ, Regis vel Imperatoris, aut Principis bene administrato acceperit; sicut antè de immobilibus notavimus.

14. Respondemus ergo ad quæstionem propositam, in casu, quô persona Ecclesiastica ejusmodi crimen, v. g. læsæ Majestatis, proditionis, parricidij committit, neque condignè à Judice Ecclesiastico ob id punita est, quo ad hæc bona, sive feudalia sint, sive allodialia, immobilia, vel mobilia, propriâ authoritate à Principe, Rege, vel Imperatore privari in supplementum justitiæ non posse.

15. Et quantùm ad immobilia, quæ propriè loquendo potius Ecclesiarum & beneficiorum sunt, res clara est, sive ea feudalia sint, sive non, quia Ecclesia non deliquit, & delictum Prælati Ecclesiæ regulariter nocere non potest, ut docet *Gloss. in c. cum dilectus de ordin. cognit. & not Abb. in c.* 1. *de dolo & contum. per text. c. si Episcopum* 16. *q.* 6. *& notat. Menoch. fusè. de recuper. poss. remed.* 9. *num.* 101. *& seq.* Sed nunquid certum est, propter Feloniam commissam, etiam feudo privari Ecclesiarum Prælatos? Ergo saltem, si bona hæc immobilia feudalia sint, veniet privanda Ecclesia.

16. Respondeo ex communi doctrinâ interpretum in materiâ feudali, sicut & nos in nostro tractatu feudali docuimus, & quæ not. in simili *Menoch. cons.* 39, *num.* 55. non tam Ecclesiam

ſiam, quæ non deliquit, quam ipſius Præſulem, & Prælatum amiſſione feudi puniri, atque hoc ſolùm ad dies vitæ ipſius, ita, ut poſtmodò Succeſſor reddito Eccleſiæ feudo, iterum plenè gaudeat, quamvis & hic tanquam in cauſa criminali cognitio Judicis Eccleſiaſtici ſit, ut *hâc diſp. 2. c. 3.* diximus, & notavimus paulò ſuperiùs *hoc eod. c. per text.* §. *ſi Clericus. de pace tenenda. lib. 2. feudor.*

17. Quod ſi bona illa immobilia patrimonialia ſint, vel induſtrialia, etſi propiùs videretur concedendum, poſſe Principem ijs mulctare delinquentem, cum quò ad hæc non videatur venire ut Clericus, ſed ut quivis privatus, dicimus tamen, neque hoc de Jure aſſerendum, cùm etiam in patrimonialibus Clericus Privilegium fori habeat, ut de ijs judicari, collectari, & puniri, non niſi per Judicem Eccleſiaſticum poſſit: atque eadem ratio militat etiam quo ad bona mobilia, quomodocunque ea ad Clericum pertineant, per *Gloſſ. in. c. Eccleſia. de conſtitut. & Gloſſ. in. c. ult. de vit. & honeſt. Cler. & c quanquam in verbo.* ipſarum. *de cenſib. in. 6.* ubi aſſerit: quod bona Clericorum propria, & bona Eccleſiarum, eodem Jure ac privilegio gaudeant, intelligendo ſcilicet *cum Abb. in cit. c. ult. de vit. & honeſt. Cler. & Covarr. lib. 1. var. reſol. c. 4.* quo ad illa Privilegia, quæ principaliter competunt perſonis, ſive Statui Eccleſiaſtico, rebus verò ipſorum acceſſoriè. v. g. ut coram Judice ſæculari, tanquam rei, non conveniantur, etiam in causâ civili ac reali, ut à tributis, vectigalibus, aut collectis tam perſonalibus, quàm mixtis liberi & immunes ſint. Et quæ notat *Leyman.* de exemptione Clericorum, etiam in bonis patrimonialibus, plurimis ab eodem allegatis *DD. & cc. lib. 4. tract. 9. c. 6. num. 9.*

18. Et in ſpecie, quo ad præſentem caſum, an in defectu juſtitiæ à Judice Eccleſiaſtico commiſſæ Clerici privari bo-

nis possint à Regibus, Principibus, vel Imperatore, quæ ex ipsorum liberalitate ad eos pervenerunt, *Diana. p.* 4. *tract.* 1. *resol.* 4. *hoc tit.* negativè resolvit.

19. Ratio fundamentalis esse videtur, quod cum ista privatio sit pœna ob delictum à Clerico commissum, Clerico infligenda, in criminalibus autem exempti sint à judicio, & jurisdictione Laicorum Clerici, sicut suprà vidimus, & satis fusè demonstrat *cit. loc. Leyman. c.* 4. sanè privare ejusmodi bonis Clericos, sæculares Magistratus non possunt.

20. Quod si delictum degradatione, & traditione Curiæ sæcularis sit dignum, res difficultatem non habet, tunc enim in pœnam bene confiscari bona patrimonialia, & fructus Clericorum percepti possent, cum tunc plenè subsint quo ad personas & ejusmodi bona sæculari Magistratui criminosi tales Clerici degradati.

21. Ad argumenta & Textus in contrarium adductos respondeo, etsi ob ingratitudinem revocari donationem de Jure civili non negemus, illud tamen intelligendum venit, de illis bonis, ac rebus donatis, quæ subsunt dispositioni Juris civilis, non de illis, quæ secundùm SS. Canones regulantur, ut ex nostrâ sententiâ sunt etiam bona patrimonialia Clericorum, sicut vidimus.

22. Ad secundum respondeo, tametsi intrinsecè nihil spiritualitatis hæc bona temporalia Clericorum contineant, eo ipso tamen, quia Clericorum sunt, & assessoriè eodem Privilegio exemptionis gaudent, quô ipsi Clerici, Principes & Magistratus sæculares manum, & jurisdictionem suam in ea extendere non possunt. Immò neque immemoriali consuetudine fulciri, quatenus taliter delinquentem Clericum, tanquam ex causâ criminali, puniant etiam pœnâ solùm pecuniariâ, vel, ut diximus, privatione eorum bonorum, quæ ejus-

modi

modi Clericis Principes liberaliter antè contulerunt, cùm exempti sint in criminalibus à jurisdictione laicali ipso Jure Divino, ut fusè tradit *Suarez lib. 4. de Immunit. Eccles. c.* 10. *& aliqualiter c.* 24. *num.* 16. *Diana p.* 4. *tract.* 1. *resolut.* 10.

23. Unde incidenter etiam intelligis, quàm imperitè loquantur, qui ajunt: bona temporalia personarum Ecclesiasticarum, etiam Regularium, v.g. Monasteriorum esse Cameralia, vulgò Kammer-Güter. Si enim bona Ecclesiarum sunt, ut sunt, eô ipsô, quod dedicata pro cultu Divino & sustentatione Religiosorum existant. Ergo de patrimonio Ecclesiæ & Christi sunt, ut supra. *hac disput. c.* 2. vidimus, quomodo ergo erunt Cameralia, quæ profana sunt, ac toto genere, ac Jure bonis Ecclesiasticis opposita? & sequetur necessariò, ut hâc nos contradictione & antinomiâ involvamus, si tam absurdæ opinioni adstipulemur, quatenus concedere debeamus, eadem bona esse in patrimonio Ecclesiæ, & non esse in patrimonio: eadem bona esse profana, & Ecclesiastica, eadem bona esse sub dispositione, & jurisdictione sæcularium, & non esse, eo ipso, quod de Jure SS. Canonum Judici Ecclesiastico subjecta dignoscantur. Vt adeo meritò facessere jubeamus ejusmodi indoctos Blaterones, qui jura Juribus confundunt, tot antithesibus impudenter irretiti.

CONTROVERSIA QVARTA.

SVMMARIVM.

Persona Ecclesiastica impediens vel resistens Iurisdictioni Laicorum vel eandem sibi usurpans à saculari Magistr. tu capi, aut mulctâ pecuniariâ puniri non potest. n 1.

Ratio dubitandi ex Innocentio. n. 2.

Respondetur ad rationem dubitandi. num. 3.

Quavis persona Ecclesiast. exempta est unà cum suis bonis temporalibus,

libus, quæ accessoriè eandem exemptionem cum personâ participant. n. 4

Hæc decisio à fortiori procedit in casu, quo Ecclesiasticus Iudex impedit Laicorum Iurisdictionem contra SS. Canones usurpatam. num. 5.

1.

EX hoc eôdem fundamentô resolvitur id, quod quartò quæri potest, an si persona Ecclesiastica impediat, vel resistat jurisdictioni Laicorum, aut eandem sibi usurpet, quôvis modô, vel colore, ejusmodi Clericus impediens aut resistens capi à sæculari Magistratu possit, vel pœnâ pecuniariâ mulctari?

2. Ratio dubitandi desumi potest ex doctrinâ *Innocentij in c. 1. de off. delegati. & c. cum olim. il. 1. de restit. spoliat. & c. dilectus. de pœnis.* ubi dicitur: Judici ordinario competere jurisdictionem in impedientes suam jurisdictionem. Deinde cum defensio sui, & Jurium suorum, sit concessa de Jure naturæ, non videtur hoc negandum Judici sæculari, cum concernat Bonum publicum.

3. Nam respondeo: tametsi illud asserat *Innocentius*, & bene, venit tamen intelligendum in præsenti casu de Judice ordinario Ecclesiastico, non civili vel sæculari. Et ratio est, quod, cum sæculares respectu Judicum Ecclesiasticorum sint inferiores, illos certè judicare, ac punire non possunt.

4. Et genericè loquendo, quævis persona Ecclesiastica exempta est unà cum suis bonis temporalibus, quæ accessoriè eandem exemptionem cum personâ participant de jure SS. Canonum: consequenter Laicorum jurisdictioni non subjacent, velut paulò superiùs vidimus. Et defensio de jure

naturæ

naturæ conceſſa intelligenda eſt, ut fiat cum moderamine inculpatæ tutelæ, ſcilicet, ut aliâ viâ conſequi defenſionem rerum ſuarum hic & nunc illi non poſſint, quod tamen in propoſito dici non valet, cum denunciando ejuſmodi impedientes, coram eorum Superioribus, abunde rebus ſuis ac juribus conſulere poſſint. Judices autem Eccleſiaſtici, utpote Superiores & digniores Laicis, eos impedientes ſuam ipſorum juriſdictionem, ex præſcripto SS. Canonum mox juriſdictionaliter compeſcere valeant, quod de ſæcularibus, quo ad Eccleſiaſticos, nullo jure cautum, aut conceſſum eſt.

5. Et hoc à fortiori negandum ſæculari Magiſtratui dicimus, eò in caſu, quo Eccleſiaſtici impediunt Laicorum juriſdictionem contra SS. Canones uſurpatam. v. g. Si impediat Epiſcopus Laicum volentem Clericos conventos in causâ criminali, reali, vel perſonali judicare, non obſtante, quod conſuetudinem & praxim fori prætendat, cum hic potius abuſus ſit, à SS. Canonibus & SS. Pontificum conſtitutionibus reprobatus, quibus, ſi verè Catholici ſunt, & genuini Eccleſiæ filij, parere neceſſe habent & non recalcitrare, contra conſcientiæ & ſubjectionis debitæ ſtimulum. *vid. Martam de Iurisd. p.4. caſu.101. & Bonac. in Bull. Cœna. diſp.1. q.18. punct.3. num.32.*

CONTROVERSIA QVINTA.

SVMMARIVM.

Perſona Eccleſiaſt. quæ fungitur officio Cancellarij, vel præſidis Cameræ apud Regem vel Imperatorem, ſi delinquat in officio, an puniri etiam mulctâ pecuniariâ ab ejuſmodi Rege, vel Imperatore poſſit. num.1.

Rationes dubitandi. n.2.

Afferuntur fundamenta pro noſtrâ Sententiâ. n.3.

Reſpondetur ad argumenta in contrarium oppoſita. n.4. 5. 6.

Animalia Clericorum per paſcua aliena damnum facientes capi

non

non possunt, ut superius etiam conclusimus, neque Clericus Laicum suâ possessione spolians cogi per Iudicem sæcularem eandem Laico restituere. n. 7.

I.

CÆterùm suprà. *hôc cap. 6.* mentionem fecimus personarum Ecclesiasticarum, quæ officium Cancellarij apud Regem, vel Camerarii apud Imperatorem administrant, sicut passim exempla apud Historicos sunt obvia, & nostra ætate scimus Reverendiss. Abbatem Ord. S. Benedicti Monasterij Cremiphanensis apud Imperatorem officium præsidis Cameræ laudabiliter obijsse, & tenet *Panorm. per tex. c. non est. de vot. & voti redempt. & c. in Archiepiscopatu. de rapt.* Prælatos regulares posse Regum & Principum esse Consiliaros.

Quæritur ergo quintò, an in casu, quo ejusmodi personæ Ecclesiasticæ delinquunt in tali officio sæculari, puniri saltem multâ pecuniariâ à Rege, Principe, vel Imperatore possint, tanquam ipsorum Officiales & Ministri. Et affirmativam tenet *Ceval. in suo tract. de cognit. per viam violent. p. 2. q. 65. num.* 14. *Suarez. lib. 4. c. 34. num. 26.*

2. Argumento sunt, quibus affirmativam fulciunt, maximè tria: primò consuetudo & praxis, deinde quod Clerici his officijs addicti considerentur sub respectu merè civili, & tertiò quod sub eâ conditione & pacto (quatenus scilicet in ijs subjiciantur Principis sæcularis jurisdictioni) ad ejusmodi ministeria acceptentur, quæ pacta nec contra exemptionem Ecclesiasticam, nec contra decentiam Statûs Ecclesiastici, aut bonos mores, ex mente *Suarezij* & sequacium esse videntur.

3. Sed nos contrariam opinionem amplectimur, nostrâ sententiâ certam in Jure, & securam magis in conscientiâ, Autho-

Authore, *Diana* & multorum ab illo allegatorum, in ſuis moralib. *p.* 1. *tract.* 2. *reſol.* 19. *& p.* 4. *tract.* 1. *reſol.* 39. Ratio pro noſtrâ opinione eſt Privilegium Fori abſolutè Clericis de Jure Divino, Canonico, & civili conceſſum, præſertim in criminalibus, quo ijdem indiſtinctim, quamdiu Clerici ſunt, liberi ſunt à ſubjectione juriſdictionali Laicorum, velut hucuſque probavimus, non attento, an ut officiales, & ſub reſpectu merè civili operentur, & delinquant, vel non.

4. Ad argumenta in contrarium allata Reſpondeo: & quidem ad primum de praxi & conſuetudine, nihil inde ſolidi inferri, cum nulla conſuetudine niſi per Pontificem expreſsè approbatâ, immunitati Eccleſiaſticorum derogari poſſit, quæ potius corruptela eſt, ut inferiùs audiemus, & cum Laici quò ad ea, quæ Juris Eccleſiaſtici ſunt, nihil diſponere poſſint, *per. c. Eccleſia. de conſtit.* quomodò contrariâ conſuetudine ſibi juriſdictionem contra exemptionem de Jure Divino Clericis, quo ad Fori Privilegium competentem aquirent?

5. Quo ad alteram rationem: quod Clerici talibus officijs addicti conſiderentur ſub reſpectu merè civili, dico: Illud prorſus nihil patrocinari adverſarijs, ut jam ſuprà *hâc diſput.* 2. *c.* 2. fusè demonſtravimus. Et quæſo quid dicet *Suarez. ad. c. fin. de vit. & honeſt. Cler.* ubi perſonæ Eccleſiaſticæ etiam illicitis *de jure SS. Canonum* negotiationibus operam dantes adhuc retinent Privilegium Fori, antequàm ter fuerint legitimè à Judice Eccleſiaſt. admonitæ, & nunquid ibi conſiderantur ſub reſpectu merè civili tanquam negotiatores? quomodo ergo audet contra SS. Canones *Suarez.* ex hoc ſolo reſpectu illis abjudicare Fori Privilegium?

6. Ad tertium Reſpondeo: falſum eſſe, ejusmodi pacta non eſſe contra Immunitatem Eccleſiaſticam, cum neque volentes, neque nolentes, ſubijci perſonæ Eccleſiaſticæ Laico-

rum jurisdictioni possint, ut suprà *c. 2. hac disp.* 2. vidimus. per *c. si diligenti. de For. compet.* ibi: pactis privatorum Juri publico minimè posse derogari. Est enim hæc Immunitas concessa in publicum totius ordinis Clericalis favorem.

7. Hinc resolvimus etiam negativè illam quæstionem jam superiùs tactam, an, si Clericorum animalia, equi, v.g. vel boves per pascua aliena grassantes pauperiem fecerint, per Judicem sæcularem capi, ac damnum factum exigi possit? vel si spoliavit Clericus alium sua possessione, per Laicum Judicem ad eam restituendam cogi valeat? cum & bona Clericorum eâdem, quâ ipsorum personæ, sicut suprà, ut dixi, jam vidimus, gaudeant Immunitate: Et Clerici exempti sint, ut sæpissimè meminimus, à jurisdictione sæculari. Et ita resolvit *Paulus squillante. de Privil. Cleric. c. 7. dub. 1. num. 73. Diana. p. 4. tract. 1. resol. 71. & 74.*

CONTROVERSIA SEXTA.

SVMMARIVM.

Iudex Laicus non potest exigere pœnas impositas à Lege, si illam transgrediantur Clerici, casu quo res vendita in commissum cecidissent, neque etiam hoc supplere potest, si id facere negligat Iudex Ecclesiast. aut si Clericum mitius condemnet. n. 1.

Allegantur eod. n. 1. exempla ad propositam controversiam.

CastroPalaus contrarium asserens reprehenditur à Diana, qui dicit hanc Sententiam Theologo indignam esse, n. 2.

Examinatur, & reijcitur Sententia CastroPalai. eod. n. 2.

In materia SS. Canones concernentes præferenda est Sententia Canonistarum Theologorum opinioni. num. 3.

1. Sextò

SExtò etiam negativè respondemus ad illas quæstiones, in quibus dubitari solet, an Judex Laicis possit exigere pœnas impositas à Lege, si illam transgrediantur Clerici, & res venditæ, v. g. in commissum cecidissent, vel saltem supplere hoc possit, si id facere negligat Judex Ecclesiasticus, aut mitius condemnet. verbi gratia. pro bono communi certum precium pro unâ Schaffa frumenti vendenda constitutum à Principe est, vel sub pœnâ amittendi frumenti prohibitum, ne extra provinciam vendatur, in utroque deliquit Clericus, Quæritur, an subjaceat, quo ad has pœnas Judici Laico? Et resolvitur ex ijsdem principijs, & fundamentis, quibus ad priores casus responsum est.

2. Atque meritò reprehendit castrumPalaum, qui contrarium *tom.* 1. *tract.* 3. *punct.* 14. §. 6. *num.* 9. asserit *Diana. p.* 4. *tract.* 1. *resol.* 8. dicens Sententiam Theologo indignam esse. Et dolendum est, contra expressos Canones ejusmodi Scholasticos, sæpe non semper in Jure versatissimos, ex unâ aliquando vanâ, & sterili speculatione, vel abstractione metaphysicâ in re totâ practicâ in ejusmodi absurdas Sententias præcipitari. Sicut hic Pater facit hanc abstractionem, quasi hoc non fiat in pœnam, sed in reparationem damni dati, quasi verò hæc reparatio damni non fiat ex delicto à Clerico commisso, & consequenter à judice Ecclesiastico expedienda sit. Imò in effectu idem sit quod pœna, tantùm alio nomine colorata, quas frivolas subtilitates oderunt jura, cum Legibus amica sit simplicitas, & aliàs quæ materiam SS. Canonum concernunt, in ijs meritò, ut communis Sententia est, præferendos esse Canonistas Theologis, docent *Hostiens. in c.* 1. *de consang. & affinit.*

Felin. c. fin. de Magist. Panormit. in. c. tua. de Cler. non resid. c. licet de præbend. & c. 1. de consang. & affinit. Ludov. Romanus. consil. 333. circa finem.

3. Et quæro ex Castro Palao, res illæ, quas tales Clerici malè vendunt, vel contra prohibitionem Legis extra Provinciam vehunt, quo jure cadunt in commissum? nunquid ex Lege prohibente? ergo pœna est, utut aliter eam, ut diximus, coloret novo reparationis damni vocabulo, ad pœnam autem Legis subeundam non posse adigi à Magistratu Civili Clericos indubitatum est, cum vi coactivâ Legum Civilium Clerici non teneantur, ut suprà vidimus. Et quæ notat idem *Diana, cum allegatis à se. p. 1. tract. 2. resol 16. 72. & 77.* ergo auferri ea illis à Judice Laico non possunt.

CONTROVERSIA SEPTIMA.

SVMMARIVM.

Clericus in minoribus existens, vel Novitius, aut in Societate ante ultimam professionē commorans, qui dimitti possit, si postea ad statum sæcularem transeat, ob delictum in priori Statu commissum à sæculari judice cui postmodùm subsunt, puniri non possunt, sed à Iudice Ecclesiast. cui suberant tempore commissi delicti. n. 1.

Diluitur objectio ad præmissam conclusionem facta. n. 2. & 3.

1.

QVod septimò, quoad hoc fori Privilegium, quæri potest, an Clericus. v. g. in minoribus constitutus vel Religiosus Novitius, aut qui in Societate Jesu nondum ultimam fecêre professionem, sed dimitti possunt, an inquam hæ personæ, si delinquant, Laicæ postmodum effectæ, puniri pos-

poſſint à Judicæ ſæculari. v. g. ob commiſſum antè adulterium, furtum, vel homicidium? Mihi quoque certum videtur; nonniſi ab Eccleſiaſtico diſtringi poſſe. Inſpicitur enim, quantum ad ſortitionem fori, hoc caſu in favorem Ordinis Eccleſiaſtici, tempus delicti: & ita tenet *Leyman. lib. 4. tract. 9. c. 8. cit. à Diana. p. 3. tract. 5. reſol. 34. Bonac. de Legib. diſp. 10. q. 2. pun. 5. §. 2. num. 5. Sayr. Abb. & Clarus.* ab eodem citati.

2. Sed nunquid, qui poſt delictum commiſſum Religionem ingreditur, vel Clericus fit, nihilominus gaudet Immunitate, etſi delictum antè commiſſum ſit, & non attenditur tempus delicti commiſſi, maximè, ſi id bonâ fide faciat ingrediendo Religionem, ergo neque in priori caſu attendi debere videtur tempus delicti commiſſi, conſequenter Laicus poterit jam talem Clericum vel Religioſum, factum ſæcularem punire, & ſubijcere ſuæ juriſdictioni.

3. Sed reſpondemus: negando paritatem. Major enim favor eſt fori Eccleſiaſtici, quàm ſæcularis, præſertim cum non deſint, qui doceant, tametſi id in fraudem factum ſit, nihilominus talem tunc, poſt delictum, factum Religioſum, juriſdictionem Laicam effugiturum. Summus enim favor eſt qui pro Religione facit, ut & Legibus Civilibus ſtatutum eſt. vide, quæ notat *Diana cum citatis à ſe. p. 3. tract. 1. reſol. 33. & p. 1. tract. 2. hoc tit. reſol. 27.*

CONTROVERSIA OCTAVA.

SUMMARIUM.

An Religioſus profeſſus, etiam non Sacerdos, nec in majoribus ordinib. conſtitutus, qui Apoſtata factus, dimiſſo habitu enormia delicta perpetravit, eo ipſo fori privilegium amittat, ita, ut à Iudice Laico capi poſſit, & puniri, res eſt valde dubia, & difficilis reſolutionis, propter varietatē textuum, & diverſas D.D. Sententias. n. 1.

Consultissimum est, in ejusmodi casuum tam dubiorum emergentiâ, recurrere ad Pontificem, velut Legislatorem SS. Canonum, qui authoritativè sciet tales controversias decidere. num. 2.
Talis tamen criminosus Apostata tenebitur interim in Carcere Iudicis Ecclesiast. n. 2. ubi hujus ratio assignatur. n. 3.

1.

SEd quid si religiosus professus, etiam non Sacerdos, vel in majoribus Ordinibus constitutus, Apostata factus, etiam dimisso habitu enormia delicta perpetraverit, an eò ipsô amiserit fori Privilegium, ita, ut à Judice Laico capi possit ac puniri? quod octavò quæri potest. Et iste, ac similes casus propter varietatem Textuum juris, sunt admodum difficiles ad resolvendum.

2. Propterea meâ opinione optimè consuluit *Diana. p 1. tract.2. resol.130.* desuper consulendum esse Romanum Pontificem, præsertim cum admodùm variè loquantur DD., & pro utrâque Sententiâ sint insignes Juris Consulti & Theologi, adeoque versemur in dubio verè practico, quod censeo hîc & nunc ad casum propositum respondendum. vide *cit. loc. Dianam,* quem si illa resolutione totum perlegeris, magis incipies dubitare, quam ut ex allegatis à se Doctoribus, & textibus, firmam possis & indubiam resolutionem concipere, ergo, ut diximus, in ejusmodi casibus recurrendum ad Legislatorem, Summum inquam Pontificem erit, qui authoritativè sciet in similibus respondere.

3. Manebit tamen interim talis Apostata criminosus, tanquam in dubio, cujus sit jurisdictio, in carceribus judicis Ecclesiastici, cum certum sit, illum personam esse Ecclesiasticam, & solum dubitetur, an hic & nunc gaudeat privilegio fori.

CON-

CONTROVERSIA NONA.

SVMMARIVM.

Clericus in minoribus Ordinibus constitutus si dimiſſo habitu homicidium faciat, non putamus ſtatim, & eo ipſo perdere Privilegium fori, num. 1.

Limitatur niſi tanta eſſet continuatio dimiſſi habitûs, ut publicè & communiter pro Laico æſtimaretur. n. 2.

Allegatur ad hoc deciſio Cardinalium à Diana, n. 3.

I.

SIcut nec Clericum in minoribus conſtitutum, quod nonò quæri poteſt, qui dimiſſo habitu & tonſurâ crimen perpetrat. v. g. homicidium, ſtatim perdere Privilegium fori arbitror. *cum Diana. reſolut. 34. p. 1 tract. 2.*

2. Niſi tanta eſſet perſeverantia dimiſſi habitûs, ut publicè, & communiter æſtimaretur Laicus.

3. Et ita decidiſſe SS. Congregationem Cardinalium ibidem aſſeverat *Diana. vide etiam Leyman. lib. 4. tract. 9. c. 7. n. 2. & quæ notat Barboſ. ad Trident. Seſſ. 23. c. 6. de reform.*

CONTROVERSIA DECIMA.

SVMMARIVM.

Clericus coram Laico falſum teſtimonium dicens, ab eodem ob crimen falſi puniri non poteſt. Sed remittendus erit ad Iudicem Eccleſiaſt. num. 1.

Allegatur ratio communis pro exemptione Clericorum in cauſis Criminalib. n. 2.

I.

NEque decimò credimus Clericum, qui falſum teſtimonium coram judice Laico tulit, propter-

ptereà ab eodem puniri posse, sed pro condignâ pœnâ remittendum ad Ecclesiasticum esse.

2. Ex doctrinâ superius traditâ, quod Clerici Fori Privilegio gaudeant, præsertim quo ad inflictionem pœnarum, tametsi tantùm pœnâ pecuniariâ mulctandi sint, cum etiam eorum bona, ut jam sæpius memoravimus, exempta à jurisdictione Laicorum sint. Ita *Cavall. in tract. de cognit. per viam viol. p. 2. q. 67. Diana. p. 1. tract. 2. resol.* 110. *tex. est. in. c. si diligenti, de For. compet. & c.* 1. *de Cler. conjug. in. 6.*

CONTROVERSIA VNDECIMA.

SVMMARIVM.

Principes vel Magistratus sæcular. non possunt sub formâ decretorum, & litterarum, authoritativè exprobrare excessus & defectus personis Ecclesiasticis in Provincia sua degentibus. n. 1.

Rationes dubitandi. num. 2. *&* 3.

Decisio & responsio ad objecta & rationes dubitandi. n. 4. 5. 6. 7. 8. 9.

I.

QUæritur ultimò, an Principes qui decreto, vel litteris, sub suo sigillo formatis authoritativè exprobant Episcopis, vel alijs Prælatis, aut Clericis inferioribus commissos excessus, ut: quod nimis lautè convivia in die suarum Electionum, encæniorum, vel aliàs instituant, quod sæpius peregrinentur, quod frequenter absint extra Ecclesias, & Monasteria, extra conventum prandeant, & cænent, quod vestitu splendidiori utantur; plures equos, vel famulos, quam necesse sit, alant, non diligenter resideant in suis beneficijs &c. accedāt cauponas, intersint choreis, an inquam tales Principes, &c. peccent contra Immunita-

nitatem Eccleſiaſticam, præſumentes ſibi Jus, & juriſdictionem in perſonas Eccleſiaſticas, quam de jure non habent.

2. Et ratio dubitandi eſt, quia, cum ſint Advocati Eccleſiarum, videtur illorum eſſe cavere, & providere, ne bona inutilibus expenſis diſſipentur, & diſciplina regularium conſervetur.

3. Deinde cum ejuſmodi Prælati ſint ſtatus provinciæ, videntur compeſci poſſe à Principibus per ejuſmodi decreta, tanquam membra & ſtatus Provinciales, accedit authoritas. *c. filys.* 16. *q.* 7. quæ hoc illis concedere videtur. Sed reſpondendum eſt negativè, ſicut bene docet *Filliuc. tom.* 2. *tract.* 28. *p.* 2. *c.* 9. *num.* 136. *Azor. tom.* 2. *lib.* 11. *c.* 7. *citati à Diana p.* 1. *tract.* 2. *reſol.* 42.

4. Et ratio eſt, quòd non ſint de Foro & juriſdictione Laicorum perſonæ Eccleſiaſticæ, præſertim quo ad exceſſus, & delicta, conſequenter ob id à Laicis, & Principibus corrigi, & corripi non debent, nam potius Laici à perſonis Eccleſiaſticis in ejuſmodi exceſſibus tanquam peccatis & ſcandalum nutrientibus corrigendi ſunt, quàm vice verſâ, ut habet doctrina *Barboſ. ad. c.* 10. *de For. compet. cum plurimis citatis*, & habent perſonæ Eccleſiaſticæ ſuos Superiores Eccleſiaſticos, quorum officij eſt, ejuſmodi exceſſus caſtigare. Legant, qui tam acutùm cernunt in Eccleſiaſticorum vitijs, an conſilia unquam, præſertim Tridentinum, Laicis Principibus attribuerit Jus corrigendi & exprobrandi defectus perſonis Eccleſiaſticis? Legent quidem ſæpiſſimè, exhortari Epiſcopos, ut ſedulò viſitent, ut ſedulò defectus, exceſſus, ac ſcandala corrigant, etiam, ſi opus ſit, invocato brachio ſæculari, etiam quibusvis exemptionibus non obſtantibus, ſed ut hoc liceat

sæcularibus, inauditum est in Jure Canonico, quos juxta constitutionem. *c. Ecclesia. S. Mariæ de constit.* obsequendi manet necessitas, non authoritas imperandi; cùm super personis Ecclesiasticis nulla sit eis attributa facultas. ut ibidem Pontifex decidit.

5. Hoc ὕστερον πρότερον mundi est, ut filij patres corrigant, ut magistros discipuli erudiant, ut pastorem ovis ducat, ut Sacerdotes Laici moribus imbuant, quibus se judicandos in morum, & excessuum suorum tribunali ex præcepto de necessitate salutis subjicere debent, ut adeo rectè dixerit Poëta: *in mundo nil constat, in orbem vertitur orbis, quid mirum recti quod sit in orbe nihil?* Quæso, si Episcopi, in quorum diœcesi sunt ejusmodi Principes, exprobraturi excessus, scandala, & alia, quibus subditi vehementer offenduntur, & injustè gravantur, ad eosdem litteras darent dehortatum à publicis istis excessibus, sicuti authoritativè possent per doctrinam *Barbos. d. loc. & Suarezij. in tract. de censur. disput.* 20. *sect.* 1. *n.* 24. etiam censuris compellendo, ad abstinendum ab ejusmodi excessibus, quàm ipsos ægrè hoc haberet, quàm protinus prorumperent in verba: ut Episcopus se, & Clerum suum curaret? & æquo animo, ac obedienter accipere tenebuntur ejusmodi decreta Principum Laicorum personæ Ecclesiasticæ, quibus nullo in casu, maximè quo ad correctionem authoritativam, & per modum jurisdictionis subjecti sunt? quibus regerere potiori jure possent: suâ non referre Cleri reformationem, sed populi; ac subditorum, quantum ad statum politicum.

6. Quamvis facilè excusandi videantur boni Principes, cum ministrorum potiùs hæc odio Clericorum machinamenta sint, ut fiat, quod fieri non deberet à sæcularibus. Hoc nemo negabit Laicis, & Principibus, quin monere charitativè Episco-

Epiſcopum, vel alios Præſules poſſint, ſi notorij ſint exceſſus, ut per competentem juriſdictionem corrigantur, & hoc vult *cit. c. filijs. c. Principes. c. Regum.* 23. *q.* 5. *c. boni principio.* 96. *diſt.* & alia plura allegata *à Suarez. lib.* 4. *de Immunit. c.* 34. *num.* 37. Vel ſi ita anhelant bonum & diſciplinam ſtatûs Eccleſiaſtici, ac Regularium, adhortentur ordinarios locorum ad reformationem Cleri, ad celebrandas ſynodos ex præſcripto Tridentini, &c. Quod ſi negligant ordinarij, inſtent apud Summum Pontificem, qui non deerit reformationi Eccleſiaſticorum, ut paſſim legenti hiſtoricos obvia ſunt exempla. Et ſcimus, cum quanta utilitate pijſſimus Albertus Auſtriacus, Cleri, & Regularium reformationem, etiam Ordinis noſtri Benedictini Româ procurârit ante ducentos annos, ita, ut paſſim etiam aliarum provinciarum Monaſteria reformationem ultroneè amplexa, & in Melicenſem congregationem utiliter coiverint.

7. Ad rationes dubitandi, quod attinet, reſpondeo ad primam: nos non negare, quin ut Advocati Eccleſiarum cavere & providere poſſint, ut earum bona non diſſipentur, ſed negamus hoc fieri per modum juriſdictionis à ſe, & ſuis miniſtris exercendæ id poſſe, niſi ex ſpeciali indulto, quantùm ad ejuſmodi bona Eccleſiarum conſervanda id à Sede Apoſtolicâ obtinuerint, quod exhibere ordinarijs locorum deberent, ſi peteretur; cùm rarò ſoleat Pontifex hujuſmodi indulta concedere, & neceſſe ſit ſcire, cum quibus clauſulis & reſtrictionibus ea conceſſa ſint. Sicut paſſim in Tridentino mentio fit, gratiarum & indultorum Pontificiorum exhibitionem ordinario loci fieri debere. Quomodo autem procurare poſſint, ut diſciplina regularium ſine invaſione juriſdictionis Eccleſiaſticæ conſervari poſſit ſuperiùs de medio conſuluimus.

8. Ad alteram rationem dico: ex illo respectu civili, sub quo considerantur, ut status provinciæ, ad summum inferri posse, quod quatenus publicum regimen, & bonum Provinciæ concernit, illi, tanquam membra discordare à suo capite non debeant, consequenter, cum conventus haberi Provincialis debet, urgente necessitate vel consuetudine, æquum est, ut à Principe, vel ejus ministris vocari possint, sicut passim fit in Provincijs domui Austriacæ subjectis, quamvis neque tunc si inobedientes sint (etsi contrarium practicetur) à Principe sæculari, etiam pœnâ pecuniariâ ob id mulctari possint: cum personæ Ecclesiasticæ alterius Fori sint, & jurisdictioni Laicorum etiam volentes se subjicere non possint, imò neque quo ad eorum bona, cum exemptionis sortiantur Privilegium bona, quod personæ, ut sæpius dictum est. Et hic respectus civilis, sub quô considerantur ut status provinciæ, tanquam qualitas inferioris ordinis, prædominari, & absorbere qualitatem, quæ est superioris ordinis, ut quod sint personæ Ecclesiasticæ toto genere exemptæ, & privilegiatæ à Foro Laicorum, nullatenus potest, sicut satis fusè superiùs *c.2.* demonstravimus.

9. Ad *c. filijs.* aliaque, quæ allegari possunt, respondeo, vel correcta esse, *per. c. quomodo & qualiter. de for. compet.* ut vult *Panorm.* vel solùm hoc velle, ut Principes in tali casu admonere summum Pontificem, tanquam advocati Ecclesiarum debeant, ut de remedio provideat: nullô modô autem, ut jurisdictio ipsis attributa sit in personas Ecclesiasticas, quas immunes à Laicorum jurisdictione præter Jus Divinum, præsertim in delictis, & Canonicum, etiam Jura Civilia, ut vidimus, esse jusserunt. Et legant hi Principum ministri, qui tantopere contrarium urgent, totam *distinctionem. 96. præsertim. c. duo sunt,* ubi *Papa Gelasius Anastasium Imperatorem* inter alia ita allo-

qui-

quitur: Noſti itaque inter hæc ex illorum (Prælatorum Eccleſiaſticorum) te pendere judicio, non illos ad tuam redigi poſſe voluntatem.

CAPUT VII.

COROLLARIA QUÆSTIONUM practicarum circa Privilegium fori Clericorum hucuſque diſput. 1. & 2. examinatum.

COROLLARIUM PRIMUM.

SUMMARIUM.

Sæcularis Magiſtratus vel Princeps terræ quo jure ſe immiſceat in Electionibus Prælatorum aut inveſtitura Parochorum & aliorum quo ad traditionem temporalium, & ſimiles actus. n.1.2.3.

Quid in dubio præſumendum. n.4. & 5.

Concordata quæ ſunt contra Immunitatem Eccleſiaſt. ſunt probabiliſſime per Bullã Cœnæ Domini revocata. num.6. ubi allegantur verba Bullæ. n.7.

Videntur tamen non obſtante revocatione nihilominus ejuſmodi ſæculares vi Concordatorum excuſari poſſe. n.8. & 9.

Quibus in caſibus & quando cenſentur concordata indubitanter revocata. eodem n.

Temporalia Clericorum non poſſunt dici eo ipſo propterea juriſdictioni Laicorum ſubeſſe, quia temporalia ſunt. n.10.

An Iure advocatiæ competat ſæcularibus Iuriſdictio in bona temporalia Clericorum quorum advocati ſunt. n.11.

Reſpondetur ad propoſitum dubium. num.12 & 13. ubi etiam traditur, quid ſint advocati & quo jure regulariter gaudeant.

Advocatus ut ſic & ex ſe caret juriſdictione in eum cujus eſt advocatus. eod. num.13.

An cõſuetudine etiam immemoriali

I.

CElebris ille, & tanquam primipilaris, ac in praxi frequentissimus per Germaniam nostram casus hîc loci examinandus est, quô scilicet Jure sæcularis Magistratus, terræ Princeps, vel alius Dominus in Electionibus Prælatorum, aut investitura

ſtitura Parochorum, aliorúmque beneficiatorum, quo ad traditionem temporalium ſe immiſceant? Sicut & quoties poſt mortem Prælatorum, aliorumque Clericorum, maximè Parochorum, bona defuncti conſignanda ſunt, ac poſtmodum, ut vocant, inventanda?

2. Et respondeo: quoad primum, ſi excuſare in hoc Laicos aliqualiter volumus, neceſſariò recurrendum eſſe ad ea, quæ ſuperiùs circa Forum Clericorum in actionibus perſonalibus, prope finem, notavimus: quatenus ſcilicet illa bona, quorum traditionem tempore Electionis Prælatorum, vel inveſtituræ Parochorum hi prætendunt, Jure feudali in Eccleſiam ab ejuſmodi ſæcularibus Principibus alijsvè Dominis, vel eorum majoribus tranſiverint.

3. Vel hoc onere, & pacto, quod contra SS. Canones non ſit, ijſdem legitimò modo impoſito, & adjecto, hanc tradendi temporalia prærogativam ſibi reſervârint, quatenus ſcilicet ab ijs, & non ab alijs, vel ſaltem unà cum alijs, v. g. Epiſcopo loci, recognoſcerent temporalium traditionem, vel id vi concordatorum à Sede Apoſt. approbatorum fiat. Atque hôc ita neceſſariò ſuppoſitô, per textus & Authores ibidem allegatos tolerari poteſt hoc factum ſæcularium, ſe taliter quô ad temporalia in prædictis caſibus immiſcentium, cum per textus Juris feudalis notum ſit, perſonas etiam Eccleſiaſticas feudum à Laico recognoſcentes, ab eodem quoad ejuſmodi bona inveſtiri debere, accipereque rerum feudalium poſſeſſionem: per ea, quæ fuſiſſimè notat *Roſenthal. toto. c. 6. in ſuâ Synopſi.*

4. In dubio tamen, an cum tali onere, pacto, & conditione bona in Eccleſiam venerint, vel bona feudó ſubjecta ſint,

sint, tunc saltem fortè adhuc tolerandum eorum factum censerem, si jam ab immemoriali tempore, accedente titulo ad minimum colorato, cui communis fama adstipuletur, in quietâ ac pacificâ possessione, vel quasi, tradendi temporalia prædictis casibus fuissent, quod onus vel pactum in traditione intervenisse aliàs non præsumitur in dubio, per doctrinam *Barbatia. in. c. verum. de for. compet. num. 6. 9.* ut eum *cit. Diana. p. 4. tract. 1. resol. 4. Felin. & Thuscus allegati à Cochier. de libert. Eccles. p. 1. c. 31. num. 21.* quàm primùm enim bona Ecclesiæ absolutè collata sunt, efficiuntur Ecclesiastica, atque eâdem Immunitate gaudent, quâ personæ Clericorum. *per. c. Ecclesia. S. Maria. de constit.*

5. Secundò excusandi etiam essent, si facerent vi concordatorum, ut paulò superiùs insinuavimus (modò tamen illa per Sedem Apostolicam approbata sint) aut speciale ad hoc faciendum à Summo Pontifice Privilegium obtinuissent.

6. Etsi enim Jurisdoctissimi complures sint, qui teneant & concordata, & Privilegia, quæ contra Immunitatem Ecclesiasticam, quomodocunque directè, vel indirectè sunt, per bullam Cænæ Domini esse revocata, quæ sententia in puncto Juris videtur omnino vera: per ea, quæ *not. Sayr. noster. in tract. de censur. lib. 3. c. 25.* ubi de clausulis bullæ Cænæ Domini agens *num.* 10. Quintam Bullæ clausulam in hæc verba conceptam refert: Non obstantibus Privilegijs, Indulgentijs, & Litteris Apostolicis, generalibus vel specialibus supradictis, vel eorum alicui, vel aliquibus alijs. cujuscunque Ordinis, statûs, vel conditionis, dignitatis, præeminentiæ fuerint; etiamsi, ut præmittitur, Pontificali, Imperiali, Regali, seu

ſeu quaſi Eccleſiaſticâ, & mundanâ præfulgeant dignitate, vel eorum Regnis, Provincijs, Civitatibus, ſeu Locis à prædicta Sede ex quâvis causâ, etiam per viam contractûs, aut remunerationis, & ſub quâvis aliâ formâ & tenore, ac cum quibusvis clauſulis etiam derogatoriarum derogatorijs conceſſis, etiam continentibus, quod excommunicari, anathematizari, vel interdici non poſſint per Litteras Apoſtolicas, non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi, ac de Ordinibus, Locis, Nominibus proprijs, Cognominibus, & Dignitatibus eorum mentionem, nec non conſuetudinis etiam immemorialis, ac Præſcriptionibus quantumcunque longiſſimis, & alijs quibuslibet Obſervantijs, ſcriptis, vel non ſcriptis, per quæ contra hos noſtros Proceſſus ac Sententias, quo minùs includantur, in eis ſe juvare valeant, vel tueri. Quæ omnia, quo ad hoc omnium eorum tenores, ac ſi ad verbum, nihil penitus omiſſo, inſererentur præſentibus, pro expreſſis habentes, penitus tollimus, & omnino revocamus, &c.

7. Ut adeo meritò opinionem *Navarri* rejiciat *Sayr.* qui putat, ſi Privilegia ſint remuneratoria, vel immemorabilia (idem eſt de concordatis, cum in effectu vim Privilegij Pontificij contineant. Sicut docet *Suarez. de Immunit. Eccleſ. lib.* 4.

c. 34. *à num.* 22. & nos in fine hujus tract. cum ipso concludimus.) hodie desuper consulendum esse S. Pontificem, cum ex verbis clausulæ hujus nimis manifestum sit, omnia esse revocata, sive per viam contractûs obtenta sint, sive remunerationis, ut adeò hîc locum habeat illud Juris axioma: qui certioratus est, (intellige, per expressa verba Bullæ) ampliùs certiorari non debet, vivô Pontificis oraculô, & testatur *Azor. tom.* 1. *lib.* 5. *c.* 12. Romæ secundùm hanc sententiam quotidiè judicari. atque patere manifestè ex actis judicialibus Auditorum Cameræ, ex pluribus decisionibus Auditorum rotæ, & ex sententijs Auditorum sacri Palatij Apostolici. Ita in effectu videtur etiam sentire *Suarez.* ubi suprà. *Leyman. lib.* 4. *tract.* 9. *c.* 10. *num.* 3. *Diana p.* 1. *tract.* 2. *resol.* 96. *& resol.* 6.

8. Hâc tamen sententiâ, quæ videtur certa in Jure, non obstante, excusandos putarem illos, qui hoc vi Privilegij à Sede Apostol. obtenti, vel concordatorum facerent, & ratio est, quia gravissimi etiam Doctores sunt, qui tenent, per bullam cænæ ejusmodi Privilegia, vel concordata, non esse revocata, quos ibidem *resolut.* 6. *citat. Diana.* & *Suarez. ubi suprà. num.* 30. consequenter hæc sententia habet saltem extrinsecam probabilitatem, scilicet ab authoritate docentium; quamvis, quomodo ad verba bullæ responsuri commodè sint, ego non video.

9. Secundò videtur præsens casus, quo se sæculares in collatione beneficiorum immiscent, totaliter particularis, neque ita graviter præjudicialis Immunitati; cum hanc jurisdictionem ejusmodi personæ sæculares tantum cumulatiùs usurpent quo ad bona Clericorum, non privativè, saltem ut in Bavaria hoc modo vi concordatorum provisum fuit, *ut. c.* 4. *eorundem* videre est, & sic forsan limitatè intelligi posset revocatio Bullæ, quatenus non censeantur revocata illa Privile-

gia,

gia, & concordiæ, quæ ſe ad certos tantum caſus porrigunt, & extra cauſas criminal. *ut Suarez.* ubi ſuprà *num.* 29. *in fine vult*, velut in propoſito: quatenus Laicus ſimul cum Epiſcopo temporalia conferre beneficiato poſſit. Revocata verò, concordata & Privilegia, quæ in genere aliquo etiam certo, Immunitati Eccleſiaſticæ repugnant, ut: quatenus Rex, vel Princeps plenariam juriſdictionem in bona temporalia Clericorum exercere poſſit, Steyras imponere Clericis, quoties neceſſe videbitur, delinquentes indifferenter capere, ac ſaltem pœnâ pecuniariâ mulctare, appellantes ad ſuam curiam Clericos, audire & judicare & ſimilia: hæc enim multùm præjudicarent Exemptioni Clericorum, ipſis de Jure Divino competenti, ut adeo nihil obſtet, quo minus ejusmodi Privilegia, & concordata Pontifex revocare poſſit, & de facto in *bulla cœnæ* revocârit: cum per nullum contractum Papa à ſe abdicare poſſit ſupremam poteſtatem ſpiritualem, qua in caſu neceſſitatis, & exigentiæ procuret bonum Eccleſiæ, & præſertim ſtatûs Clericalis, cujus is caput eſt. vide, quæ diximus in *fine hujus tractatûs. c. ultimo.*

10. Cæterum ex eo ſolùm adſerere velle, quod temporalia eo ipſo, quod temporalia ſunt, diſponenda à Principibus temporalibus veniant, nimis crudum, & temerarium eſſet, & contra SS. Canones, qui bona temporalia, ubi ſemel in Eccleſiam ex titulo donationis, alióve habili ad transferendum dominium tranſiere, SS. Canones perſonarum Eccleſiaſticarum juriſdictioni, ac diſpoſitioni ſubjecta eſſe voluerunt, non Laicorum regimini.

11. Sed inquies: Jure ſaltem advocatiæ muniti ſunt Principes, alijque Domini, quatenus Eccleſiarum Prælati, Parochi, cæterique Beneficiati traditionem temporalium non niſi ab ipſis recognoſcant: nam teſtatur *Roſenthal. c.* 4. *de mater.*

feudi. concl. 14. *in addit. littera.* 6. quod ipse viderit, ejusmodi advocatos habuisse rationem, & curam, ne reditus monasteriorum dilapidarentur, vel alienarentur sine causâ.

12. Respondeo primò, certum esse per ea, *quæ cit. loc. docet Rosenthal, And. Geil. lib.* 2. *obs.* 54. *Zas. p.* 10. *in sua epit. de feud. num.* 44. *& toto cons.* 7. *vol.* 2. *Baro Scenck in suo tract. de feud. ad titul. de pace tenend.* §. *quicunque advocatiam, &c.* in nostrâ Germaniâ ejusmodi advocatos, & advocatias passim in usu fuisse, atque etiamnum esse, & vocari vernaculâ Schutz-oder Schirm-Herrn / vel Kastenvögt / imò alijs quoque locis ac Provincijs usitatos fuisse testatur *Pontifex in c. generali. in.* 6. *de elect. c.* 2. *de reb. Eccles. alien. eod. lib. c. in quibusdam. extrà de pœnis. c. quia Clerici. de jure patron. c. præterea. eod tit. c. in singulis. de Stat. Monach.* atque advocatia, germanicè Kastenvogtey/ nihil aliud est, quam jus singulare protectionis Ecclesiæ, pro quô, si quidem jure feudi competat, pro ut inter partes convênit, vel antiquitus obtentum est, quotannis aliquid præstari solet, vel alium aliquem fructum plerumque annexum habet. De quo jure advocatiæ, cum secundum jus Scriptum non habeatur admodum magna cognitio, *ut testatur ibidem Rosenth. num.* 3. consuetudines locorum, pacta, & Conventiones inspicienda erunt.

13. Respondeo secundò: tametsi meminerit *Rosenthal*, alicubi locorum advocatos curare consuevisse, ne reditus Monasteriorum dilapidarentur (quæ cura videtur ex intrinsecis principijs Juris advocatiæ emanare) non tamen credo consequentiam esse: ergo Ecclesia possessionem temporalium ab ipsis recognoscere debet; cum hæc recognitio, quo ad illum à quo petenda est, videatur supponere aliquam jurisdictionem: qua tamen advocatus, ut sic, (maximè quantum ad personas Ecclesiasticas, & eorum bona) caret. *teste eodem Rosenthal. ibid.*

Geil.

Seil. ubi suprà. num. 1. *& 4. Alexander. L.* 1. *num.* 34. *ff. jurisdict. omnium judic. & consil.* 53. *n.17. lib.6.*

14. Sed an consuetudine saltèm, vel pacto, ac conventione ejusmodi jurisdictionem, vel traditionem temporalium aquirere potuerint, addubitatur? Puto, quod neutro modo. Est enim hæc consuetudo contra libertatem Ecclesiasticam, ergo non valet. *gloss. & Abb. ex communi c. ult. de consuetud.* saltem si ex pòst facto rebus Ecclesijs jam liberè semel donatis vellent ejusmodi Ecclesiarum advocati dictam jurisdictionem quo ad faciendam inposterum traditionem sua Authoritate sola consuetudine aut pacto, vel novâ stipulatione sibi quærere; ab initio enim, si in ipsâ donatione sibi quis jus dictæ traditionis quæreret ac reservaret, illud probabilius posset, tunc enim non admodùm contra jura agere videtur, cum rei suæ donationem modificare possit, ut vult, modo juri non adversetur, quamvis & hoc cum aliquo scrupulo dicatur, ut facilè consideranti patebit. Stante igitur libertate, casu quo in ipsa donatione in aliud (supposito quod valeat) conventum non est, tam rerum temporalium ad Ecclesias pertinentium, quam spiritualium plena dispositio ad Episcopos, aliosque Superiores pertinet, exemptique sunt tam Clerici, quam Ecclesiarum bona â Laicorum jurisdictione, per ea, quæ suprà fusè diximus. Pactum autem vel conventio saltem ex pòst facto apposita, propterea non valet, quia juri publico, quale est hæc Immunitas, ut suprà jam notavimus, pactis privatorum derogari nequit, adeò, ut hoc neque de Authoritate Episcopi procedat, cum solius Papæ sit, ejusmodi pactis, quæ libertati Ecclesiasticæ obviant, consentire *Barbos. cit.* §.2. *num.192.*

15. Quod maximè verum esse existimo, si prædicti Ecclesiarum advocati, alijque Domini privativè quo ad locorum ordinarios hanc traditionem temporalium immemoriali so-

lùm consuetudine obtentam prætenderent. Imò audacter dico, sive cumulativè, sive privativè, vi consuetudinis solius, etiam immemorialis, sæculares Magistratus ejusmodi traditionem temporalium, quo ad bona beneficiorum, aliavé jura, vigore exemptionis Ecclesiasticæ solis personis Ecclesiasticis competentia, prætendant, nisi de legitimo titulo, vel Privilegio doceant, negamus tutos esse in conscientiâ, & cum manifesto periculo incurrendæ Excommunicationis se quo ad ejusmodi actus intrudere. *per ea quæ notantur in. c. noverit. & c. gravem. de Sent. excommun.* ubi tam statuta, quàm consuetudines conrra libertatem Ecclesiasticam observari facientes, excommunicantur. *vid. Abbatem. in terminis ad propositam quæstionem. in suo Consilio 83. p. 1. Felin. in. c. Ecclesia S. Mariæ. de const. vers. quæro secundò. & quæro undecimò.*

17. Qui rectè resolvunt: toties statutum vel consuetudinem esse contra libertatem Ecclesiasticam, quoties est contra ea, quæ concessa sunt Ecclesiæ universali, generaliter, vel singulariter, à Deo, Papa, vel Principibus sæcularibus. ut tenent communiter Interpretes. *cit. c. noverit. Bartol. & Bald. in Authent. Cassa. de SS. Eccles.* Vel quoties denique per ejusmodi consuetudinem Laicorum, Clerici fierent timidiores, & sæculares audaciores. *argum. L. 3. §. quæ oneranda. ff. quarum rerum actio. &c.*

18. Optimum argumentum à simili petitur ex materia decimarum, de quo Interpretes. *in. c. cum Apostolica. de his quæ fiunt à Prælatis &c. Felin. in. c. causam. de præscript. Capell. Tolosan. decis. 440. Covarr. var. lib. 1. c. 17. Canisius de decimis. c. 13.* ubi communiter concludunt Doctores, non sufficere Laico, allegare pro se consuetudinem immemorialem ad hoc, ut sufficienter probâsse censeatur, se ante Concilium Lateranense ejusmodi decimas possedisse, cum in contrarium Ecclesia fundatam

tam

tam intentionem habeat de jure communi, & talis Laicus se fundet super decimis, quasi eas ante Concilium Lateranense in feudum receperit, ergo probet necesse erit. *per L. si minorem. Cod. de in integ. restit. L. 1. Cod. de prob. & L. 2. ff. eod.* præsertim cum in ejusmodi personas Laicas quo ad hæc regulariter non cadat possessio. Vt adeò Laicos Principes ac Magistratus defendere sola consuetudo immemorialis etiam hoc casu non possit, nisi de legitimo titulo doceant. Sunt enim hujusmodi consuetudines utpote libertati Ecclesiasticæ repugnantes, reprobatæ à jure communi per *c. noverit. cit.* habentque fundatam intentionem Ordinarij locorum, quo ad ejusmodi traditionem temporalium, per se solos expediendam: ut per plures textus comprobat *Abbas. d. consilio 83. §. 1.*

19. Deinde, licet hodie in nostris partibus ijdem Ecclesiarum esse advocati soleant, qui sunt Domini territoriales, habeantque fundatam jurisdictionem jure territorij, non tamen credo, quod vel jure territorij (nam Clerici favore sui Privilegij, pro ijs, qui extra territorium sunt, habentur) vel advocatiæ, per ea, quæ paulò antè diximus, prædictam traditionem temporalium sibi arrogare possint, cum ad Episcopos de jure *SS. Canonum* dispositio bonorum Ecclesiasticorum pertineat. *per text. ab Abbate. d. consilio. 83. & plures alios allegatos.* nolitque citatum. *c. in quibusdam. de pœnis.* ejusmodi advocatos aliud posse, quam ipsis de jure SS. Canonum concessum sit.

20. Quo ad alterum, quantum scilicet ad obsignationem, vel inventationem bonorum, post mortem alicujus Prælati, vel Parochi relictorum, attinet. Respondeo; tametsi ejusmodi personæ defunctæ bona sua in feudum ab ipsis sæcularibus Principibus recognoscant, ex hoc solo tamen prætendere obsignationem, vel inventationem probabiliter non posse. Et ratio est, quia licet de Jure feudali proditum sit, renovare investi-

vestituram Clericos, si Vasalli fuerint, à Dominis senioribus, etiam Laicis, debere, ita, ut nisi hoc faciant Clerici, feudo privandi sint, alterum tamen de obsignatione bonorum, vel inventatione post mortem Prælatorum vel Parochorum, nullibi in jure feudali cautum est, maximè cum prætendant ejusmodi obsignationem Principes, non Jure feudi, Ecclesiæ, vel Monasterio concessi, sic enim ad Summum fortè possent fructus feudales obsignare, cum tamen notum sit, omnes omnino fructus, etsi revera, & notoriè decimales sint, vel ex fidelium oblationibus proveniant, obsignare, ac inventare, sed jure territorij, & advocatiæ; nam scio, Clericorum etiam transeuntium, & fortuitò morientium, bona mobilia Magistratum ibi Laicorum existentem obsignasse.

21. Atque hoc eò absurdius videtur, quod, cum vi jurisdictionis territorialis ejusmodi actus prætendant, illos exercere non vereantur in loco ab illorum jurisdictione prorsus exempto: ut sunt domus Parochiales, ac Monasteria.

22. Et optimè ad præsentem difficultatem faciunt, quæ notat *Lambertinus. de jure patronat. art. 5. q. 2. principali. Abb. c. ex litteris. c. cum propter. de jure patron. Innocent. & communiter Doctores in c. cum & plantare. de Privileg.* qui omnes docent: Patronum etiam Ecclesiasticum, (de sæculari enim omnes supponunt, hoc non posse) reddendam administrationis rationem à Clerico in beneficio residente, non nisi perfunctoriam prætendere, ac exigere valere, ut adeo sicut *cit. loco not. Innocent.* inquirere speciatim non possit, quantum Clericus pro cibo, potu, ac vestitu impenderit, sed tantum in genere, quomodo possessiones, ac proventus, quos Patronus Ecclesiæ contulit, administrentur, ac expendantur; rationem enim administrationis exactam reddere Episcopo tenentur. ut bene *not. Abb. in c. Lateranensi. de praben.*

Quam-

23. Quod si igitur neque Patroni Ecclesiarum vigore sui Juris patronatûs aliàs tam favorabilis veram & exactam rationem protendere à Clericis vel Prælatis Ecclesiarum patronatarum possunt, quo Jure sæculares hoc poterunt, ita ut velint se privativè etiam quoad ordinarios in ejusmodi obsignationibus, ac inventationibus immiscere?

Tunc tolerari fortè posset, quod adessent, si requisiti de consensu ordinariorum intervenirent tanquam temporalium bene gnari Administratores, & Episcoporum Amanuenses, maximè cum non rarò etiam Principum sæcularium intersit ratione Steyrarum, ac tributorum fundis ad Ecclesias hoc onere transeuntibus impositorum, scire, quomodo possessiones ipsis hoc onere reali affectæ administrentur.

24. Atque hoc fortè sensu concordata inter certum Principem, & Episcopos quoad obsignationem & inventationem, aliasque controversias Anno Domini 1583. approbata à Legato Apostolico fuisse intelligi possunt, non quatenus propriâ authoritate, & ut in hoc negotio tanquam Principales se intrudant, ac singula disponant, sicut de facto sæpe alibi contingit, debeantque Episcopi, vel illorum Deputati, quos hoc immediatè, ac principaliter concernit, cum in his illorum sit de Jure SS. Canonum jurisdictio & potestas, tantum assidere, & spectare, illis omnia per se & primariò expedientibus; ac quod planè intolerabile videtur, & manifestum violentiæ argumentum, si se Clerici vel ejusmodi Prælati excusent, renuantque ab ipsis temporalium traditionem accipere, aliavé ejusmodi onera sustinere, quoad hoc prohibitionem SS. Canonum, & suorum Ordinariorum allegantes, omnes Ecclesiarum fructus arresto subjiciant, subditos Ecclesiarum ab obligatione subjectionis exsolvunt, quin etiam involare Clericorum bona mobilia audent, contumnaciam illorum,

ut ajunt, his modis compescentes: cum tamen nulla executio Laicis in personas, vel bona Clericorum de Jure SS. Canonum competat, velut suprà notavimus.

25. Ut adeò non vereamur dicere: stante præsertim sententia de Jure vera, tam concordata quam Privilegia, & consuetudinem immemorialem, quibus vix practicare contrarium poterant ejusmodi Principes, per *bullam Cœna Domini* esse revocata, authoritate ejusdem bullæ excommunicatos esse tales magistratus, ac Principes, hodie eadem attentantes, & non nisi à Summo Pontifice posse absolvi, de qua excommunicatione præter alios vid. *Sayrum nostrum in suo thesauro lib. 3. c. 21. & 25.*

COROLLARIVM.
SECVNDVM.

SVMMARIVM.

Princeps sæcularis, vel alius Magistratus non excusatur ab incurrenda excommunicatione Bullæ Cœnæ Domini lata contra transgressores ex eo motivo, quod illa in suo Ducatu vel Provincia non sit acceptata. n. 3.

Proponuntur rationes dubitandi. num. 1. & 2.

Acceptatio populi, maximè hodie, non est necessaria ad hoc ut Lex etiam Civilis obliget. n. 4. constat ex communi stylo & praxi Principum Leges ferentium. n. 5.

Quod acceptatio populi ad Legum obligationem non sit necessaria, ait Suarez loc. cit. instar regulæ habendum. n. 6.

In Legibus Pontificum dicere: acceptionem populi necessariam esse, est contra declarationem Ecclesiæ vivo Pontificum oraculo sæpius factam. n. 7.

Quando dubium est, an Lex rationabilis sit, supplicandum erit Legislatori, ut inspecto nimio illius gravamine eandem temperet. num. 8.

Quod si nihilominus perstat Princeps in Legis manutentione, utut nimis onerosa sit, saltem in conscientia non obligat. n. 9.

Quo-

Quomodo accipiendum illud, quod communiter dicitur: Concilium Trident. in multis Provincijs, quo ad omnia non esse acceptatum, & an hoc procedat de jure quo ad Bullam Cœnæ Domini, n. 10. & 11.

Respondetur ad rationes dubitandi. num. 12. 13. 14.

Episcopi sub peccato mortali tenenter Bullam Cœnæ publicare in suis Diœcesibus, & eandem penes se habere debent, & diligenter legere omnes curam animarum habentes, etiam regulares, sub eodem reatu peccati mortalis. n. 15.

I.

ALtera facti species non minus frequens in praxi, & scitu necessaria, hìc loci examinanda est, in qua quæritur: utrùm Princeps sæcularis, vel alius magistratus Laicus excusetur ab incurrenda excommunicatione Bullæ Cænæ Domini, latâ contra ejus transgressores, ex eo motivo, quod illa in suo ducatu vel provincia non sit acceptata? ratio dubitandi est, quod satis communis sit sententia Doctorum, utriusque Juris *in. c. 1. de treuga & pace. Covarr. lib. 1. var. resol. c. 16. Iason in L. rem non novam. §. patroni. Cod. de judicijs. Navarr. in manuali. c. 23.* legem non obligare, nisi acceptetur à populo, per bonum text. *in. L. de quibus. ff. de legibus.* ubi dicitur: Leges ipsæ nullâ aliâ de causâ non tenent, quam quod judicio populi receptæ sunt, & textus est *in. §. leges. dist. 4.* ubi ita loquitur Gratianus: Leges instituuntur, cum promulgantur, firmantur, cum moribus utentium approbantur.

2. Et ratione confirmari hæc sententia potest, quod potestatem legislativam populus in Principem transtulerit, ut adeo non videatur aliter ea in Principem transijsse, nisi sub hâc conditione, ut non obligaretur populus legibus, nisi & ipse

ipse per acceptionem ijs consentiret, consequenter neque voluntas Principis alia obligandi conjectabitur, quàm post acceptationem legis à populo.

3. His tamen non obstantibus: Respondemus ad propositam facti speciem negativè. Ratio fundamentalis est, quod potestas ferendi leges in Pontifice immediatè sit à DEO, ergo quamdiu Lex vel Canon in se non peccat contra essentiam Legis, vel Canonis, in conscientia obligabit, non exspectatâ acceptatione Legis à populo.

4. Et hæc sententia à fortiori procedit, stante opinione verâ & communi, acceptationem non esse necessariam ad substantiam & obligationem legis, sed potius esse effectum, qui sequi debet, ex lege jam sufficienter institutâ, & obligante.

5. Atque hanc opinionem confirmat usus & praxis, quàm primùm enim lex semel sufficienter est promulgata, mox ad ejus observationem coguntur subditi per pœnas à Principibus, non exspectando, num acceptaverint, vel non. Et nunquid potestas legislativa esset prorsus illusoria, si in arbitrio subditorum foret, legem acceptare vel non? ut taceam, potestatem legislativam vim præcepti habere, consequenter ex naturâ relativorum, ubi erit qui possit authoritativè præcipere, erit etiam qui debebit obedienter parere.

6. Et propterea ait *Suarez. in tract. de legib. lib.* 3. *c.* 23. *n.* 9. quod hæc sententia simpliciter asserenda sit, ac pro regula habenda. Nobiscum in terminis sentit *Bonacin. ad bullam cœnæ, disput.* 1. *q.* 15. *pun.* 4. §. 5. *Diana. p.* 3. *tract.* 1. *resol.* 54.

7. Et attestatur *cit. Bonac. ibid.* non unum, sed plures Pontificum vivô vocis oraculô declarâsse: Sententiam illorum, quæ in Legibus Pontificum ad

earum

earum valorem requirit acceptationem populi, explodendam, & reijciendam esse. Videant ergo, quam in lubrico versentur, qui persuadent Principibus, eos Bullæ censuris non constringi ex eo, quod ea acceptata non sit. Dixi superiùs notanter: quamdiu Lex vel Canon in se non peccat contra essentiam Legis vel Canonis: quia si esset manifestè injusta, vel nimis onerosa, peccaret contra substantialia Legis in se, cum debeat illa esse rationabilis & justa, consequenter non tenerentur eam subditi acceptare.

8. In dubio tamen omnino supplicandum esset Legislatori, quatenus considerato nimio gravamine, quod ex Legis observatione oritur, eam authoritativè moderetur, aut ex toto auferat, de quo supplicandi modo *vide Suarez ubi suprà lib.4. c.16.* Exemplum esse potest in Lege lata, ne quis frumentum extra Provinciam vendat, casu enim quo Provincia abundaret frumento, neque subditi id vendere in ea sine gravi damno possent, rationi conforme non foret, illorum venditionem intra Provinciam constringere, cum de jure gentium emptiones & venditiones sint liberæ. Idem credimus in exactionibus nimijs dicendum.

9. Quod si nihilominus perstaret princeps in Legis manutentione, utut nimis onerosa sit, & cum gravi damno subditorum, saltem in conscientia ad observantiam illius non tenebuntur, neque peccabunt contra Legis præscriptum tunc vendentes extra Provinciam frumentum, vel exactionibus nimijs non deferendo; possentque tunc, sicut suprà notavimus, tanquam in manifestâ injustitiâ ad Pontificem recurrere pro remedio, cujus est tanquam ejusmodi peccatis publicis, suâ Authoritate obviare.

10. Quod si dicas: experientia constare, Concilium Tri-

dentinum in multis Provincijs non esse quo ad omnia receptum, ergo adhuc verum erit, populum acceptare Legem posse, vel non. Respondeo, negando consequentiam. Tò enim non receptum esse, solùm innuit, in usu communi hominum non esse, non autem, quod ab initio liberum fuerit, Concilium acceptare vel non. & illud fieri potuit ab initio graviter peccando contra Legem, quæ omnes, si sufficienter promulgata sit, obligavit. Quid autem juris sit, quando ex pòst-facto à majori parte communitatis non observatur, an & quando censeatur abrogata, vel potius suspensa ejus vis, docent Interpretes juris Canon. *ad c. fin. de consuetud. & locis à Suarez allegatis lib. 4. de legibus c. 16.* ubi hanc quæstionem satis accuratè examinat.

11. Interim quidquid sit de hac abrogatione Legis vel Canonis in genere tradita per Doctores, fallit tamen quantum ad ea, quæ in Bulla Cœnæ continentur, cum quotannis ea repetatur, & promulgetur, atque actus omnes, qui in contrarium obviare possent, etiam in vim Privilegij, contractûs, vel consuetudinis etiam immemorialis, annullantur, & pro irritis habentur, præsertim cùm hîc simus in materia immunitatis Ecclesiasticæ, cui nulla consuetudine vel præscriptione etiam immemorialis temporis præjudicari potest. ut paulò pòst videbimus.

12. Ad rationes dubitandi & textus in contrarium allatos respondeo primò. Sententiam satis communem, quæ docet, acceptationem populi necessariam esse in Legum promulgatione, non esse improbabilem de jure scripto Civili, stante præsertim illo principio, quod Populus ea conditione potestatem leges ferendi in principem transtulerit; hodie tamen in praxi planè contrarium obtinere existimamus, cum palam sit, principes, quamprimùm Leges sufficienter promulgatæ sunt, mox

mox transgressores, non attentâ vel exspectatâ acceptatione populi, punire, & planè potestas legislativa foret admodum infirma, ut non dicam inutilis, si Principes cogere subditos non possent ad acceptandam, & servandam Legem, ut taceam, plerosque principes eam potestatem in populum jure belli à majoribus suis aquisitam possidere, consequenter non ex voluntate populi illam eá conditione in Principes transferente, ut constat ex historiâ de Carolo Magno, armis Imperium Occidentis sibi vendicante.

13. Quod autem ex *Gratiano* allegatum est, contra nos nil militat, concedimus enim, acceptatione & usu firmari Leges, negamus autem eam necessariam esse ad primævum robur & firmitudinem Legibus astruendam, neque enim à posteriori fortius argumentum est, Legem aliquam latam esse, & eandem observari debere, quam quod ea sit utentium moribus approbata. Sicut è contrario manifesto documento est, si amplius in usu non sit, eam de cætero non obligare, maximè si etiam à viris bonæ conscientiæ non amplius observetur. Dixi viris bonæ conscientiæ, quia confusa & male feriata plebs plerumque quoad majorem partem Leges transgreditur, cum & Leges Decalogi, quæ nullo abusu abrogari possunt, videamus quotidie à plurimis violari, ac negligi.

14. Et sic patet etiam responsio ad rationem dubitandi, præsertim loquendo de SS. Canonibus, ad quos ferendos potestas non à populo, ut vidimus, sed à Deo Pontifici in Petro, per verba: quidquid ligaveris, collata est.

15. Et nota hic auctarij loco ex communi Sententia eorum, qui commentantur in Bullam Cœnæ Domini, per verba eidem Bullæ inserta Episcopos sub peccato mortali teneri eandem Bullam publicare per suas Diœceses, per ea, quæ not. *Bonac. ubi suprà q. 22. punct. 6. & Toletus in Summâ de casibus in*

Cœna

Cæna Domini reservatis. in fin. ubi ex eâdem Bullâ refert: quoscunque curam animarum habentes etiam regulares, obligari sub peccato mortali, ut eandem Bullam penes se habeant, & diligenter legant.

COROLLARIUM TERTIUM.

SUMMARIUM.

Controversia præcedentiarũ in Processionibus inter Ecclesiast. personas, vel regulares, imò etiam Confraternitates, ad cavendum scandalum, non possunt jurisdictionaliter dirimi à Principe vel Judice Laico. n. 1.

Quid dicendum, quando est periculum in mora? n. 2.

Ratio decisionis. ibid.

1.

QVæritur tertiò: quid juris in casu, quo oriuntur controversiæ, circa præcedentiam in Processionibus inter Ecclesiasticos, vel regulares, imò etiam inter confraternitates: an ad cavendum Scandalum, illæ dirimi à Principe, vel judice Laico non possint? Et respondeo breviter cum *Barbos. de potest. Episc. p. 2. alleg. 78.* earum judicium penes judicem Ecclesiasticum esse, & non sæcularem. Sunt enim ejusmodi personæ de foro Ecclesiastico, ergo in eodem judicandæ.

2. Sed quid si sit periculum in morâ? tunc censerem, eatenus judicem Laicum se intromittere posse, quatenus provideat, ut eo ordine procedant, quo hucusque in Processionibus usi sunt, reservatâ ulteriori quæstione judici Ecclesiastico. Et ratio est, quia tunc Laicus solùm se immiscet quantum ad factum & possessionem antecedenter habitam, quod negari

Laico,

Laico, præsertim si per Ecclesiasticos tunc provideri non possit, non videtur debere ad scandala tollenda. & ita tenet *Carolus de Grassis. de effectibus Clericatûs. effectu.1.n.613.*

COROLLARIUM QUARTUM.

SUMMARIUM.

In executione Legatorum ad pias causas non possunt se immiscere Iudices Laici.n.1.

Allegantur ad hoc probandum text. & respondetur ad Leges ex Iure Civili in contrariũ adductas.n.2.

I.

QVartò resolvimus etiam negativè illam quæstionem, an in executione Legatorum ad pias causas, se intromittere possint judices Laici. neque moramur text. juris Civil. *in L. hæreditas. & L. nulli. C. de Episc. & Cler. L. hereditas. ver. fin. ff. de petit. hered.*

2. Cum enim simus in materiâ ad forum Canonicum pertinente, decisio SS. Canonum attendi debet, non Legum Civilium. textus est erpressus. *in. c. tua. de testam.* ubi ita Pontifex loquitur: cum igitur in omnibus pijs voluntatibus sit per locorum Ordinarios providendum. &c. *& per tex. c. si heredes. eod. tit. quaq; notat Trident. Sess. 7. c.15. & Sess. 22. de refor. c.8.* & docet in terminis *Bonac. de contract. disp.3. q.18. pun.1. §.10. num.1.*

COROLLARIUM QUINTUM.

SUMMARIUM.

Tempore Caritatis annona non possunt judices Laici compellere Clericos, ut vendant frumenta, neq; cogere in casu, quo visitant granaria, ut & Clerici sua exhibeant visitanda.n.1.

Eodem modo, si tempore pestis sanciantur certa pœna in transgressores à Laicis, ijsdem non tenebuntur Clerici. n. 2.

Allegatur ratio communis exemptionis Clericorum à potestate Laica. n. 3.

Limitatur in casu, quo est periculum in mora, & omnia de jure concessa media non suppetunt. n. 4.

Ex eodem motivo periculi in mora Clericus de loco suspecto veniens, si ultrò recedere monitus nollet, posset vi inde repelli. n. 5.

Quare pœna in transgressores statuta etiam hoc casu non habent locum in Clericis. n. 6.

Quomodo contrarium sentientes intelligendi sint. n. 7.

1.

QVintò quæritur: an tempore caritatis annonæ judex Laicus compellere possit Ecclesiasticas personas, ut vendant frumenta, vel si pro bono communi visitantur granaria à Laicis, ijsdem tenentur Clerici sua quoquo horrea aperire, & exhibere?

2. Deinde, an si tempore pestis à Laico Magistratu certæ fiant provisiones, interdicta, & pœnæ in transgressores, ijsdem teneantur Ecclesiastici? & expedio me breviter, respondendo: Neq; compelli ad vendendum à Laicis Clericos posse: neq; teneri admittere sæculares ad inspicienda sua granaria, vel pœnis aut interdictis tempore pestis interpositis subjacere.

3. Et ita resolvitur ex cõmunibus principijs jam sæpe repetitis, eo quod Laicis non competat jurisdictio in Clericos, & sufficienter bono communi provideri eo in casu per Judicem Ecclesiasticum possit, si succurrere publicæ necessitati tergiversentur Clerici.

4. Modo non sit periculum in morâ, stante enim tali periculo,

culo, non negamus compelli Clericos ad vendendum posse, cum tunc ratio naturalis dictet succurrendum bono publico, neque ut supponimus desuper adiri & consuli Judex competens Ecclesiasticus possit, adeoque justæ defensioni boni communis locus sit, & præsumi de conjecturatâ mente Pontificis prudenter liceat, consequenter etiam Clericus, si notoriè de loco infecto veniret, vel saltem valdè suspectus de hoc foret, nisi ultrò recedere monitus vellet, posset vi extra territorium, cui timetur ob pestem, repelli, ex eodem motivo justæ defensionis de jure naturæ tunc competentis.

6. Pœnæ autem in transgressores à Laico Magistratu latæ, Clericos propterea non attinebunt, quia idem periculum in morâ, ut supponitur, non subest, & competenter à suis judicibus Ecclesiasticis propterea puniri possunt, mulctâ quæ ipsis videbitur digna & competens. *vid. Dianam. p. 1. tract. 2. resol. 9. & p. 4. tract. 1. resol 87.*

7. Si qui contrarium docent, loqui videntur in casu extremæ necessitatis, & supponendo periculum in morâ esse, quod & nos sensimus excipiendum, quod tamen in dubio non præsumitur, tanquam unum de raro contingentibus, consequenter probandum erit ab illo, qui in eo se fundat.

COROLLARIVM SEXTVM.

SVMMARIVM.

Statutum Laicale, quo cavetur, ne Laici vendant Clericis, ne molant, & coquant panem iisdem, aliavé servitia aut obsequia præstent, item si statuatur ne bona immobilia alienentur in personas Ecclesiasticas, vel ne sine licentia principis terra nova Monasteria erigantur, sunt contra Immunitatem, & ejusmodi facientes peccant mortaliter, & sunt excommunicati, n. 1. 5. 7.

Reyicitur ratio Cajetani & Navarri in contrarium alleg. n. 2. & 4.
Probatur nostra decisio per express. text. num. 3.
Etsi statutum simpliciter tantum prohibeat, ne in extraneos fiat alienatio, diximus nihilominus, non comprehendere Clericos, Ratio ibidem assignatur. n. 6.
Principes saeculares non possunt statuere, ut bona immobilia non possint a suis subditis alienari sine praehabito consensu in Ecclesiast. personas, neq; etiam statuere, ut bona immobilia ad Ecclesias, vel Monasteria sua Provincia pertinentia alienari, vel vendi non possint sine illorum consensu. n. 8.
Limitatur decisio, ut non procedat in bonis feudalibus ad Ecclesias vel Monasteria pertinentibus. num 9.

I.

QVæritur Sextò, an valeat Statutum, ne Laici vendant Clericis, ne molant, aut coquant ijsdem panem, aliavé servitia, aut obsequia præstent. Vel si statuatur: ne bona immobilia alienentur in personas Ecclesiasticas, aut sine licentia Principis terræ nova Monasteria erigantur?

2. Et respondeo, quantum ad primùm, quidquid *Cajetanus verbo. Excommunicatio. Navarr. in manuali. c. 27. num. 119.* asserant, ejusmodi Statutum facientes non incurrere excommunicationem, quasi hujusmodi Statuta potius contra libertatem politici convictûs, quàm contra libertatem Ecclesiasticam, taliter statuentes censuram excommunicationis non effugere. per *expressum textum. in c. eos. de Immunitate Ecclesiast. in 6.* ubi ita loquitur Pontifex: Eos, qui temporale Dominium obtinentes, suis subditis, ne Prælatis, aut Clericis, seu Personis Ecclesiasticis quidquam vendant, aut emant ab ijsdem, neque ipsis bladum molant, aut panem coquant &c. eò ipso ex-

com-

communicationis Sententiæ decernimus subjacere.

3. Et hanc Sententiam tenent communiter Theologi teste *Diana. p.5. tract.2. resol.59. Suarez. de censur. disput.21. sect.2. n.93. Reginald. tom.5. c.24. num.359.*

4. Ratio allegata ab adversarijs nulla est, tametsi enim libertatem quoque Politici convictûs ejusmodi Statutum offendat, quod non negamus, offendit tamen etiam ipsas personas Clericorum, quæ cum, maximè in favorabilibus, pro Civibus reputentur, habeantque communionem politicam cum Laicis liberam, quo ad commercia, non debent deterioris esse conditionis quam sæculares, præsertim cum de illorum qualitate ac personis Laici omnino disponere nequeant; & sufficere deberet ad incurrendam excommunicationem, si saltem indirectè ejusmodi prohibitio Immunitatem Ecclesiasticorum læderet, ut constitutum in *Bulla Cœnæ Domini Canone 15.* legimus.

5. Quantum ad alterum membrum, eadem ratio militat. Et cum tam de jure naturali, quam Civili per *L. jubemus. Cod. de SS. Ecclesiis.* concessum sit, ut sæculares liberè & indifferenter donare Ecclesiasticis personis possint, & à fortiori vendere, cur ergo id malignitas Statutorum impediat? præsertim cum expressa decisio cit. *c. eos. in. 6.* excommunicationi subijciat prohibentes, ne quis Ecclesiasticis personis vendat. Vt adeò parum curandus sit *Molin. de jure & just. tom.1. tract.2. disput. 140. num.18.* quando contrarium contra expressam Decisionem Summi Pontificis docere ausus est, quasi ejusmodi alienationes in Ecclesiasticas Personas factæ cedant in detrimentum sæcularium. Et lepidum est: quatenus, quod paulo ante ex jure allegavimus, donare indifferenter Laici personis Eccle-

siasticis de jure possint, ita ut non obstet ratio Molinæ, & vendere non possint? cum donare, sit suum jactare & perdere, non ita qui vendit, cum precium loco rei venditæ recipiat.

6. Ampliamus autem dictam conclusionem hanc, ut etiam eô in casu Clericos non comprehendi putemus, quo solùm in genere Statutum loqueretur, ne in extraneos, & qui subditi territorio non sunt, dicta bona immobilia alienarentur. Dispositio enim generalis non complectitur casus, vel personas in specie privilegiatas, & toto genere à jurisdictione statuentis exemptas, neque sub dispositione generali comprehenditur id, de quo in specie disponi nequit. *L. Lucius. §. penult. ff. ad municip.* Et ita cum plurimis à se citatis tenet *Diana. p.1. tract.2. resol. 58. & p.4. tract.3. resol.70. Barbos. in c. Ecclesia, S. Maria. de constitut. num.29.*

7. Quo ad tertium membrum dico: tale Statutum etiam contra Immunitatem Ecclesiasticam fore, consequenter nullum, hæc enim licentia de Jure SS. Canonum penes potestatem Ecclesiasticam est, non penes Laicam, ut adeò eam velle sibi arrogare, aut participare in illa, sit dictam Immunitatem violare, per ea, quæ notant *Interpret. in c. fin. de Religios. domibus. Diana p.3. tract.2. resol.62. & 129.* ubi ait: Ob eandem rationem, quam communiter pro sæcularibus Principibus contrariæ Sententiæ Authores allegant, scilicet, ut ab ijsdem attendatur, quomodo dicti regulares, quorum de novo Monasteria exædificanda sunt, sustentari possint, aliaque inconvenientia inter Religiosos caveantur, hanc construendi licentiam ab Ecclesiasticis locorum, videlicet Episcopis, de Jure SS. Canonum petendam esse, quorum principaliter interest hæc curare.

8. Ex dictis & rationibus, ac textibus allegatis etiam intelligis, Principes sæculares probabiliter non posse statuere, ut bona suorum subditorum immobilia alienari non possint

in

in personas Ecclesiasticas sine illorum licentiâ, & consensu, multo verò minus posse secundum SS. Canones statuere, ut & in alienatione bonorum ad Ecclesias vel Monasteria pertinentium necessariò ejus intervenire consensus debeat, eo ipso, quod Jus illis nullum competat in ejusmodi bonis, neque illorum jurisdictioni subsint, utpote exempta à jurisdictione Laicorum, quamvis interim non negemus, si bona illa; v. g. fundi feudales sint, omnino cum consensu ipsius alienationem fieri debere. ex communi doctrin. in mater. feudali. *tit. de alienat. feudi.* ubi & nos idem docuimus. vide etiam sæpe allegatum *Dianam. p. 4. tract. 1. resol. 13.* qui eandem nobiscum Sententiam in terminis, ut ajunt, terminantibus amplectitur.

COROLLARIUM SEPTIMUM.

SUMMARIUM.

Peccat Princeps contra Immunitatem Ecclesiast. qui facit statutum super his quæ ad funera, & exequias, vel administrationem Sacramentorum, & mercedem pro labore in iis administrandis attinent, tametsi statutum directè tantùm cadat super personas sibi subditas, intelligendo superius dicta, in quantum funera, & exequiæ concernunt officium personæ Ecclesiast. n. 1. & seqq.

Sicut nec potest irritare directè, & per se Juramenta, quæ in certis contractibus apponuntur, vel relaxare obligationem, ex iis nasci solitam, aut cogere subditos, ut si metu aut injuria in illorum favorem extorta sint juramenta, obligationem illorum remittant. n. 13. 17. & seqq.

Statutum Principis quod solam funerationis pompam, & externas solennitates concernit, nullam habentes relationem ad cultum divinum, & ex quibus nihil utilitatis Ecclesiis, & ejus ministris accedere, vel minus potest, nec pati detrimentum cultus divinus, non est contra Immunitatem Ecclesiasticam. n. 4. & 6.

Statutum Laicale moderans cereorum

rum & candelarum numerum, solitarum in Ecclesia apud funus manere, est contra Immunitatem Ecclesiast, allegatur ibidem ratio. num.8.

Respondetur objectioni. n.9.

Scientia & Consensus ordinariorum in ejusmodi statuta non facit, quo minus sint contra Immunitatem. n.10. & 11.

Neque excusat a violatione Immunitatis, tametsi verba statuti directè concipiantur, & cadant super subditos saculares, quia etiam statuta, quæ indirectè tangunt, læduntq; personas Ecclesiasticas, si à Laico condita sint, violant Immunitatem Ecclesiast. numero 12.

Princeps Laicus neque indirectè potest irritare juramentum, nullum declarando contractum, etiam antequam ineatur, cui juramentum postea apponitur à nulliter contrahentibus. n.13.

Respondetur argumentis contraria Sententia. n. 14. 16. & 20. ubi aliquot textus pro nostra Sententia allegantur eod. n.14.

Sententia adversariorum directè militat contra SS. Canones. n.15.

Leges Civiles, juramentum non esse servandum statuentes, sunt nulla. num 18.

Limitatur ibidem ad unum casum. eod. num.

Iuramentum pertinet ad Ecclesiam, ejusque Authoritatem & dispositionem. eod. num.18. & 19.

Quoties de peccato agitur, statur juri Canon. etiam in foro Civili. n.19.

Iudex Laicus juramentum metu extortum regulariter relaxare non potest. n 21.

Nisi esset manifestum, metu vel vi extortum esse, quamvis tunc propriè non relaxet, compellendo. v.g. recipientem juramentum, ut remittat obligationem sibi per tale juramentum quæsitam. n.22.

Quis sit Iudex competens, actoris vel rei, in ordine ad relaxandum juramentum? n.23.

I.

QVæritur septimò: An Princeps, si per aliqua Statuta disponat de his, quæ ad funera & exequias, vel administrationem Sacramentorum, maximè ad remunerationem pro labore in illorum curâ habito attinet, offendat Immunitatem Eccle-

Ecclesiasticam, tametsi directè Statutum cadat super personas sibi subditas. Deinde an possit irritare aliqua juramenta, quæ in certis contractibus apponuntur, aut relaxare obligationem ex ijs aliàs nasci solitam? Vel quartò cogere subditos, ut si metu aut injuriâ extorta sint juramenta, obligationem illorum remittant?

2. Quantum ad primum attinet, etsi sciam nonnullibi jure municipali expressè constitutum esse, quid subditi pro administratione Sacramentorum. v. g. Extremæ unctionis, porrectione Venerabilis Sacramenti, Funeratione, Sepulturâ, sibi à Parochis locorum factâ, dandum sit, dicaturque ibidem, ejusmodi Statuta cum consensu & approbatione Ordinariorum à Principe condita esse.

3. Sentio tamen nihilominus ejusmodi constitutiones contra libertatem Ecclesiasticam esse, neque ullo modo vel Clericos, vel Laicos adstringere.

4. Et primò quoad funerationem libenter admitto *cum Diana. p.* 1. *tract.* 2. *resol.* 65. *Et Felin. in. c. Ecclesia S. Mariæ de constit. num.* 112. distinctionem, quâ discernendum sit, num ejusmodi Princeps disponat præcisè prohibendo abusus pompæ funebris, ut: de pannis & vestibus nigris, ac lugubribus, quanti precij, & valoris esse possint, quæ, & quot cubicula ijs insterni debeant, ac de alijs externis solennitatibus, quæ nullam habent relationem ad cultum Divinum, & ex quibus nihil utilitatis Ecclesijs vel Clericis accedere, ac minui potest, vel pati detrimentum cultus Divinus aut Ecclesia.

5. Vel utrum disponant ejusmodi Principes, aut Magistratus sæculares de his, quæ pertinent ad Clericos, ipsorum cu-

ram & curæ connexa, v. g. ad cultum Divinum, aut ad animarum salutem, sive jam illud fiat directè sive indirectè, puta statuendo de numero missarum, de candelis, de eleemosynis, de oblatione Clericis faciendâ, Clericorum aut Religiosorum numero, qui debeant comitari funus, & similibus.

6. Atque censeo cum eodem *Dianâ*, *Tabienâ. verbo. Excommunicatio*, *Reginaldo*, *tom.* 1. *lib.* 9, *c.* 23. *num.* 360 *aliisq; ab eodem Dian. d. resol.* 65. *citatis*, quantum ad primum distinctionis membrum, hujusmodi statutum ad solam pompam, & solennitatem extrinsecam restringendam factum, à sæculari Principe, omni Jure valere, cùm neque directè neque indirectè contra libertatem Ecclesiasticam tendat, & circa personas & res emanet, quæ de eorum, ut supponitur, Laicorum Principum, vel Magistratuum jurisdictione sunt.

7. Quo ad secundum autem distinctionis membrum. Dico: nullo modo sine excommunicatione certò incurrenda posse ejusmodi statuta condere sæculares, etiam indirectè tantùm utilitatem, vel libertatem Ecclesiasticam, vel personarum Ecclesiasticarum libertatem imminuentia. *allegato Canone.* 15. *Bullæ Cænæ Domini.*

8. Hinc optimè notat *Diana cum citatis. dicta resol.* 65. non valere statutum Laicale moderans cereorum & candelarum numerum solitorum in Ecclesiâ apud funus remanere, ex illo enim impediretur Eleemosyna, & minueretur aliqua utilitas Ecclesiæ, Clericis vel Religiosis proveniens. Idem asserit *Diana* de culcitris, quæ supponi aliquibus in locis corpori defuncti solent, modò solitæ sint remanere penes Ecclesiam, ex quibus, & similibus rebus posteà efficiantur paramenta pro altaribus, vel vestibus sacerdotalibus. Et ita tenet etiam *Sylvester. ibid. cit. verbo. Immunitas.* 5. *num.* 10. *vers. statutum. q.* 2. *Paludanus.* 4. *sent. distin.* 18. *q.* 3. *art.* 3.

9. Neque

9. Neque obest, quod dicunt *Grassius in suis decis. p. 1. lib. 4. c. 18. num. 1. 35. Sousa in bullam Cenæ Domini c. 16. disput. 94. concl. 2.* pro contrariâ sententiâ, ejusmodi ceras, candelas, & culcitras vel pannos, quibus altaria, vel pavimentum insternitur, ordinari ad pompam, & temporalem honorem defuncti. Eo enim ipso quod penes Ecclesiam sint remansura, non tam deserviunt honori defuncti, quam quòd ad Eleemosynam Ecclesiæ, & Clericorum faciant, quæ non potest non indirectè lædi, si ejusmodi statutis hucusque ea adhiberi solita prohibeantur.

10. Neque valet excusatio hujusmodi Principum, dum asserunt: se scientibus, & approbantibus locorum ordinarijs talia statuta condere, aut illis solummodò servanda promulgare, qui suæ jurisdictionis sunt, v. g. Laicis de eorum territorio existentibus.

Nam quo ad primum, etsi communiter teneant DD. *cum Gloss. in. c. 2. de judicijs. ibid. Abbas*, *Decianus in tract. crim. tom. 1. lib. 4. c. 9. num. 70. Barbos. de pot. Episcopi. p. 3. alleg.* 109. *num.* 4 Episcopum causas Clericorum saltem pecuniarias & temporales posse Laico delegare, maximè ut *idem Barbos. ad cit c. 2. de judiciis. ex Marc. Anton. Genuensi in pract. Eccles. q.* 730. advertit, si non adsint Clerici idonei, & non fiat commissio, vel delegatio generalis, facultatem tamen Laicis condendi ejusmodi statuta Episcopi dare non possunt, vel jam condita à sæcularibus approbare.

11. Et hæc sententia est communis, & tenent passim *interpp. in. c Ecclesia. S. Mariæ. de constit.* ibi *Abbas. Felin. Hostiens*, & reliqui DD. per textum expressum in verbo: *Unde statutum Basilij illâ reprobatum potissimâ ratione fuit, quod authoritate Romani Pontificis non fuerit roboratum.* vide etiam *Antonium Burgos in repetitione hujus. c. num* 97. *& seq.* Et quæ tradit *Diana.*

p. 1. tract. 2. resol. 13. ubi etiam allegat *Navarr. in Manuali. c. 27. num. 6.*

12. Quo ad alterum respondeo, licet hoc mantile sæculares passim prætexant statutis, quæ cum gravamine libertatis Ecclesiasticæ procudunt, nihil tamen ex eo juvantur ad conscientiæ levamentum, cum indubitata excommunicatio vibretur, ut paulò superiùs vidimus, in omnes, sive directè, sive indirectè Immunitatem Ecclesiasticam offendant. Et ita notant etiam communiter Interpretes *in c. eos. de Immunit. Ecclesiast. in. 6. cum Gloss. ibid. & c. quanto. de Privileg.* & quæ scribit *Sayrus noster in Excommunic. Bulla. Can. Dom. excom.* 15 & in specie vide *Geminianum, ad dictum. c eos. de Immmunit. Eccles in 6.*

13. Quantum ad secundum dubitationis sextæ membrum attinet, an Princeps supremus possit irritare aliqua juramenta, quæ in certis contractibus apponi solent, ex eo fortè motivo, quod aliàs ratione juramenti tales contractus devolverentur ad Forum Ecclesiasticum. *per. c. fin. de for. compet. in 6.* Respondeo: Licet etiam quo ad hoc membrum aliqui Theologi teneant, ut videre est apud *Dianam p. 1. tr. 2. resol.* 114. per citatum *Molin.* ibidem. *de Iure & Iust. tom. 1. tract. 2. disput. 147. num. 13. Sanchez in Moralib. tom. 1. c 22. num. 10. & 11. Leyman. lib. 4. tract. 3. c. 11. num. 9.* ex eâ maximè ratione à pari sumptâ, quia sicut Ecclesia non potuit directè & immediatè irritare matrimonium clandestinum, quatenus est Sacramentum, cum id facere solius Christi sit, at potuit saltem indirectè, & remotè, destruendo scilicet directè & proximè contractum humanum, quo destructo tanquam fundamento, consequenter destructum maneat, vel priùs non oriatur Sacramentum, ipsi aliàs innitens, tanquam subjecto (sicut idem *Sanchez* latè explicat: de *Matrim. lib. 3. disput. 4. num. 6.*) Ita Princeps sæcularis, licet nequeat sua lege juramentum irritare,

tare, cum sit vinculum spirituale, ejus potestatem excedens, poterit tamen indirectè & remotè, irritando scilicet contractum humanum, antequam ineatur, quô omnino destructô, destruatur, & irritetur consequenter juramentum in ipso fundatum.

14. Hâc tamen ratione alijsque à citatis Theologis noviter, & nullitèr inventis non obstantibus. Censeo *cum cit. Diana. resolut. 66. & resol.* 114. *dicto loc. Mart. de jurisdict. cent.* 1. *p.* 4. *casu.* 72. alijsque ibidem allegatis, contrariam Sententiam veram esse: tum quia neque indirectè sæculares se intromittere possunt disponendo quoad ea, quæ sunt Juris Canonici, vel cavere ne illa, quæ sunt de *Iure SS. Canonum* disposita, locum habeant. Vt taceam, directè eò collimare ejusmodi prohibitiones, & irritationes contractuum à Principibus factas, ne juramenta, quæ aliâs talibus contractibus apponi solent vel possunt, effectum sortiantur. Facit deinde contra hanc Sententiam non unus, sed plures textus Juris Canonici, ex quibus manifestè liquet, quod tametsi supremus Princeps. v. g. Imperator contractum aliquem expressè irritaverit, eò quod in bonum publicum ejus irritationem cedere existimârit, ac propterea juramentum ejus confirmatorium, tanquam contra bonos mores præscitum, infirmaverit, nihilominus tamen eo ipso, quod juramentum appositum esset, SS. Canones ejusmodi contractus, etsi in se nullos, ratione juramenti intervenientis voluerunt sub peccato mortali observari. nam quis nescit, contractum alienandæ dotis vel donationis propter nuptias, à marito factum, cum consensu uxoris, etiam juramento firmatum, de jure Civili esse irritum & nullum, haberique juramentum tanquam contra bonos mores præstitum? per ea, quæ notant Interpretes *in c. licet. de jur. juran. in 6. ubi gloss. & ex recent. Barbos. ibidem. Institut. lib. 2. tit. 8. gloss. ibi in verbo neque*

consentientibus. ubi ad hoc citat L.1.ff. soluto matrim. & L. de die. ff. de pactis dotalib. vide etiam, quæ notatur *in c. quamvis. de pactis in 6. & in suâ relectione, quam ad idem. c. fecit. Covarr. p.1. maximè. §.2. & 4. & p.2. §.2. & 3.* & denique, quæ notantur *in c. cum contingat. extra de jur. juran* ibidem fusè *Abbas Panorm.* Et tamen si juramento vallatus sit ejusmodi contractus, observandum esse, quod SS. Canones statuunt *in cit. c licet. in 6. de jur. jurand.* Sicut idem quo ad pactum de futura Successione obtinet, quod aliàs de jure Civili nullum esse constat. *ex L. pactum dotali. ff. de collat. L. si quando. §.1. Cod. de inoff. testam.*

15. Et sic vides, quam lubrico nitatur fundamento discursus *Sanchezij* & *sequacium*, quos miror ad hos textus *SS. Canonum* non attendisse, cum è diametro pugnent cum ipsorum ratiocinatione. & notat in terminis gloss. *in cit. c. cùm contingat.* sæpe propter periculum animæ potius accessorium considerari, quam principale, ut in propositô contingit.

16. Cæterùm argumentum à pari petitum impræsentiarum, nihil urget: tum quia, licet ab ejusmodi principibus contractus, etiam antequam ineatur, jubeatur esse nullus, notum tamen est ex adductis Canonibus, si juramentum eidem accedat, ratione juramenti servandum esse, tum quia Sacramentum Matrimonij nullatenus oriri, vel subsistere potest, non supposito valore contractûs matrimonialis. Secus est in juramento, quod interponi, & apponi validè etiam contractui de se nulli potest, debetque, ut vidimus observari. Casus est evidens *in c. debitores de jur. jurand.* & quæ ibi not. *Interpp. cum Covarr. in sua relect. ad cit. c. quamvis. p.2. § 3.*

17. Quo ad tertium dubitationis membrum: an Princeps relaxare obligationem ex juramento oriri solitam possit? Respondeo, etsi hoc affirmet, teste *Gutierez. num.46. in repet. Auth. Sacramenta puberum. Cod. si adversus vendit.* Glossa. *in L. finali. ff.*

qui

qui satisdare cogan. L. non dubium. Cod. de legibus. L. finali. Cod. de non numerat. pecu. Iason. plures citans *in ead. L. fin. ff. qui satisd. cogantur.* ex eo maximè motivo, præter alias rationes allegatas à *Iasone. num.*23. quia etiam pars, in cujus favorem præstitum est juramentum, illud relaxare ac remittere potest, ergo à potiori videtur, illud relaxare Princeps posse. *Baldus* ibidem allegatus. *in L. fin. in fine. Cod. de fidejussor.*

18. Contrariam tamen Sententiam putamus esse veram, cum eodem *Iasone. ibid. n.*26. *Gutierez cit. repetit. num.*46. Et ratio secundum eundem *Iasonem* ibidem est, quod ex doctrina *Ioan. Andreæ. in c. tua nobis. ibi.*1. *de decimis*, quem ibi DD. communiter sequi affirmat, quando Leges Civiles statuunt juramentum non esse servandum, illæ sint nullæ, & non valeant, nisi fortè eô in casu, quo juramentum esset contra bonos mores naturales, vel esset nutritivum peccati, ad Laicum enim non pertinet dispositio de spiritualibus. Tum quia secundum decisionem *c. fin. de for. compet. in* 6. *& c. venerabilem. de elect.* juramentum spectat ad Ecclesiam.

19. Tum quia, ubi tractatur de peccato, semper stamus Juri Canonico etiam in foro Civili. *per c. possessor. de re judic. in* 6. *& c final. de præscript. Bartol. in L. Privilegia. Cod. de SS. Ecclesiis.* Tum quia juramenti religio, ad reverentiam & fidem Deo servandam pertinet, ergo per consequens ad Judices, & Prælatos Ecclesiasticos, velut res spiritualis, spectabit ejus declaratio. per text. *in c. Novit. de Iudiciis & c. cum contingat. de jur. jurand.* ut loquitur *Gutierez. dict. loc.*

20. Ratio pro contrariâ Sententiâ adducta nihil urget, facit enim hanc juramenti remissionem pars, in cujus favorem appositum est, Authoritate SS. Canonum, qui volunt ut hanc tacitam conditionem recipiat. Sicut notari ait *Iason. in c. quemadmodum de jur. jurand. & c. tua. de Sponsalib.* Deinde, cum tale jura-

juramentum immediatè apponatur in favorem partis, cui fit tale juramentum, non aliter intelligitur illud acceptare Deus, quàm cum dependentiâ, quasi in conservari, ab obligatione parti per juramentum immediatè quæsitâ, ita ut ad illius remissionem remittatur, ad illius manutentionem manuteneatur. Maximè si vera est doctrina *Iasonis* allegantis *ad hoc Ioan. Andre. in c. statutum. de hæretic. in 6. & Anton. de Butrio. in c.* 1. *de Spons.* quod, etsi partes contrahentes super Sponsalibus & Matrimonio facere possint pacta & Sponsiones. per *text. in c. fin. & toto tit. de condit. appos.* Laici tamen per Statuta disponere super Matrimonijs non possint.

21. Quo ad quartum dubitationis membrum: utrum Laicus Princeps juramentum metu vel vi extortum relaxare possit, censeo breviter, in dubio non posse. per *satis expressum textum in c. venerabilem.* §. *ijdem etiam contra proprium juram. de Elect. & quæ notat Abb. in c. pervenit.* 2. *de jur. jurand. Diana. resol. mor. p. 2. de Immunit. Eccles. resol. 116. Felin. in c. cum sit generale. num. 7. de for. compet. Gutierez cit. repet. num. 160. Azor. tom. 1. lib. 11 c. 9. q. 6. Molin. de jur. & just. tom. 1. tract. 2. disput. 149. vers. aliud accipe.*

22. Quod si tamen notum foret, metu vel vi extortum esse, eatenus relaxari posse existimo cum Abbate. *cit. c. pervenit. de iur. iurand.* quatenus sæcularis Judex illud turpiter recipientem compellere possit, ut remittat obligationem sibi per tale juramentum quæsitam, non ut ille verè & propriè vinculum juramenti etiam illicitè præstiti dissolvat, quod solius judicis Ecclesiastici est.

Adverte tamen, etiam eo in casu, quo taliter Judex quoque Laicus compellere sæcularem sibi subditum ita juramentum turpiter recipientem in negotio aliàs ad forum Laicum spectans potest, judicem etiam Ecclesiasticum se immiscere posse,

posse, quatenus scilicet neglecto judice sæculari jurans Ecclesiasticum adire valet, ut compellat creditorem, remittere hujusmodi juramentum. ita tenent *Abbas. & Diana. cit. loc. & Covarr. var. lib. 1. cap. 4. num. 5.*

23. Quis autem Judex competens ad relaxandum hoc juramentum sit, num Judex rei vel actoris, tradit *Abbas in c. 4. de for. compet. num. 3.* ubi *ex Lapo. allegatione* 10. concludit: quod is, qui juravit solvere usuras, relaxationem juramenti petere à Judice suo (personæ rei scilicet) possit.

COROLLARIUM OCTAVUM.

SUMMARIUM.

Communitas vel Princeps non potest facere statutum, quatenus omnia prædia, quæ subsunt iisdem, perpetuo collectandi onere affecta sint, quocunque transeant, etiamsi ad personas Ecclesiasticas devolvantur. Secundò an hoc onere collectandi, legans fundum Ecclesiæ, eum afficere possit? Tertiò an statutum, ut primogenitus excludat secundò genitum in bonis paternis, & masculi fœminas, constringat etiam Clericos, vel religiosos. num. 1. 2. 3.

Sententia Bartoli qui pro contrariâ Sententia, quantum ad primum membrum hujus corollarij allegatur, communiter rejicitur, & explicatur. n. 4.

Tributa pendi solita, sunt in duplici differentia. n. 5. & 6.

Ratio Baldi pro nostrâ Sententiâ est, quod ejusmodi, statutum fieret in fraudem, & præjudicium Ecclesiast. libertatis. n. 7.

Munus mixtum non potest fingi esse munus merè reale, quia nomina appellativa mutari nequeunt. 8.

Allegatur bona ratio, cur ejusmodi statutum fieri non possit. n. 9. ubi alia adhuc adjiciuntur rationes. eod. num.

Rationes & fundamenta pro secundo membro Corollarij, quare testator hoc non possit; etsi aliàs non prohibeatur certas conditiones Legato etiam Ecclesiæ relicto adjicere. n. 10.

Quo ad tertium Corollarij membrum distinguitur: an Religiosus ad Monasterium, vel Clericus ad Ecclesiam ante conditum ejusmodi statutum, vel post transiverit: primo casu non excluditur, sed bene secundo. Ratio ibid. allegatur. 11.
Practica pro Episcopis observanda, quid agere debeant, quando ejusmodi statutis, consuetudinibus aliisque sanctionibus per Laicos Magistratus violatur Immunitas Ecclesf. n.12. & 13.
In quibus Casibus statuta habeantur ut lædentia Immunitatem Ecclesf. n.14.15.16.17.18.

1.

QVæritur octavò: an Communitas vel Princeps Statutum facere possit, quatenus omnia prædia, quæ sunt in ejusmodi Principis vel Communitatis territorio, perpetuò onere collectandi sint affecta, quocunque tandem transiverint, adeò, ut, etiam ad Ecclesias postmodum aliquod prædium perveniens, hoc onere teneatur, ad hoc fortè exinde impulsi, quod aliàs ejusmodi prædijs ad Ecclesias plenâ Immunitate migrantibus, Laici residuorum prædiorum possessores, ibi locorum minus ferendo oneri collectandi sint futuri.

2. Secundò: annon saltem testator legans ejusmodi fundum Ecclesiæ, cum hoc onere afficere possit.

3. Tertiò: num statutum,, ut primogenitus excludat secundo genitum in bonis paternis, & masculi fœminas, constringat etiam Clericos vel Religiosos de quibus fusè *Felin. in c. Ecclesia S. Maria. de constit.*

stit. a. num. 76. cum citatis. ibidem. Azor. tom. 1. lib. 5. c. 13. q. 1. 2. & 8. vers. item solent esse.

4. Quantùm ad primum quæstionis membrum attinet, etsi *Bartol. in L. rescripto. § sciendum. vers. sed quaro. ff. de munerib. & honor.* Sententiam affirmativam teneat, contraria tamen Sententia communiter recepta est, & tenenda. Fundamenta *Bartoli. ad cit. Legem* si rectè examinentur, solùm concludunt, quo ad prædia tributaria, quando scilicet onera sunt annexa rebus, antequam venirent ad Ecclesiam. De quibus neque nos dubitamus, cum de hoc quoque secundum SS. Canones ita sit dispositum *c. si tributum* 11. *q. 1. c. magnum. eadem causa & quæstione. c. tributum. 23. p. 8.* transit enim res cum suo onere. *c. cum non sit. c. pastoralis. de decimis. c. ex litteris. de pignor. L. alienatio. ff. de contrah. empt. & L. si divina. Cod. de exaction. tribut. lib. 10.*

5. Aliud enim tributum vel onus est, quod simpliciter rebus impositum esse dignoscitur, certum & invariabile, ut si alicujus loci territorialis quælibet possessio vel fundus ab immemoriali tempore obligatus sit, quotannis certam, & stabilem pensionem exsolvere, & tunc ejusmodi fundum ad Clericos transeuntem idem onus secum trahere in Ecclesiam dicimus.

6. Aliud verò tributum, pensio, vel onus est, quod personis, vel rebus tantum, aut respectu utriusque quidem imponitur, non tamen certum & invariabile. Vt si Respublica statuat, quatenus omnis possessio, ad quemcunque devenerit, obligata sit ad solutionem pensionis annuæ, pro ut Respublica, vel Populus contributiones solvi decreverit. Et hoc secundo casu non putamus, fundos vel dictas possessiones ad Ecclesias transeuntes ejusmodi collectis, & contributionibus subijci. Tales enim collectæ non inhærent rei ab immemoriali, sed im-

L.si Publicanus. ff. de public. ubi rectè sic etiam infert: aut tale Statutum facit expressam mentionem casûs, quo prædium perveniret ad Ecclesias & clarum est, quod non liget. *per Auth. cassa. Cod. de SS. Eccles.* aut loquitur generaliter, & tunc tale Statutum tanquam odiosum non comprehendit Ecclesiam. Sicut etiam in superioribus advertimus. *per L. Lucius. §. penult. ff. ad municipal.* vide etiam *Cardinalem. in repet. c. perpendimus. vers. venio ad tertium. de Sent. excom.*

10. Quo ad secundum quæstionis membrum, Dico: neque hîc videri testatorem tali onere fundum in Ecclesiam transferendum efficaciter obligare posse; Ex rationibus pro primô membrô hujus quæstionis allegatis. Etsi enim quivis privatus res suas Ecclesiæ donans, adjicere conditiones, & onera possit, teneaturque Ecclesia illa observare. Per ea quæ notantur. *in. c. verum de condit. appos.* solummodò tamen hoc intelligimus procedere, quando conditio & onus contra SS. Canones, & Libertatem Ecclesiasticam non sunt, sicut essent in proposito, cum collectatio Ecclesiæ, quo ad hos fundos, quæ post talem donationem fieri secundum contrariæ sententiæ authores potest, subjiceret Ecclesiam Laicis, quod fieri non potest; cum collectæ, sicut paulò antè vidimus, variabiles & incertæ, quæ imponuntur tum ratione personæ, tum propter bona, imponantur solummodò subjectis.

Et si hoc Princeps, vel omnes populi certi alicujus loci facere non possunt, ut transeant eorum prædia simpliciter, & in genere obligata, cum tali onere, ea indefinitè collectandi, in quosvis possessores; quomodo homo privatus expresse mentionem faciens Ecclesiæ inposterum quasi personaliter Laicis obligandæ, ratione factæ donationis hoc poterit? & sanè aliud est, pensionem sibi, vel alijs ex tali fundo præstandam reservare, aliud subjectioni Laicorum (quod fieret

in ejusmodi Jure collectandi reservato, Magistratui sæculari) subjicere.

11. Quantùm ad tertium Quæstionis membrum: communiter distinguunt, sicut videre est per *Abbatem in. c. quod Clericis. de for. compet. vers. & faciunt hac. Paulus de castro. cons. 335. quod incipit. in Christi. teste Felin. ubi supra. num. 77.* an Religiosus vel Clericus ad monasterium, vel Ecclesiam transiverit ante conditum ejusmodi statutum, vel pòst? si primum? non excludatur, secus si secundum, tunc enim comprehendere illum potuit Statutum, tanquam personam adhuc subjectam sibi, & obligabilem. vid. etiam *Azor. tom. 1. lib. 5. q. 8. vers. item solent. cit.*

12. Nota denique auctarij loco practicam cum *Felin. cit. c. Ecclesia. S. Mariæ, de constit. a. num. 107. & Diana p. 3. tract. 1. de Immunit. Eccles. resol. 69.* Quid agere debeant Episcopi, casu, quo Clericorum Immunitas ejusmodi statutis, consuetudinibus, alijsque sanctionibus violatur.

13. Primò itaque attendendum erit, quoties eduntur à Laicis statuta, num dubium sit, an illa Libertati Ecclesiasticæ adversentur, aut manifestum existat, quod ea Immunitati Ecclesiarum repugnent. Si dubium est? cogere debebunt Episcopi hujus Statuti conditorem, si quidem possint, quatenus expressè declaret, tali statuto Clericos non comprehendi. Si verò manifestum: ocyus mandabunt Legislatoribus, ut ejusmodi constitutiones omnino tollant, quod si facere renuerint, ipsi Episcopi propriâ authoritate illas abrogabunt: tale statutum vel Legem desuper latam, irritam ac nullam declarando.

14. Et scias, quantùm ad materiam statutorum attinet, velut in compendio, primò, toties statuta Laicorũ fore contra Immunitatem Ecclesiast. quoties vel Ecclesia vel persona Ecclesiastica prohibetur, aut impeditur uti rebus, vel facultati-

bus

bus de Jure communi sibi concessis. per *tex. in. c. fin. de Immunit. Eccles. in. 6. & ea, quæ not. Felin. in. c. Ecclesia. S. Mariæ. num.* III.

15. Secundò, quoties minuuntur, vel prorsus tolluntur Privilegia Ecclesijs, vel Ecclesiasticis personis concessa à Deo, Summis Pontificibus, aut alijs Principibus sæcularibus. ita *Cynus & Salicetus in authent. cassa & irrita. Abbas. in. c. novit de judicijs. num.* 2. *Alexand. lib.* 1. *consl.* 209. *num.* 3.

16. Tertiò, quoties ex promulgatione ejusmodi statutorum Ecclesiasticæ personæ fiunt timidiores. Canonistæ communiter *in. c. Ecclesia. S. Mariæ. Angelus de Perusio in L.* 1. §. *quæ oneranda. ff. quarum rerum. Thuscus tom.* 5. *conclus.* 342. *num.* 39.

17. Quartò, quoties vigore statuti Clerici efficerentur deterioris conditionis, quam Laici. teste. *Felin. sæpe cit. c. Ecclesia. S. Mariæ. num.* III. *Zabarell. in c. pervenit. de Immunit. num.* 13. *& probatur ex. c. quanto. de Privileg. & c. fin. de Immunit. in.* 6.

18. Quintò, quoties per ejusmodi statuta Ecclesijs, & Ecclesiasticis personis affertur incommodum, etiamsi id tantum indirectè contingat, non faciendo etiam specialem mentionem de Clericis. *Felin. ubi supra. num.* 69. *& num.* 104. *& eruitur ex text. c. quanto. de Privileg.*

COROLLARIVM. NONVM.

SVMMARIVM.

Leges & Principes, utut executores Concilij Trident. sint, tamen non possunt ad illud observandum jurisdictionaliter compellere Clericos. num. 1. *&* 2.

Quid agendum principibus, qui solliciti sunt pro Cleri reformatione? n. 3.

Neque possunt Principes sæculares jurisdictionaliter personas Ecclesiast. ob bonum etiam publicum, vel propter emolumentum ipsarum

rum Ecclesiarum convocare & compellere invitos. n. 4.
Possunt tamen eosdem ut Status Provinciæ, vel regni, allegantur rationes ibid. n. 5.

I.

QUæritur nono, cum Reges, & Principes executores Concilij Trident. sint, an ad illud observandum Clericos compellere possint? Deinde an habeant Jus convocandi, & invitos compellendi Episcopos, aliosvè Clericos propter negotium aliquod Reipublicæ, vel ob bonum ipsarum Ecclesiarum?

2. Et quantùm ad primum breviter respondeo: cùm noti Juris sit, & jam sæpissimè in præcedentibus ex SS. Canonibus demonstratum, Laicis nullam competere jurisdictionem in Clericos, Jure Divino ab illorum subjectione exemptos, illos ad S. Concilij Trident. observationem jurisdictionaliter compellere non posse. quod autem dicantur, executores Concilij, intelligendum venit, quo ad eas personas, quæ Regibus vel Principibus subditæ sunt, quas, non dubitamus, attinere etiam pœnis posse ad observationem Consilij, suo in territorio. & ita nobiscum sentit *Lottherius. de re benef. tom.* 1. *lib.* 1. *q.* 11. *num.* 81.

3. Hoc non negârim, si eô Zelô ferantur Principes monere, & hotari Episcopos posse, ut Clericos sibi subditos ad servanda Concilij statuta adigant, imò etiam Pontificem desuper monere, qui libenter pijs eorum desiderijs collaborabit: cum passim nota sint exempla missorum ad hoc Legatorum in provincias, pro Cleri reformatione, ad instantiam Principum à Sede Apostolica.

4. Quantum ad secundum: ex eodem defectu & carentiâ

tiâ jurisdictionis in Clericos, & personas Ecclesiasticas, dicimus, æquè parum Reges ac Principes eos jurisdictionaliter convocare posse, saltem ut personas Ecclesiasticas, cùm parere, tanquam exempti de Jure Divino, necesse non habeant. Quin autem ut proceres regni, ut status provinciæ, ut vasallos regni vel imperij possint Reges vel Imperator illos ad comitia regni & imperij (ut passim usitatum est per regna & provincias) evocare, nullus dubito, tum quia id laudabili consuetudine citra hominum memoriam ita firmatum est, accedente scientia, & consensu Summi Pontificis, ut patet ex tot diætis imperij, & Conventibus provinciarum annuis: tum quia eâ conditione saltem interpretativâ, & tacitâ in status ac proceres provinciæ cooptantur, ac eliguntur, ac ob id bona & feuda nanciscuntur: ut provinciam, regnum, vel imperium ope, operâ, & consilio adjuvare teneantur, suadente id Jure, & æquitate naturali: tum quia, ut sic, cum sub respectu merè politico, & civili veniant, & ut membra politica Reipublicæ considerentur, sicut Suarez argumentatur, sanè non inconveniens erit, ut Principi, Regi, vel Imperatori, tanquam Capiti, aliqua pro bono communi imperanti quadantenùs obsequantur. Turpis enim est omnis pars non concordans suo toti. Ultimò, quia hoc non est indecorum statui Eccles. sed magis honorificum, cum potiùs invitentur pro sua dignitate clericali, quam quòd compellantur. Qui contrarium tenent, ut sunt plures *allegati à Diana. p. 3. tract. 1. de Immunit. resol.* 27. *&* *p.* 1. *tract.* 2. *resol.* 17. intelligendi sunt, quod loquantur de Clericis & Episcopis, præcisè ut tales sunt, non quatenus respectu feudorum, aut bonorum, quæ ut Status Imperij, vel Provinciæ possident, & sub respectu merè civili & politico considerantur, sub quo quasi authoritativè convocari posse diximus: præcisè enim ut personas Ecclesiasticas consideratos,

cum cessent rationes & motiva superiùs adducta, nemo nescit, Laicorum jurisdictioni non subjacere; consequenter authoritativè à sæculari Principe citari, vel vocari non posse, & vel maximè nolentes compelli.

COROLLARIVM DECIMVM.

SVMMARIVM.

Leges amortizationis sunt contra Immunitatem Ecclesiast. n. 1.
Carolus 2. Rex Siciliæ hanc Legem tanquam iniquam sustulit. n. 2.
Ratio decisionis. num. 3.

1.

EX dictis paulo superiùs, etiam intelligis, quid de legibus amortizationis, quod decimò quæri poterat, sentiendum sit, quatenus scilicet bona immobilia in personas Ecclesiasticas transferri non possint, absque Principis licentiâ, & certâ pecuniâ solutâ: pugnant enim luculenter contra libertatem Ecclesiasticam.

2. Et propterea bene advertit *Cockier in vindic. libert. Eccles. p. 1. c. 11. num. 6.* Carolum Regem Siciliæ Jure merito conscientiâ ductum, ejusmodi legem, quæ in regno vigebat, revocâsse.

3. Et ratio manifesta est, quia Constantinus Magnus, ut supra etiam memoravimus, liberum cuique decedenti è vita Jus esse voluit, Ecclesijs, quæ vellet, relinquendi, ut patet ex *L. 1. Cod. de. SS. Ecclesijs. & tenet ibidem Barthol. Alexand. Iason. & alij. vid. & c. fin. de Immunit. Eccles. in 6.* & quæ tradit *Diana p. 4. tract. 2. de Immunit. resol. 57. & 3. p. tract. 1. eod. tit. resol. 14. & p. 1. tract. 2. resol. 104. eod. tit. de Immunit.*

APPEN-

APPENDIX AD COROLLARIUM NONUM.

SUMMARIUM.

Utrum ejusmodi Episcopi vel Clerici evocati à Principe vel Imperatore, si diu absfuturi sint, excusentur à residentiâ: item qui obeunt officium Præsidentis, Camerarij &c. in Curia principis? n.1.

Ratio dubitandi est, quia residentia est juris Divini in beneficijs curatis. num.2.

Responsio ad rationem dubitandi. num.4. & resolutio quæstionis. num.3.

I.

SEd quid si eiusmodi Episcopi, vel Clerici justè evocati ad tractanda imperij, vel regni negotia, ut. q. 9. vidimus, diu absfuturi sint, num excusabuntur à residentia? sicut & illi, qui obeunt officium Præsidentis, vel Cancellarij, vel aliud munus in Curia Principis?

2. Ratio dubitandi est, quod residentia sit Juris Divini, ut cum communi sententiâ docet *Lessius lib.* 1. *c.* 34. *dub.* 29. *num.* 153. *Azor. tom.* 2. *lib.* 7. *c.* 441. *Tanner. in S. Thom.* 2.2. *q.* 6. *disp.* 4. *dub.* 7. *num.* 181. ergo excusari non posse videntur.

3. Respondeo tamen, videri excusandos esse ejusmodi Episcopos, & Clericos, qui vi suorum feudorum, vel bonorum tenentur interesse diætis imperij, vel comitijs provinciæ. Alios, qui ad officia, ut diximus, Præsidentis, vel Cancellarij, vel aliud munus, præsertim suâ sponte destinantur, aliter excusationem à residentiâ non habituros existimamus in conscientia, nisi ea hominum penuria sit, ut alij habiles Laici non suppetant, qui ijsdem officijs, eâdem dignitate, usu, utilitate, & valore præesse possint. Ratio pro ijs, quos primô membrô

hujus dubij retulimus, desumitur ex *Concil. Trident. sess. 23. c. 1. de reform.* ubi excusandos ait Episcopos à residentiâ, si quidem absentia inciderit propter aliquod munus, & Reipublicæ officium Episcopatibus adjunctum, ut loquitur concilium, refertque inter causas legitimè excusantes à residendo: Christianam charitatem, urgentem necessitatem, debitam obedientiam, ac evidentem Ecclesiæ, vel Reipublicæ utilitatem, quâ hâc ultimâ suffulti causâ Clerici, qui in secundo membro hujus dubij tanquam officiales Principum afferuntur, excusari à residendo posse videntur, attentâ semper limitatione, quam suprà addidimus. vide quæ notat ad propositum. *Diana p. 3. tract. 3. de Immunit. resol. 5. Barbos. de pot. Episc. p. 3. alleg. 53. num. 37.* Ex quibus incidenter colligis, hæc eodem motivô sufficientia videri, quare sine læsione Immunitatis convocari posse superiùs diximus Clericos.

4. Ad rationem dubitandi respondemus, tametsi omnino verum sit, residentiam secundum theses suas generales esse juris divini, quin tamen in casu aliquo particulari eam Pontifex, ut Vicarius Christi in terris, limitare vel declarare possit ex causâ rationabili, quod hic & nunc non obliget, non videmus, quomodo prudenter negari possit. Sicut idem de Immunitate Ecclesiastica Clericis de jure Divino in genere competente, limitatâ quo ad casus aliquos particulares à Pontifice, suprà satis fusè demonstravimus. Vt adeò obligatio residendi de jure Divino in genere, obstare non debeat, quin in particulari casu, accedente super hoc Pontificis declaratione, excusari Episcopos, aliosvé Clericos à residendo dicamus.

COROLLARIVM XI.

SVMMARIVM.

Primò, an sæculares statuere possint, ut beneficia non conferantur nisi iis, qui ex eadem Provincia nati sunt. Secundo, an ijdem compellere

lere Clericos possint ad reparandas Ecclesias vel domos Parochiales. Tertiò, an Magistratus Laici subditum in casu, quo habet licentiam laborandi die festo ab Episcopo, sub prætextu suæ quoq; prohibitionis, quam de non laborando diebus festis fecerant, punire possint, eò quòd non petiverit eandem licentiam laborandi Laicus ab ipsis. n. 1. 2. & 3.

Respondetur ad primum negativè, ubi etiam traditur responsio, quod obijci poterat de consuetudine Galliæ, aliarumq; Provinciarum. num. 4. & 5.

Ad secundum responsio queq; negativa est, ob defectum Iurisdictionis Laicorum in Clericos. num. 6. & 7.

Diluitur objectio adversariorum. num. 8.

Non minus ad tertium negativè respondetur. n. 9.

Allegatur pro decisione declaratio Cardinalium. 10.

1.

QVæritur undecimò: an Princeps, vel Magistratus sæcularis statuere possint, ne beneficia in sua ditione vel terra existentia alijs conferantur, quam conterraneis, vel ibidem natis?

2. Deindè, an compellere possint Clericos suæ Provinciæ ad reparandas Ecclesias?

3. Tertiò, an Laicũ, etiam casu quo habet licentiam laborandi diebus festis ab Episcopo, sub prætextu suæ quoque prohibitionis, quam de non laborando diebus festivis fecerant, punire possint, eò quod eandem licentiam laborandi Laicus ab ipsis non petiverit?

4. Quantum ad primum, etsi non nesciam, aliquando Suevum patriâ in Tyroli ab beneficij adeptione, etsi aliàs maximè habilem exclusum esse, quod illos inter montes natum Mater non effuderit, quia tamen SS. Canones indifferenter idoneos

ad beneficia admittunt, ut passim videre est. *in tit. de prabend. & aliis locis.* meritò contrarium docuit *Tamburinus noster. de iur. Abb. tom.1. disput.15. q.19. num.21. Barbos. ad decretali. tom.1. lib.3. tit.5. c.4. Reginald. in praxi tom.2. lib.30. tract.3. c.* 11. *num.*160. *Bonac. de Legib. disp.*10. *q.2. pun.*1. §.1. *num.*13. *Azor. p.*1. *lib.5. c.*14. *q.* 3.

5. Quod si contrarium practicari in regno *Portugallia, Castella, Navarra, Aragonia*, & in regno *Francia* obijcias, dicimus illud Privilegijs Summorum Pontificum imputandum esse, ut not. *Barbos. cit. loc.* Si tamen ex causa rationabili aliquis exterorum repellendus videretur, difficiles Episcopi, causâ cognitâ, non deberent esse, & gratificari Principi, vel communitati. quamvis putem, neque Episcopos contrarium statuere posse, videlicet, de non admittendis exteris ad beneficia in suo territorio, cùm hoc sit contra SS. Canones, quibus illi parere debent, non derogare, nisi valdè urgens causa aliud statuendum suaderet.

5. Quantum ad secundum, etsi *Cavallos in suo tract. de cognit. per viam viol. p. 2. q. 99. num.* 12. & alij, præsertim Hispani, doceant: Principem Clericos authoritativè compellere ad refectionem Ecclesiarum posse, eò quòd sint protectores Ecclesiarum, earum advocati, & executores Concilij Trident.

6. Hâc tamen ratione nihil obstante, vel urgente, contrarium decidimus cum *Lotther. de re benef. lib.* 1. *q.* 11. *num.* 81. *Marta. de jurisd. p.* 2. *c.* 48. *a. num.* 15. *Diana. p.* 3. *tract.* 1. *de Immunit. resol.* 8.

7. Ratio manifesta est, quia non habent jurisdictionem in Clericos, utpote de Jure Divino ab illorum subjectione, & potestate exemptos; possunt tamen, ut advocati Ecclesiarum, instare apud locorum ordinarios, ut ad hoc faciendum Clerici adigantur, & si contrarium de facto attentare vellent, excommuni-

municatio de Jure lata in violatores Immunitatis Ecclesiasticæ vibranda foret in transgressores.

8. Ratio pro contrariâ sententiâ allata, nulla est, & meritò frigida appellatur à Diana, quia nulla est consequentia: sunt advocati & protectores Ecclesiarum, ergo habent jurisdictionem in Clericos, agnoverunt enim Principes pridem sacri Canones pro advocatis & protectoribus Ecclesiarum, non minus tamen negârunt ijsdem jurisdictionem in Clericos. Quo sensu autem sint executores Concilij Trident. *q.9.* elucidavimus.

9. Quantum ad tertium: etiam negativè respondemus, fulti expressâ determinatione SS. Congregationis Cardinalium, allegatâ à *Diana. p. 4. tract. 1. de Immunit. res.* 94. his verbis: *cum officiales Curiæ sæcularis Mutinæ prætendant, neminem posse in diebus festis vacare operibus servilibus, etiam de licentiâ Episcopi, nisi eorum quoque licentiam obtineat, & laborantes absque eorum licentiâ incidere in pœnas ab eis contra non observantes dies festos statutas, Episcopus petit, ut declaretur, ad quem spectet hujusmodi licentiam concedere, &, an si ipse præviâ necessitatis approbatione aliquibus illam concesserit, possint prædicti officiales eos punire*: Sacra Congregatio Cardinalium Concilij Trident. interpretum censuit: *hujusmodi licentiam concedendi juxta. SS. Canonum præscriptum ad Episcopos tantùm pertinere, non autem ad ministros sæculares, atque eos, qui diebus festis præviâ Episcopi licentiâ oneribus servilibus vacaverint, nequaquam posse à Iudicibus Laicis quoquo modo multari, aut puniri.* Robertus Cardin, Vbaldinus.

COROLLARIVM XII.

SVMMARIVM.

An Principes sæculares possint Leges condere circa matrimonium? deinde quis sit Iudex competens in causis Sponsaliorum? Et an ad Eccle-

Ecclesiasticum vel potiùs Iudicem Laicum spectet, pendente lite super matrimonio vel sponsalibus, sequestrare puellam causâ explorandi ejus voluntatem? Vltimo an sæcularis sit saltem Iudex competens, quando agitur super possessorio matrimonij. n. 1.2.3.4.

Quantùm ad substantiam matrimonij neque directè neque indirectè Principes Laici possunt Leges vel Statuta condere. num. 5. allegatur ratio decisionis. ibidem.

Principes sæculares non possunt certas personas inhabilitare ad contrahendum matrimonium, vel irritare hôc vel illô modô contractum aut contrahendum, neque libertatem illud ineundi quoquo modô vel pœnâ impedire, dummodo tamen libertas illa honesta sit & rationabilis. eod. num. 5.

Lex civilis, vel Statutum, quo cavetur matrimonium sine parentum consensu initum, esse irritum, est nulla. num. 6.

Statutum privans dote filiam nubentem persona vili contra voluntatem parentum cum dedecore familiæ, aliisq; incommodis inde nascituris, non videtur damnandum. num. 7.

Possunt Principes Laici circa accidentalia matrimonij facere Statuta, v. g. circa dotem, lucrum dotis, donationem inter virum & uxorem, pompa nuptialis, & sumptuum moderationem. num. 8.

Tantum Iudex Ecclesiast. est competens in causis sponsaliorum, si quidem de eorum validitate quæstio sit, quod si notorium sit, sponsalia valere, etiam sæcularis Iudex compellere ad ea servanda contrahentes potest. num. 9.

Eôdem modô tantum Iudex Ecclesiast. potest sequestrare puellam ad explorandam ipsius voluntatem, constituendo in locô tutô. num. 10.

Sicut etiam solùm Iudicem Ecclesiasticum competentem esse super possessorio matrimonij, secundum exemplum hoc num. 11. allegatum, dicimus.

Limitatur quo ad casum, quô est periculum in morâ. n. 12 & quomodo se intromittere tunc Iudex Laicus possit ibid. allegantur eodem num. rationes pro præsenti limitatione.

1.

QUæritur duodecimò, an Principes sæculares possint leges condere circà matrimonium.

2. Se-

2. Secundò, quis ſit Judex competens in cauſis ſponſaliorum.

3. Tertiò, an ad Eccleſiaſticum, vel potiùs ſæcularem ſpectet, pendente lite ſuper mattimonio, vel ſponſalibus, ſequeſtrare puellam, causâ explorandi ejus voluntatem.

4 Quartò, an Laicus ſit ſaltem Judex competens, quando agitur ſuper poſſeſſorio matrimonij.

5. Quantum ad primum, cenſeo cum *Pontio. de matrimonio. lib. 7. c. 2. num. 3.* quo ad ſubſtantiam matrimonij neque directè neque indirectè Principes ſæculares poſſe Leges vel Statuta condere, ipſum matrimonium concernentia: & ratio eſt, quia tametſi materia matrimonij ut Sacramentum eſt, ſit contractus, conſequenter ut ſic, videatur ſubjacere jurisdictioni & diſpoſitioni Principum Laicorum, quia tamen matrimonij materia à Chriſto ſacra facta vel declarata eſt, in eſſe Sacramenti jam extra jurisdictionem ſæcularem conſtituta exiſtit, & eſt de diſpoſitione Eccleſiæ, & Eccleſiaſticorum, conſequenter hodie certas perſonas inhabilitare ad contrahendum non poſſent, vel quibuſvis Legibus, & ſtatutis irritare hôc, vel illô modô initum, vel contrahendum matrimonium. Imò neque libertatem contrahendi, modo illa honeſta ſit & rationabilis, quoquô modô vel pœnâ impedire, per ea, quæ notantur in *Trident. ſeſſ. 24. c. 1. de reform. matrim.* & ibi in *remiſſion. littera T.* per citatos Authores, maximè *Barboſ. ibid.* & quæ ſcribit *Azor cum allegatis à ſe tom. 2. lib. 2. c. 2. q. 6. & ſequentib.* Quod adeò verum eſt, ut *Trident. ead. ſeſſ. c. 9.* Magiſtratus, qui, ſive directè ſive indirectè, ſubditos ſuos minis vel pœnis

cogunt ad certa matrimonia, cum certis personis contrahenda, ipso facto jubeat esse excommunicatos. Interim tamen non damnarem legem, vel consuetudinem, aut statutum, quibus cavetur, ne filij vel filiæ, præsertim si adhuc minorennes existant, inconsultis parentibus ad matrimonia ineunda convolent, cum hoc videatur admodum conveniens rationi, & honori, ac obedientiæ parentum, quam ijsdem debent, cum hoc non sit contra libertatem, quam habent de jure SS. Canonum filij familias, quia illa debet esse rationabilis & honesta, ut diximus.

6. Quamvis si lege caveretur, ut inita sine consensu parentum matrimonia quoque nulla forent, sine dubio non valeret ejusmodi Lex vel Statutum laicale, utpote contra expressam constitutionem Tridentini. *dicto loco.* idipsum prohibentis.

7. De Statutis, quæ filios vel filias sine consensu parentum matrimonium contrahentes dote vel hereditate privant, sentio eatenus ea sustineri posse, quatenus locum habeant in casu, quo vili vel abjectæ personæ contra voluntatem parentum jungerentur cum præjudicio, vilipensione, & multis incommodis parentum & familiæ, si quidem nobiles personæ sint, cùm ejusmodi Statuta pœnalia non sint contra libertatem matrimonij honestam & rationabilem, quâ solâ videntur SS. Canones voluisse esse libera matrimonia, sed solùm compescant impetum fatui amoris, quo filij & filiæ rapiuntur aliquando in ejusmodi viles & abjectas personas: & hoc, si non vi ipsorum Statutorum, saltem ex æquitate naturali, quæ hoc dictet. vide *cum citatis Azorium ubi suprà. q. 7. 8. & 9.* quod si igitur filius, vel filia contra voluntatem parentum matrimonium quidem contraxerit, sed non cum indigno & abjecto, etsi inferioris conditionis, quod maximè in filia procedit, non

non video, quare vi Statuti dote, vel hereditate privari possit, modo aliàs servet ea, quæ SS. Canones, & Jura Ecclesiæ præscribunt: cum eo in casu non veniat contra libertatem honestam & rationabilem, quam SS. Canones requirunt, saltem ut licitè, & sine periculo pœnæ incurrendæ contrahant; putarem enim etiam cum abjectâ vel vili contrahentes, etsi dote vel hereditate mulctari possint, nihilominus validum contracturos matrimomium, cum ejusmodi matrimonia de Jure Canonico nullibi irritentur. *vid. Covarr. in. 4. decretal. de matrim. p. 2. c. 3. §. 8. num. 5. & 6. & alios cit. ab eodem Azor.* & quæ scribit *Sanchez de matrim. lib. 3. disput. 47. Molin. de Iure & Iust. tract. 2. disput. 176. vers. dubium. Coninck. de Sacram. tom. 2. disput. 28. num. 48. & seq. Reginal. in praxi lib. 19. num. 19. vers. quod verò attinet. Dianam. p. 1. tract. 2. de Immun. resol. 75.*

8. Quod autem statuere Principes possint quo ad accidentalia & accessoria contractûs matrimonialis, & quæ directè vel indirectè non pertinent ad ejus substantiam, neque ex se impediunt principale, v. g. circa dotem, lucrum dotis, donationem inter virum & uxorem, sponsalitiam largitatem, pompæ nuptialis, & sumptuum moderationem, ac similia: indubium est, cùm hæc non concernant essentialia matrimonij. Et ita tenet *Pontius cum communi, & Diana cum eodem p. 1. tract. 2. de Immunit. resol.* 128.

9. Quantùm ad secundum dico: Judicem Ecclesiasticum solum esse competentem in causis sponsaliorum, si quidem de valore eorundem quæstio sit, est enim hæc materia secundum SS. Canones terminanda, & examinanda, ut patet ex *toto titulo. de sponsalib.* hoc non negaverim cum *Sanchez dicto loc. disput. 29. num. 9.* si notorium sit, sponsalia valere, etiam sæcularem Judicem ad ea servanda contrahentes compellere posse. vide etiam *Abbat. in. c. ex litteris. il. 2. de sponsal. num. 4.*

10. Quantùm ad tertium : Dico pariter solius Judicis Ecclesiastici esse, tunc ad explorandam puellæ voluntatem eandem sequestrare, constituendo in locô tutô. Et ratio manifesta est, quia solius Episcopi est, judicare de libertate consensûs puellæ, ergo ejusdem erit judicare de loco tuto, per quem pervenitur ad dictam libertatem consensus, per regulam. *L. rem mobilem L. ad Legatum. ff. de procur.* & ita in facti contingentia evenisse Mediolani testatur *Riccius in praxi tom.* 1. *resol.* 216. *num.* 3. adstipulante *Diana. p.* 1. *tract.* 2. *de Immunit. resolut.* 132.

11. Quantùm ad quartum, insistendo ijs, quæ superiùs hàc disput. de Privilegio Clericorum in causâ possessoriâ satis fusè diximus, sentio, quoque hoc casu, sæcularem immiscere se non posse, consequenter, si vir innititur possessione adversus mulierem, quæ propriâ authoritate divertit, vel è contrà, Judicis Ecclesiastici erit, de hoc cognoscere. Et ratio breviter est, quod causa matrimonialis possessoria admixtam habeat causam spiritualitatis simul & titulum, atqui causa possessoria rerum Ecclesiasticarum, quoties per titulum justificari debet, per Laicum cognosci non potest, consequenter neque possessoria matrimonialis. Et ita in terminis docet *Franciscus Molinus. in suo tract. de ritu nuptiar. lib.* 2. *differ.* 10. *num.* 19. *& seq.* ut testatur *Diana*, eundem secutus. *cit. p.* 1. *tract.* 2. *resol.* 56.

12. Putarem tamen in casu, quo subito, & ex improviso diverteret mulier à viro, eum implorare officium Judicis etiam Laici posse, quatenus interim mulierem, quæ suâ maritum possessione quietâ matrimonij, in quâ erat, privavit, ad cohabitandum compellat, usque dum, re mox ad Episcopum delatâ, is pleniùs de hoc cognoscat.

Et

Et moveor, tum quia periculum in morâ eſt, ob multa inconvenientia, quæ interim accidere poſſent, & frequenter Epiſcopi in noſtris partibus remotiores ſunt, quam ut ſtatim adirì valeant. Tum quia hic ſolum poſſeſſorium momentaneum controvertitur, tum quia, non fit reſtitutio per modum cognitionis juſtificandæ per titulum ſpiritualem, & ſolùm quæritur: an maritus fuerit in poſſeſſione matrimonij pacificâ, quod in ſe meri facti eſt, & nihil ſpiritualitatis involvit.

COROLLARIVM DECIMVM TERTIVM.

SVMMARIVM.

Primò, an Laicus ſaltem in causâ poſſeſſoriâ decimarum Iudex eſſe pòſſit? ſecundò, quid dicendum, quando decima in feudum ab Eccleſia vel Summo Pontifice Laicis conceſſa ſunt, vel alio ſimili modô illis aquiſita? Tertiò, an non ſaltem tunc ſe intromittere judicando Laicus poſſit in causâ decimarum, quando illa petuntur à Clericis, conveniendo perſonas ſæculares, quæ ſe defendunt ex titulo præſcriptionis vel conſuetudinis immemorialis, quâ fulti nunquam ſe ſoluiſſe contendunt. n. 1. 2. & 3.

Quoties in causâ decimarum ſuper poſſeſſorio lis eſt, ita ut poſſeſſorium titulo ſpiritualitatis inſtituendum ſit, ſolus Eccleſiaſticus eſt competens Iudex. n. 4.

Quando controvertitur circa decimas mera quæſtio facti, ut in exemplis allegatis apparet, multi tenent, etiam Laicum judicare poſſe. n. 5.

Contrarium deciditur n. 6. in caſu, quo dominium decimarum ſaltem directum ad Eccleſiam pertinet. vide ibidem unam limitationem Tanneri explicatam. num. 7.

Reſolvitur ſecunda quæſtio ſuperiùs propoſita, ita ut etiam hoc caſu Iudicis Eccleſiaſtici ſit cognitio. n. 8. cum rationibus pro hâc deciſione adductis. ibidem.

Idem dicendum eſt, quo ad tertiam quæſtionem paulo ſuperiùs n. 3. formatam. num. 9. & aſſignatur ratio decidendi. eodem. n. 9.

1.

QUæritur decimo tertiò: cum certum ſit de Jure SS. Canonum, ſolius Judicis Eccleſiaſtici cognitionem eſſe, quoties ſuper ipſo Jure decimarum tanquam re ſpirituali, lis agitur, an in causâ quoque poſſeſſoriâ decimarum neceſſariò ad Eccleſiaſticum recurrendum ſit.

2. Secundò, quid dicendum, quoties decimæ in feudum ab Eccleſia vel Summo Pontifice Laicis conceſſæ ſunt, vel alio ſimili titulo à Sede Apoſtolica aquiſitæ, v. g. ob benemerita in Eccleſiam, ex titulo remunerationis, permutationis, compenſationis, &c.

3. Tertiò, an tunc fortè Laicus Judex eſſe poſſit in cauſis decimarum, quando illæ petuntur à Clericis conveniendo perſonas Laicas, quæ ſe defendunt ex titulo præſcriptionis, vel conſuetudinis immemorialis, quibus fulti nunquam ſe ſoluiſſe contendunt, qui caſus frequens eſt in praxi.

4. Quantùm ad primum: Dico, indubitatum videri, cauſam quoque poſſeſſoriam coram Judice Eccleſiaſtico ventilandam, quoties poſſeſſorium titulo ſpiritualitatis juſtificandum eſt: revera enim tunc de re ſpirituali controvertitur. Et probatur ex ijs, quæ paulò ſuperiùs q. 12. diximus reſpondendo ad quartum.

5. An

5. An autem, si quæstio sit meri facti, & in se directè nihil spiritualitatis involvat, v. g. si solùm controvertatur, quis decimas percipiat, quis solvat, vel cui, item solùm ad eum effectum lis moveatur, ut, qui indubitanter tenetur solvere Ecclesiæ, ad id faciendum compellatur, aut si agatur contra tertium detentorem fructuum decimandorum, vel contra furem ad restitutionem &c. etiam Laicus judicare possit, & consequenter actio sit mixti Fori, dubium est: scio quidem passim ita practari, & tenent communiter Juris civilis Doctores *cum Covarr. c. 35. pract. qq.* ex eo motivo, quod hæc quæstio sit meri facti, ergo etiam coram Laico ventilari possit.

6. Sentio tamen cum *Diana. p. 1. tract. 2. de Immunit. resol. 90. cum. cit. à se. Azorio. tom. 2. lib. 2. c. 36. q. 5. Homobono. de exam. Eccles. p. 2. tract. 1. c 8. q. 24. Tannero. 2. 2. disput. 5. q. 3. dub. 2. n. 40.* veriori de Jure doctrinæ, & quæ diximus hac *disput. 2. toto c. 5.* insistendo, neque hoc casu Laicum Judicem esse posse, saltem quotiescunque Jus decimarum, seu dominium saltem directum ad Ecclesiam pertinet, sive jam inter Clericos, sive Laicos, sive de Jure, ut universaliter loquamur, sive de facto aliquo ex Jure illo spirituali per se, ac necessariò dependente quæstio sit. Sicut exemplificat *Tanner. num. 41.* in casu, quo quæritur: de solutione decimarum, an facta sit, nec ne, furto sublatæ sint ante solutionem, vel non.

7. Secus enim putat *Tanner.* si post solutionem decimarum factam. v. g. parocho, illæ furto auferantur. Sicut & quoties de solis tantùm fructibus jam solutis & perceptis quæstio sit, etiam Laicum judicare posse: quod eatenus approbandum puto, quatenus solùm corpus rei solutæ, vel perceptæ controvertitur, si enim eâ in controversiâ coram Judice Laico etiam punctus ipsius Juris & tituli decimalium fructuum examinandus coincideret, sicut facilè fieri posset, tunc

sine

sine dubio abstinere Laici à tali cognitione causæ deberent, eamque remittere ad Ecclesiasticum, cùm de re spirituali neque incidenter cognoscere possint ob illorum incapacitatem Juris Ecclesiastici. Per ea quæ notat *Diana. cum citatis à se. p. 1. tract. 2. de Immunit. resol. 111.* & *p. 4. tract. 1. eod. tit. resolut. 98.* Ratio dictorum universalis est, quia. *c. parochianos. de decimis. c. decernimus. c. quinto. de judiciis. & Clement. dispen. diosam. eod. tit.* absolutè, & indifferenter, ac indistinctè causam decimarum Judici Ecclesiastico transcribunt. ergo ubi Jura non distinguunt, neque nos debemus: per commune axioma Jurisconsultorum, & regulam Juris notam: quod accessorium sequatur (etiam in cognoscendo, si aliunde impedimentum non sit) naturam principalis, saltem in necessariò connexis, ut est causa possessoria & petitoria communiter; & præsertim ubi ex accessorio posset præjudicium aliquod causæ principali inferri, quod facilè fieri posset in proposito, si in casu, quo decimæ per Laicos, vel titulo feudi cum licentiâ Summi Pontificis, seu titulo conductionis ab Ecclesiâ possidentur, de Jure decimarum non Ecclesiasticus, sed sæcularis Judex cognosceret: tunc enim, ut bene advertit *Tann. n. 42.* si quid fortè Juris Vasallus, aut conductor Laicus amitteret, ipsi etiam Ecclesiæ præjudicium generaretur. Eadem etiam ratio militat, si de solutione decimarum: an nimirum facta sit, quæstio ventiletur, eo ipso, quod ob negligentiam factæ solutionis intra certum tempus amitti in causa feudi vel emphiteuseos Jus decimarum possit, ut ex Jure notum est. Deinde cum saltem in casu feudi dominium directum adhuc pertineat ad Ecclesiam, & alioquin etiam ex sanctionibus Juris feudalis ipse dominus feudi de causa feudi cognoscat, non est ratio, cur cognitio causæ decimarum hoc casu Ecclesiæ abjudicetur, ut contra *Covarr. cum Rebuff. & Azorio Tannerus n. 43.*
conclu-

concludit: & videbimus paulò post alijs etiam rationibus nixi, contrarium contra eundem *Covarr.* asserentes.

8. Quantum ad alterum, satis ex dictis, a. *num.* 7. liquet, tametsi ex feudo, vel alio simili titulo Jus percipiendi decimas de licentiâ Summi Pontificis in sæculares transferatur, non tamen propterea existimari debere, cognitionem causæ decimarum, etiam quæ hujus naturæ sunt, ut à Laicis percipiantur, translatam esse: & ratio est, quia cùm Juris decimarum cognitio indubitanter pertineat secundum dispositionem SS. Canonum ad Ecclesiasticum Judicem, nisi aliud in contrarium expresse constitutum appareat, illam Pontifex in dubio abdicare à se, & Ecclesiâ, voluisse non præsumitur. Deinde eatenus censendus est Papa consentire in ejusmodi decimarum infeudationes, quatenus vult compensare bene merita in Ecclesiam, ita tamen, ut quantum per ejusmodi remunerationes fieri potest, minimè lædat Jus, & jurisdictionem Ecclesiæ, sed hoc fieri potest, tametsi Jus cognoscendi super ejusmodi causis decimarum, non transeat in Laicos, ergo sic voluisse præsumendus est. Et propterea bene monet *Suarez de Relig. tom. 1. lib. 1. de divino cultu. c.* 38. *num.* 16. ut illum citat *Diana. p.* 1. *tract.* 2. *de Immunit. resol.* 91. cautè legendos Juris civilis Doctores, quia plus, quàm oportet, inclinant in favorem sæcularium Principum. Consequenter intelligis, quam nulla sit consequentia, quam faciunt asserendo: hæc decima facta est Laicalis, ergo ejus cognitio pertinet ad Forum Laicale. Est enim tantùm quoad unum effectum reddita Laicalis, quatenus sæcularis percipere decimam possit, non quoad alterum effectum, ut etiam ejus cognitio concessa Laicis dicatur: cùm in dubio, ubi contrarium expresse dispositum non est, Pontifex Ecclesiæ reservâsse censeatur, ut adeò ex separatis non fiat illatio per *text. c.* 2. *de translat. Episcop.* & non probat hoc esse, quod ab hoc contingit abesse *L. neque natales. Cod. de probat.*

9. Quantùm ad tertium, etiam negativè respondemus. cùm *Facundez precepto 5. lib. 2. c. 5. n 8. Azor. ubi supra. Diana dicto loc. resol 92.* ex ijsdem fundamentis, est enim causa decimarum Fori Ecclesiastici, non sæcularis, quæritur enim reverâ hîc, an Clericus habeat Jus percipiendi has decimas, vel sæcularis libertatem eas solvendi præscripserit, consequenter de ipso Jure, quod spirituale est, controvertitur. Et hoc tam verum est, ut neque per viam compromissi Laicus cum Judice Ecclesiastico causam decimarum cognoscere possit, sicut bene docet *Bonacin. tract. de legib. disput. ult. q. 5. punct. 6. n. 1.* & alij quos ibidem allegat. *vid. etiam Barbos. in collect. ad decretal. tom. 1. lib. 3. tit. 30. c. 25.* hoc insuper animadverso, quod Laici ob illorum incapacitatem Juris spiritualis, Jus percipiendi decimas, etiam immemoriali consuetudine, vel præscriptione aquirere non possint: ut bene advertit *Azor. tom. 2. lib. 7. c. 26. q. 4.* Et nos docuimus in *tit. de decimis* cum Salisburgi hanc materiam tractaremus, præsertim post Concilium Lateranense: videant ergo Judices Laici, qui tam confidenter causas decimarum ad sua Fora trahunt, quàm fædè in Immunitatem Ecclesiasticam peccent, non unâ excommunicatione irretiendi.

COROLLARIVM VLTIMVM.

SVMMARIVM.

Non valet statutum ita disponens, ut qui nondum habet Ius in re bonorum, quæ possessurus est, dominus sit, si Religionem non ingrediatur, quod si verò Religionem intret, dominium amittat, vel si saltem ob ingressum minùs liberè ad ea capienda admittatur, quam si mansisset in sæculo n. 1. & 2. per textus allegatos, & communem sententiam Canonistarum.

De reliquis casibus qui eodem Corollario moventur, vide accuratiùs suprà.

Quæ-

I.

QUæritur ultimò *cum Basilio Pontio de matrim. lib. 3. c. 8. n. 25.* an valeat ſtatutum Laicorum, ut qui nondum habet Jus in re bonorum, quæ poſſeſſurus eſt, dominus ſit, ſi Religionem non ingrediatur, ſecus ſi profiteatur, dominium amittat, vel non ita liberè ad illa bona admittatur, quam ſi manſiſſet in ſæculo: & quid cenſendum de ijs conditionibus, hodie admodum frequentibus: do, lego ducenta Titiæ, ſi nubat, centum ſi Religionem ingreditur: vel, filius meus ex æqua portione cum alijs veniat ad hereditatem, ſi verò Religionem ingrediatur, contentus ſit Legitimâ.

2. Et reſpondeo cum eodem *Pontio*, & communi Canoniſtarum in. *c. in præſentia. de probation. & per expreſſ. tex. in Novell. 123. §. ſi quis ſub conditione, &. §. ſed & hoc præſenti. Authent. rogati. Cod. ad Senatus Conſul. Trebell. Alexand. conſil. lib. 2. conſil. 121. n. 4. in fin. Abb. in. c. quod Clericis. de for. compet. n. 40.* contra *Sanchez de matrim. lib. 1. diſput. 34. n. 11.* & alios, quos ſolidè, teſte *Diana p. 1. tract. 2. de Immunit. reſol 125. idem Pontius dicto. loc.* refutat, nulla eſſe ejusmodi Statuta & Conditiones in teſtamento apponi ſolitas, atque contra Libertatem Eccleſiaſticam, & nos in noſtris theſib. de teſtament. ſigill. 6. ſent. 20. & in caſu publico typis Salisburgi vulgato ſatis fusè demonſtravimus. Ratio eſt, quod ejusmodi Statuta, vel conditio teſtatorum, ſint oneroſa, odioſa, & contra favorem Religionis, ergo nulla. Si dicis; parens non tenetur de Jure heredes ſuos in plus inſtituere, quam in Legitimâ, ergo poterit eam

conditionem addere, cum ipsi non faciat injuriam, & disponat testamentum secundùm requisita Juris. Respondeo, etsi antecedens verum sit, si simpliciter in Legitima instituere filium, vel filiam velit, aliosque heredes suos, fallit tamen, quoties ejusmodi conditio adjicitur, cum illa de Jure sit reprobata, & pro non adjecta reputetur, etiam secundum Jura civilia *cit.* §. *sed & hoc præsenti.* consequenter dici nequit, talem testatorem omnimodè secundum Jura testamentum condidisse: & tametsi filio, ut sic, non inferat injuriam, restringendo relicta ad solam Legitimam, facit tamen injuriam filio, ut Religioso, quæ Religionis conditio cum ex se secundum Jura etiam civilia tam favorabilis sit, nec debet nec potest in ejusmodi institutorum præjudicium retorqueri. Ineptius est, quod dicunt: degentes in sæculo pluris indigere, quam viventes in claustro: quia etiam pluribus indiget, quæ nubit, quam quæ non nubit & ingreditur religionem, & tamen de Jure rejicitur conditio, sub quâ minus relinquitur filiæ, si non nubat, ut patet *ex L. cum tale ff. de condit. & demonst.* Ergo parens, si ritè & rectè testamentum condere velit, filium vel simpliciter in Legitimâ instituat, vel si id fecerit sub conditione ingressûs in Religionem, eundem gravando, relicta præter Legitimam restituere, vel amittere, sciat se de Jure, quoad hanc conditionem nulliter disposuisse, & monachum simpliciter admittendum esse ad relicta in testamento Patris, conditione in contrarium nec quidquam attentâ. Qui contrariũ de facto practicant, noverint se contra Jura agere, & cum reatu peccati mortalis offendere Libertatem Ecclesiasticam, utpotè in materiâ gravi. Neque sibi blandiantur de authoritate Doctorum, contrarium docentium, qui, etsi mille fuerint, derogare Juri scripto & sanctionibus. SS. Canonum non possunt, cum Juris civilis, & Canonici authoritas in contrarium publica sit,

ca sit, & authentica, Doctorum autem privata & singularis, atque parere necesse habeant Juri, non imperare & convellere, ut adeo legibus, non exemplis judicandum esse meritò statuerit Justinianus in *L. nemo. Cod. de sententijs & interlocutionibus:* quæ velim notare contrariæ opinionis Authores; de qua tamen materia fusius agemus paulò inferiùs, cum valde controversa sit inter. DD.

CAPUT VIII.

UTRUM PRINCEPS, VEL LAICUS MAGIstratus, supposito etiam, Immunitatem Eccles. tantùm Juris positivi Ecclesiastici esse, illam tollere vel imminuere possit, aut saltem impunè non observare, eò quod promulgata in eorum provincijs non sit, aut usu nunquam recepta.

SUMMARIUM.

Leges Pontificiæ, sicut & Bulla Cænæ Domini, & Conc. Trident. ut in conscientia obligent, debent esse promulgata, & à majori parte populi acceptata, secundum aliquorum Theologorum sententiam. n. 1.

Ratio hujus sententiæ. n. 2.

Contraria & negativa sententia est verior & communiùs tenetur. n. 3.

Quando Pontifex de hoc expressè mentem suam declarat, quatenus scilicet Leges suæ, etiam non promulgatæ in particularibus locis, vel non acceptatæ majoris partis populorum consensu, nihilominus omnes indifferenter obligent, illud observari debet, nec licet contrariam sententiam amplecti. n. 4. & 12.

Assignatur ratio hujus conclusionis. 5.

Est probabile, de jure scripto loquendo, Principem sæcularem non posse obligare subditos ex vi suâ legislativâ nisi illi acceptent. 6. Limitatur eodem, n. hæc sententia.

Pontifex habet suam potestatem legisla-

gislativam immediatè à Deo, & quidem ad finem supernaturalem, quæ non pendet ex consensu & voluntate populi, n. 7.

Contrarium asserere, est contra fidem, ex mente Suarez, vel ad minimum erroneum. 8.

Circa Immunitatem Ecclesiast. Pontifex & voluit & potuit Leges ferre independenter ab acceptatione populi, & subditorum, sicut & ab usu & consuetudine in contrarium. 9.

Tam in Bullâ Cœnæ Domini, quam in citatis hîc textibus damnantur, ut corruptelæ, consuetudines contra Immunitatem Eccles. militantes. 10.

Vrbanus Papa damnat in Bullâ suâ hic citatâ omnia facta & facienda contra Immunitatem Eccles. etiam sub prætextu, quod constitutiones Pontificiæ non fuerint in locis particularibus promulgatæ, vel usu receptæ, vel usu longissimi temporis abrogatæ. n. 11.

Quid roboris habeant inveteratæ Consuetudines, quæ pugnant contra Immunitatem Eccles. vide decisionem Rotæ citatam, & allegatam à Thoma del bene. n. 13.

Quo in casu, & quando pro excusatis habeat Rota recurrentes ad Iudices sæculares, ut vim Iudicum Ecclesiasticorum coërceant. n. 14.

A nulla potestate Laicâ, dato etiam Immunitatem Eccles. tantùm juris positivi esse, tolli illa vel minui potest. n. 15.

Assignatur ratio. n. 16.

Ampliatur nostra conclusio, ut, tametsi concederemus Immunitatem Eccles. tantùm à jure civili profectam esse, Imperatorum indulgentiâ, nihilominus ex post-facto irrevocabilis sit, ac minui non possit. n. 17.

Allegantur pro hac sententia. 4. rationes notabiles. n. 18. 19. 20. & 21.

Respondetur ad aliquot textus in contrarium allegatos. n. 22.

Non tantùm Immunitas Eccles. ex toto tolli non potest, sed nec ex aliqua parte minui. 23.

Ratio ampliationis facta ex Suarezio. n. 24.

Non sine peccato mortali, & reatu incursæ excommunicationis, Ecclesijs & monasterijs tolluntur passim concessæ Immunitates, & Privilegia, à Principibus & Imperatoribus. n. 25.

Allegantur aliquot exempla indultarum olim Immunitatum à Principibus, quibus hodie spoliantur cum gravi reatu Conscientiæ. n. 26.

Brevis adhortatio ad Confessarios Principum & Magnatum. n. 27.

Exemplum ex Henrico Susone Ord. Prædicatorum. n. 28.

Ante-

ANtequàm ordiar, quid consuetudo, maximè immemorialis, & præscriptio circa minuendam, tollendamque Immunitatem Ecclesiast. possit, in antecessum discutienda erit quæstio: An Principes, vel alij Laici Magistratus, supposito etiam, non tamen concesso, Immunitatem Ecclesiast. purè & præcisè Juris positivi Ecclesiastici esse, non Divini, vel Naturalis, illam quadantenus tollere vel minuere possint, vel saltem impunè non observare, ex eo motivo, quod ibi loci promulgata non sit, aut usu nunquam recepta.

1. Et ut hoc ultimum membrum primò expediamus, veluti palmarium, & maximè controversum. Dico, etsi non paucorum sententia sit, *teste Leyman. cum citatis à se. lib. 1. tract. 4. c. 2.* Leges etiam Pontificias, item Bullam Cœnæ Domini, Concilium Tridentinum, &c. ad hoc, ut in conscientia obligent quo ad locum aliquem particularem, quod requiratur, ibidem loci earum promulgatio, consensus, & acceptatio Populi.

2. Ex eo motivo, quod ejusmodi Leges Pontificiæ præsumantur dependenter ab acceptatione & consensu Populi per Pontifices ferri & promulgari, per ea, quæ notat *Gratianus in c. istis dist. 4.* ubi legitur: Leges instituuntur, cum promulgantur, firmantur, cum moribus utentium approbantur. Et ratio videtur efficax, quia Leges positivæ non debent subditis nimis onerosæ esse, & propterea communiter dicitur: quod non obligant, cùm magni incommodi causativæ sunt, præsertim cùm ex scriptura. S. palàm sit, Christum hanc prælatis potestatem dedisse, non in destructionem, sed ædificationem, consequenter præsumi debeat, Prælatos Ecclesiæ, vel Pontificem non velle obligare Communitatem, majori parte Populi legem non acceptante; foret enim sic magis in destructionem, quàm in ædificationem.

3. Dico

3. Dico inquam, nihilominus communiorem, & de Jure veram Sententiam in contrarium esse, adeò, ut licet promulgatio Legum Pontificiarum in particularibus locis ac Diœcesibus facta non sit, neque illæ acceptatæ à Populo, quod nihilominus tamen obligent in conscientia, tametsi interim negari non possit, ob ignorantiam invincibilem, aliquem tunc excusari à transgressione & reatu peccati. Et allegat *Thomas del bene in suo tractatu de Immunit. Ecclesiast. c. 1. dub. 15. sect. 7. part. 1.* integrum catalogum Doctorum ita sentientium. Verum quidquid sit vel de hac, vel contrarium opinantium Sententiâ, certum esse arbitror in proposito dubio, quod, quando Pontifex expresse contrarium vult, & de hoc mentem suam declarat, quatenus scilicet Leges suæ etiam non promulgatæ in particularibus locis, vel non acceptatæ communi vel majoris partis Populorum consensu, nihilominus indifferenter omnes obligent, illud tunc sine omni hæsitatione, & diffugio ad contrarias sententias observari debere.

4. Et ratio est, quia cùm eo in casu constet de mente & & voluntate Pontificis, neque ad hoc statuendum illi desit potestas, quis non videt, justum justè imperanti parendum esse?

5. Nam licet fortè probabile sit, quod Princeps sæcularis non possit vi sua legislativâ obligare subditos, nisi illi acceptent, (excipe nisi inde, non acceptantibus subditis grave Reipublicæ detrimentum oriatur, tunc enim potius de Jure Naturali acceptare & servare obligabuntur, ut tenet *Valent. tom. 2. disp. 7. q. 5. p. 5. Bonac. de Legibus.* sicut eos citat *Thom. del bene allegata sectione*, quàm vi legislativa formali) quia Princeps saltem de Jure scripto facultatem sanciendi Leges à Populo accepit in ordine ad finem Boni Communis, ut adeo si Lex expediat Populo, justa censeatur, & valeat, secùs, nec justa censeatur, nec valeat.

6. Pon-

6. Pontifex autem, qui suam potestatem immediatè à Deo habet, & quidem ad finem supernaturalem, quæ non pendet ex consensu & voluntate Populi, sanè poterit independenter ab acceptatione subditorum, & absque eo, ut in particularibus locis promulgatio fiat, Legem ferre, Canonesque constituere.

7. Quod tam verum est, ut *Suarez de Legibus. l.* 4. *c.* 16. *& plures citati à sæpe nominato Thoma del bene dicto loco* doceant: contra fidem esse, vel ad minimum erroneum, contrarium pertinaciter asserere.

8. Ergo cum Pontifex & voluerit, & potuerit independenter à promulgatione in loco particulari, & ab acceptatione Populi, sicut & independenter ab usu & consuetudine in contrarium, Leges circa Immunitatem Ecclesiasticam ferre, sicut potuisse jam modo demonstratum est, voluisse autem ex Bullâ Cænæ Domini constat: ubi excluduntur omnes prætensiones, & prætextus in contrarium, apponiturque in eadem Bulla Clausula irritans, per quod tollitur omnis non usus, vel usus in contrarium, ut decisum in summo tribunali Rotæ est, in *una Majoricensis indult. die* 11. *April.* 1639. *& in altera Trevirensis. Abbat. S. Maxim. die* 20. *Novemb.* 1624. & facit huc, quod legitur *in. c. quod super his. de consanguin. & affinit.* &. *c super eo. de cognat. spirit.* docentque communiter. DD. ut videre est apud *Bonacin. tom.* 2. *disp.* 1. *q.* 1. *pun.* 4. *n.* 29. *& tom.* 3. *disp.* 1. *q.* 15. *pun.* 4. §. 1. ut eum cum alijs pluribus allegat *Thom. del bene cit. sect.* 7.

9. Neque solùm in Bulla Cænæ Domini, sed etiam *in. c. ultimo. de consuet. c. Clericis. de judicijs. c. quamvis. de censib. in.* 6. *c. noverit. de sent. excom.* damnantur ut corruptelæ, quæcunque consuetudines contra Immunitatem Ecclesiast. militantes.

10. Sicut & Vrbanus 8. in Bullâ suâ, *quæ incipit: Romanus Pontifex.* damnat omnia facta & facienda in præjudicium Libertatis, & Immunitatis Ecclesiast. etiam NB. sub prætextu, quod Bullæ vel constitutiones pontificiæ non fuerint publicatæ (intellige in particularibus locis) vel usu receptæ, vel contrario usu etiam decennali, & quantumvis longissimo, ut prætenditur, abrogatæ.

11. Ex his igitur hucusque dictis, omnino indubiè statuendum relinquitur, quod Leges pontificiæ in materia Libertatis & Immunitatis Ecclesiast. independenter à promulgatione in locis particularibus, vel ab acceptatione Populi, aut usu & consuetudine in contrarium non obstante obligent, ita, ut tametsi ex aliquorum sententia concederemus allegari posse contra Leges pontificias, quo minus obligent, non esse promulgatas in certo aliquo particulari loco, vel non receptas, aut usu contrario abrogatas esse, illud tamen in proposito Immunitatis Eccles. casu, & materiâ, nullatenus dici possit; cum versemur in eo casu, ut vidimus, quo Pontifex in contrarium expresse mentem & voluntatem suam explicavit, præsertim in materia tam justa & rationabili. Vide *sæpe citatum Thomam del bene cum plurimis allegatis à se tom. 1. c. 1. dub. 15 sect. 1.*

12. Quid autem roboris habeant Romæ, ejusmodi inveteratæ consuetudines, & usus, quibus contra Immunitatem, Libertatemque Ecclesiast. venitur in Hispania, Arragonia, alijsque locis, etiam sub prætextu Privilegij putativi, allegat modò *citatus Thomas del bene. dict. c. 1 dub. 15. sect. 6.* integram decisionem Rotæ *in una Ascens. Canonicat. die 1. Decemb.* 1595. quem videre potes, ubi illam consuetudinem tum per Concilia generalia, cùm per SS. Canones, tum vel maximè per Bullam Cænæ Domini improbari, ac potiùs pro corruptela habendam esse, ex allegatis in eadem decisione docet.

13. Ex

13. Ex quo solùm illud advertendum duximus, quòd, ut *ibidem n.* 43. dicitur, licet Rota Romana per diversas decisiones pro excusatis habuerit recurrentes ad Judices sæculares, ut vim Judicum Ecclesiasticorum coërcerent, illud tamen solummodo intelligendum veniat, quo quis in casu extraordinario necessitatis, quia aliud remedium de facto non habet, ad simplex auxilium Laicorum convolat, quatenus, sicut de facto expellitur à sua possessione, ita de facto à Judice Laico defendatur contra hoc gravamen & vim illatam, non secus, ac si quis invocaret auxilium cujuslibet illàc transeuntis, si fortè de facto ab aliquo, contra quem se & suam possessionem defendere non potest, v. g. domo propria expelleretur; non autem, ut à Judice Laico defendatur per citationes, inhibitiones, comminationes pœnarum, contra Prælatos & Judices Ecclesiast. interpositas, qui modus se defendendi per Judicem Laicum à Jure pontificio semper reprobatus est, tanquam contra Immunitatem Ecclesiast. apertè militans, quidquid in contrarium sentiat *Covarr. pract. qq. c.* 35. *n.* 3. ibid. allegatus.

14. Quantum autem ad primum & secundum membrum quæstionis à principio hujus c. motæ attinet, an nimirum eo in casu, quo supponitur Immunitas Ecclesiast. tantùm Juris positivi pontificij esse, Principes sæculares, vel Magistratus Laici tollere eandem, vel minuere possint, præcisis dubitandi rationibus, quæ obviæ sunt, breviter dico cum *Covarr. pract. qq. c.* 31. *num.* 3. *versiculo. quarta conclusio. Thom. del bene* cum allegatis ab eodem in suo tract. *de Immunitat. Eccles. tom.* 1. *c.* 1. *dub.* 2. *sect.* 2. *n.* 2. à nulla potestate Laica, dato etiam tantummodò Juris positivi esse hanc Immunitatem, tolli vel minui eandem posse.

15. Et ut omittam interim allegationem. cc. & textuum paulò inferiùs hoc cap. 8. citandorum, rationem nostræ de-

 cisio-

cisionis hanc assigno: quod nulla potestas humana Laicalis prævalere possit, ac superare potestatem ac jurisdictionem Pontificis, quantùm ad regimen Ecclesiæ, & Ecclesiasticorum eidem à Christo concessam, utpote cum potestas sæcularis inferioris ordinis sit, & subjecta eidem in spiritualibus, ijsque, quæ Ecclesiæ regimen concernunt. Consequentur Principes Laici præjudicare Pontificis potestati, jurisdictioni vé aliud, quàm ipse sanxerit, statuendo, vel jubendo non poterunt. Inferior enim jurisdictionem exercere in superiorem non potest. *c. inferior. 21. dist. c. nolite. c. denique. & c. cum inferior. de major. & obed. L. Magistratus. ff. de arbitr.* quod sanè contingeret, si minuere, vel tollere possent Principes sæculares, quæ Statuta sunt à Summis Pontificibus in ordine ad suas sibi subditas Ecclesiasticas personas, & earum Immunitatem.

16. Immò, tametsi concederemus hanc Clericorum exemptionem à solo Jure civili profectam, Imperatorum scilicet indulgentiâ primitùs concessam, nihilominus dicimus, ex postfacto irrevocabilem esse, aut minui non posse.

17. Et rationem assignamus primò cum *Salonio. 2. 2. q. 67. ar. 3. controv. 3. concl. 5.* quia donatio absolutè & in perpetuum facta, est irrevocabilis, sed talis est hæc Libertas Statui Clericorum facta, ergo. decet enim concessum Principis beneficium esse mansurum. *c. decet. de reg. Iur. in 6.* quod vel maximè verum est, ut ibidem advertit *Henric. Canisius eod. tt. cum And. Gail. Pecbio. & Felin. in. c. novit n. 7. & seq. de judicijs. ibidem allegatis*, cum illud à Principe conceditur non subdito, quis autem nescit Clericos Fori Ecclesiastici esse? ergo non subditos Laicis, ut patet ex ijs, quæ dicuntur *toto tit. de for. compet. & tit. de iudicijs.*

18. Secundò, quia dici potest, quod ejusmodi exemptionis donatio sit remuneratoria, ob beneficia, quæ ex Ecclesiæ

precibus

precibus & sacrificijs Regibus, & Imperatoribus proveniunt, per ea, quæ notantur. *c. in qualibet. 23. q. 8.* ubi ita legitur: Rempublicam magis augeri orationibus & officijs Clericorum, quàm sudore & labore corporis. quæ remuneratoria concessio tam firma est, ut neque ob ingratitudinem revocari posse doceat *Tiraqu. ll. in. L. si unquam. n. 13. Cod. de revocand. donat.* plures alij *à Thom. del bene. cit. loc. n. 7.* allegati, ubi inter alios citatur *Antonius di Saura in voto Platonis de examine propositionum. cap 9.* qui ait: Dicere, licere, revocare Principibus prærogativas, Immunitates, & Privilegia Ecclesijs concessa, casu quo præjudicium aliquod, aut damnum ex eorundem Privilegiorum continuatione, & conservatione sæculari politiæ nascatur, doctrinam esse perniciosissimam. Et meritò, quia, ut paulò antè ratiocinati sumus, sæcularis politia respectu Statûs Ecclesiastici inferior est, ergo jurisdictionem in illum, aliquid disponendo, aut auferendo, efficaciter exercere non potest.

19. Tertiò, si Ecclesiæ agros, & prædia auferre Sacrilegium est, eò, quod res Ecclesiæ sint, & de patrimonio Christi, ergo etiam Immunitatem tollere, vel minuere Sacrilegium erit, cum & hæc tanquam præcipuum quid inter Thesauros & res Ecclesiæ computetur.

20. Quartò, ut discurrit *Covarr. cit. loc.* eo ipso, quia tota Christiana Respublica cum Principibus sæcularibus in hanc Clericorum exemptionem consensit, eaque passim in Concilijs generalibus, Laicis Principibus, vel eorum Legatis præsentibus, & consentientibus confirmata est: ergo ea amplius auferri non potest, per ea, quæ notantur in. *c. novit. de Iudi-*

sijs. & locum habet regula Juris in. 6. quod semel placuit, amplius displicere non potest.

21. Neque has nostras Conclusiones morari debet, quod in *Decreto.* 11. *q.* 1. *c. omnes.* §. *hoc si quis.* & *in L. si quis Curialis C. de Episc.* & *Cler. L. neminem. C. de SS. Eccles.* & *Authent. quas actiones. C. eodem.* Contrarium legitur, ibi enim potius Factum narratur quam Jus; sive quod factum est, non quod fieri debuit, allegatur, deficiente semper in his Magistratus & Sæculares Principes Potestate & Jurisdictione, quâ carent, ad aliquid statuendum contra Ecclesias, & Ecclesiasticas personas, vel earum bona. per ea, quæ notat *Felin. in c. Ecclesia. de Constit.*

22. Atque hactenus dicta ita ampliamus, ut non tantum negemus, Immunitatem Eccles. ex toto à Sæculari potestate tolli posse, sed nec in parte minui, ut ut supponamus, Juris positivi esse, vel originem ex Concessione Imperatorum, Sæculariumúe Principum duxisse. Per regulam illam communem: Quod Juris est in toto, quo ad totum, est Juris in parte quo ad partem. Et probatur ex *L. quod de bonis* §. *fin. ff. ad Legem Falcid.* & *L. si optat. ff. qui, & à quibus.*

23. Ratio secundum *Suarez* hoc Titulo contra Regem Angliæ *lib.* 4 *c.* 30. *n.* 12. est, quia revocare, minuere, restringere vel limitare, dependent ab eadem potestate, quâ quis in totum tollere aliquod Privilegium contendit, ergo qui totum auferre ex defectu potestatis nequit, etiam partem tollere non poterit. Ponuntur enim hæc, ubi semel Ecclesiæ collata sunt, intra bona & Jura Ecclesiastica, consequenter extra Sphæram, & activitatem Laicorum sunt. Et sicut unus Princeps in alium sibi non subditum exercere Jurisdictionem non potest, ita multò minus Sæcularis Potestas aliquid poterit in Ecclesiasticam Potestatem, & eidem subjectos, cum toto

gene-

genere distinctæ potestates sint, neque Ecclesiastica Sæculari ullatenus subalternetur.

24. Ex his modo dictis intelligis, quâ Conscientiâ, & quanto reatu peccati mortalis, Sacrilegii, & incursæ Excommunicationis, passim concessæ Immunitates, & Privilegia, atque exemptiones, Ecclesiis vel Monasteriis, aliaque Jura eisdem à Laicis Magistratibus, Principibusque tollantur.

25. V. g. quod olim per expressa Principum, Imperatorumque rescripta Immunes esse jussi sunt ab omnibus vectigalibus, portoriis, guidagiis, pedagiis, indictionibus. v. g. Zoll / Maut vnd Auffschläg. Item quotquot Privilegium obtinuerunt coquendi indifferendi cerevisias, fodiendi suo in fundo cujusvis generis metalla, Salem, cretam, & similia Jurisdictionis libertatem concernentia, quæ certè secundum hanc communem, ac receptam, & nostra opinione infallilem doctrinam, fieri contra Ecclesiasticas Personas, earum Jura, Privilegia, ac Immunitatem sine interitu animæ, infamiâ Juris, & obligatione restituendi, non possunt, per ea, quæ partim ad hoc allegat *Thom. del bene. cit. sect. 2. n.* 14. *& plenius eod. c.* 1. *dub.* 3. ubi & peccati mortalis, & Sacrilegii, & Excommunicationis reatum incurri ab ejusmodi violatoribus Jurium Ecclesiæ probat, utpote in re gravissimâ, & toti Clericorum ordini damnosâ delinquentes. Et vel maximè ad hoc faciunt, quæ *Canon.* 15. 18. *&* 19. *in Bulla Cœnæ Domini.* & alibi contra eosdem statuuntur, neque ullum robur, aut firmitatem obtinent, quæ taliter, etsi quotidie, & passim contra Jura Ecclesiarum practicantur, sed ipso Jure cassa & irrita sunt per expressum *text. Authent. cassa. C. de SS. Eccles. Authent. statuimus. C. de Episc. & Cler.* & quæ *scribit. Covarruv. practic. qq. c.* 33. *n.* 2. & tradit. *Molin. de jur. & just. tract.* 2. *disp.* 670.

26. Ve-

26. Velim ego hic interim illis, qui moderantur Principum, Regumque conscientias, sed timidè, aurem vellicare, deliberaturis secum, quid ad tremendum illud Christi judicantis subsellium citati olim oggerant exprobraturo; quod, cum mundo, atq; ipsis palam esset, à Principibus, quorum animas regunt auricularij, tot passim exactionibus Ecclesias, Ecclesiasticosq; deglubi, ne Aularum gratijs exciderent, (si quidam sunt ejusmodi,) monere confessionis filios manifestariæ expilationis, & injustitiæ, flocci pependerint; quos deceptores, non confessores, vulpes & adulatores Christus apud *S. Birgittam Revel.16. libro.7.* appellat.

27. Et profectò concussione plena est visio, quæ Henrico Susoni ex Familia S. Dominici facta, refertur in ejus vita, & foro nostro servit. Cœlo fixerat pium ascetam Henricum, ac intimè penetrârat animarum commiseratio pessum-euntium, cum ecce nonneminem Magnatum agere ante se vidit eum, quem à confessionibus habebat, velut ferocientem bestiam, cum hac luctuosa quiritatione: Heu me æternis supplicijs mancipatum! & Jure cathenatum, ac nexum ante me eum conspicis, qui nostra adulando vitia, secum unà traxit in barathrum. O si haud infrequentes sint principum moderatores, qui, sed sine fuco, sine palpo, canere cum psalmographo possint: Et loquebar de Testimoniis suis in conspectu Regum, & non confundebar. At vereor, ut non pauci ad excusandas excusationes in peccatis ingeniosi sint, & infeliciter subtiles. Æmulentur hi magis prodomum Ioannem Baptistam in Herode, Thomam Cantuariensem in Henrico, Stanislaum in Boleslao, Kilianum nostrum, Columbanum, Corbinianum, & sexcentos alios veteris ævi non fucatos Regum censores. Si enim exactiones vulgi plerumq; periculosæ sunt Principibus, quid ominemur de Ecclesiarum, Ecclesiasti-

rumque

rumque harpagatione? quorum bona de patrimonio Christi esse, non duntaxat sanctissimi Canones, & Concilia, sed ipsamet Veritas apud eandem *Birgittam lib.* 4. *revel.* 142. pronunciavit. Sed calamum premo, ne veritate multis bilem in nasum conciam, contentus aurem vellicâsse, monuisseque periculi.

His ita in antecessum prælibatis, quantum satis videbatur, ordiamur jam nunc Quæstionem illam difficilem, oppidoque inter Scholasticos frequenter agitatam. Quantùm scilicet præscriptio, & consuetudo immemorialis, quo ad Immunitatem, Libertatemque Ecclesiasticam luxandam, laxandamque possit.

CAPUT IX.

QVANTVM PRÆSCRIPTIO, ET CONsuetudo immemorialis quo ad Immunitatem Ecclesiasticam possint.

SVMMARIVM.

Titulus præscriptionis est singulorum, titulus verò consuetudinis, est communitatis, n. 1.

An in aliquo casu particulari persona Ecclesiastica vi inveterata consuetudinis à sæculari Magistratu judicari possint. n. 2.

Multi tenent id fieri posse, saltem ex tacito consensu Summi Pontificis illud fieri scientis & tolerantis. n. 3.

Ratio pro illorum sententiâ allegatur. n. 4.

Communiter practicatur, quod Prælati bona provincialia possidentes tam in realibus quàm personalibus actionibus conveniantur coram Magistratu, & Iudicibus Laicis. 5.

Allegatur alius casus, in quo persona Eccles. coram Iudice Laico ratione debitorum conveniuntur. 6.

Resolvuntur hi, & similes casus negativè, ita ut in nullo casu de Iure non excepto, Clerici conveniri

[illegible]

3. Sicut etiam tenet *Salgado de protect. reg. tom.* 1. *p.* 1. *c.* 1. *praelud.* 3. *n.* 138. *Less. lib.* 2. *de iustit. c.* 33. *dub.* 3. *Molin. de jur. & just. tom.* 3. *tract.* 2. *disp.* 170. *n.* 5.

4. Atque eâ quoque adjuvari ratione posse videantur, quod hæc Immunitas Clericorum solummodò secundum Theses quasdam generales Juris divini esse dicatur, non in quovis casu speciali, cosequenter, sicut quæ Juris divini secundum Theses quasdam generales, ut loquitur *Mynsing inst. titulo. de Iur. nat. gent. & civil.* sunt, tam de Jure scripto, quàm consuetudinario in casibus particularibus limitari, minui, ac distingui ex variatione, & alteratione circumstantiarum possint, secundum doctrinam citati *Mynf. Abbat. in c. fin. de consuetud. Rochi Curtii. ibidem* fusè, ita etiam hoc quoad consuetudinem aliquam particularem fieri posse debeat in materia Immunitatis, *sicut fusiùs deducit Salgado. dicto loco.*

Et videtur evidens exemplum in feudis, in quibus, cùm cognitio & jurisdictio, quo ad controversias feudales etiam Sæculari in Clericum competat de Jure feudali, quod merè consuetudinarium est, quæ tamen jurisdictio secundum Theses quasdam generales, sive absolutè considerata, cæteroquin Sæculari in Clericum negatur, sanè consuetudo prævalere contra Jus divinum secundum Theses quasdam generales acceptum posse, clarum videtur.

5. Hinc passim de facto consuetudine obtentum est, ut prælati, alijúe Clerici bona provincialia vulgo Land-Güter possidentes tam in realibus, quàm personalibus actionibus quo ad causas merè civiles coram Provincia: Vor der Schrannen / Hoffrath / oder Landtschafft-Gericht conveniantur, ex ijs maximè motivis, ut volunt, evidentibus: quod Provinciæ principaliter interesse videatur, scire ac cognoscere, quantum, & cui, ex ejusmodi bonis provincialibus, vel saltem illorum occasione, fiat solutio.

6. Dein-

6. Deinde: an ratione debiti, propter quod aliquis conventus est, non fortè ad alienationem bonorum provincialium deveniendum sit, & utrum non in extraneum, der deß Landes nicht ist / ac fortè vi statuti, vel Juris municipalis ne capax quidem horum bonorum existat: præsertim cùm ex hujusmodi bonis onera communia Reipublicæ, & Imperij ferenda sint; ut adeò Statuum Provincialium principaliter intersit, videre, attendere, cognoscere, & judicare super debitis suorum comprovincialium, ne vel nimijs debitis graventur, vel ratione debitorum omnino in extraneorum, qui prorsus de Provinciâ non sunt, manus devolvantur. Cum propterea plerumque in susceptione magni alicujus muneris, Provinciæ, vel Principis consensum desuper etiam obtinere Provinciales debeant, præsertim cum hîc & nunc, non tam ut Clerici, quam Status provinciales, sub quâ qualitate subjecti Provinciæ, & ejus regimini indubitanter sunt, judicentur: Velut Clerici feudum tenentes non ut Clerici, sed ut Vasalli, Domino Seniori, etiam Laico, quo ad illius forum subjecti esse dignoscuntur. Quæ sanè omnia locorum Ordinarij, quibus aliàs de jure communi Clerici subsunt, cum aliquando ne quidem de eadem provincia sint, tam accuratè non attenderent, in manifestum provinciæ ejusmodi detrimentum, ac ruinam.

7. Verùm quidquid hæ rationes magnâ ex parte politicæ ponderis habeant, Censeo nihilominus indifferenter etiam quo ad casus particulares sine expressâ approbatione & consensu Summi Pontificis, ex quacunque consuetudine inveteratâ Laicos jurisdictionem in Clericos aquirere, & exercere non posse.

8. Tum ex incapacitate, quò ad Jus spirituale præscriptione ac consuetudine aquirendum, in Laicis residente. Tum ex generali prohibitione SS. Canonum, & Bullæ Cænæ Domi-

 ni.

301. *n.* 517. *Azor. tom.* 1. *lib.* 5 *c.* 12. *vers. quæri solet.* ut adeò plurimum mirer, quomodo aliqui, quorum meminit *Diana*, ubi suprà, docere ausint, tolerantiam & scientiam, quo ad aliquas saltem consuetudines particulares, intervenientem ex parte Summi Pontificis, quatenus valeant, operari tacitum consensum, stante præsertim publicatione Bullæ Cænæ quotannis fieri solita, militant enim eædem rationes æquè contra particularem consuetudinem Immunitatis læsivam, ac contra universalem, præsertim cum omnes omnino consuetudinis tanquam irrationabiles damnentur à Jure SS. Canonum, quæ pugnant Ecclesiasticæ Libertati. *test. Gloss. & Abbate in c. ultimo. de consuetudine. verbo. rationabilis. c. Clerici. de Iudicijs. c. noverint de sent. excom. c. cùm Terra. de Electione. & per Authent. cassa C. de SS. Ecclesijs.*

15. Alterum principale argumentum, quo contrariæ sententiæ authores fulciuntur pro defendenda consuetudine & præscriptione immemoriali, quâ dicunt derogari Immunitati Ecclesiasticæ posse, est, quod asseverent ejusmodi consuetudinem vim Privilegij obtinere, ut adeò, quod Privilegio Principis fieri solet, & potest, consuetudine immemoriali adminiculante expediatur, & licitum fiat. *per L. hoc Iure.* § *ductus aquæ. ff. de aquâ quotidianâ, & æstivâ. Cavallos satis fusè in suo tract. de cognit. per viam viol. gloss.* 4 *num.* 1. *Consalez. ad regul. Cancell.* 8. *gloss* 33. *maximè num.* 4. *Barbos. in axiom. Iur. frequent. verbo. consuetudo. num.* 7. sed privilegio Principis, seu Pontificis obtineri potest, ut sæculares Clericorum causas judicent, sicut de facto exstare ejusmodi privilegia testantur citati *à Diana, p.* 3. *tract.* 2. *de Immunit. resol.* 6. *Azor. qui hoc supponit. tom.* 1. *lib.* 5. *c.* 12. *vers. si objicies. Barbos. in suo tract. Iur. univers. Eccles. c.* 39. §. 2. *num.* 192. Ergo possunt etiam de consuetudine. Et ita sentiunt *Covarr. pract. qq. c.* 35. *Guiliel. Bened. in c. Reynutius. verbo. Et uxorem*

rem nomine adelasiam. decis. 2. Salgado. de protect. reg. cit. tom. 1. *p.* 1. *c.* 1. *prælud.* 3. *a. num.* 138. *plures alij citati. à Barbos.*

16. Sed neque hoc argumentum tanti est, ut non contrariam sententiam amplectendam esse asseveremus. Et ratio sæpissimè repetita est, quod immunitas hæc sit Juris divini, Ergo prævalere contra eam consuetudo qualiscunque temporis non potest. Deinde, quia hæc consuetudo est contra Libertatem Ecclesiasticam, ut paulò superius etiam diximus *per c.* 2. *de for. compet. & c. noverit.* ibi *Innocent. de sent. excom. c. Clerici. de judicijs. & c. quamquam. de censib. in* 6. atque absolutè reprobata à SS. Canonibus per *citatos textus.* Imo ut testatur *Azor* ubi supra, quotidie damnantur ejusmodi consuetudines à Rota, & Curia Romana, allegatâ in superioribus decisione *coram Merlino anno* 1630. *Junij* 28. adeò ut neque Episcopis consentientibus jurisdictio à Laico in Clericum exerceri possit. sicut notat *Abbas. & Felin. cum gloss. in c. decernimus. c. qualiter & quando. verbo prohibemus. de judicijs. c. si diligenti. c. significasti. de for. compet.* Et si *Diana p.* 1. *tract* 2. *de Immunit. resol.* 4. *&* 6. *Barbos. sæpe dicto* §. 2. *c.* 29. *num.* 119. credimus: singulis annis per Bullam Cænæ Domini reprobatur ejusmodi consuetudo, sicut suprà etiam advertimus; præsertim cum Laici omnino incapaces sint hujus Juris ac potestatis spiritualis, ut bene notat citatus modo *Barbos. dicto loc. n.* 189. *Azor.* ubi *suprà. vers. sed obijciunt.* per ea, quæ scribit *Decius in. c. decernimus. n.* 38. *de judiciis. c. causam. de præscript.* & ibi communiter interpretes. *c. quanto. de consuetud. Dominicus in. c.* 2. *de præbend. in.* 6. ut consequenter præsumi nullatenus possit, ex immemoriali consuetudine & usu præcisè, ut aliqui volunt, consensum Summi Pontificis intervenisse, vel præcessisse, eô ipsô, quod sæpè dictæ tales consuetudines à SS. Canonibus expressimi reprobatæ sint, ut *cum Suarez. in suo tract. pro defens. fidei ad Re-*

gem Anglia lib. 4. c. 34. num. 17. tenet etiam *Barbos. cit. loc. num. 190.*

18. Atque hoc à fortiori procedit, si doctrinam citati *Azorij. vers. unum est. dicto loc. Diana ubi supra. resol. 6. Barbos. cit. n. 194.* sequamur, qui docent cum allegatis à se, omnia etiam Privilegia hujusmodi Immunitati derogatoria, etsi remuneratoria, quomodolibet concessa per Bullam Cænæ Domini sublata esse. Et ita in terminis etiam noster Sayrus resolvit, in tract. *de censur. lib. 3. c. 25 n.* 10. allegatus à *Diana*, & nos in superioribus meminimus. Qui ita loquitur: *hinc patet sine causa dubitâsse Navarrum, an Iudices Galliarum, qui cognoscere, & judicare Clericos solent super quibusdam casibus, in censuram Bullæ incidant, quia Privilegia ista per viam remunerationis concessa sunt, & sunt Privilegia immemorabilia, in qua re, si quidem dubitandum esset de Summi Pontificis intentione, recurrendum esse censerem ad judicium Summi Pontificis. Quia tamen Legislatoris mens & intentio ex verbis ejus colligenda est, non opus esse puto, ut quis pro hujus rei ac dubij solutione ad Summum Pontificem recurrat, quandoquidem his verbis Bulla omnia hujusmodi Privilegia se revocasse, Summus Pontifex satis manifestè declaravit:* hæc *Sayrus*, qui ibidem respondet ad argumenta *Navarri.*

19. Quod autem aliqui sunt, ex quibus est *Malderus citatus à Diana. dicta. resol.* 6. *p.* 2. *q.* 9. *art.* 4. *Facundez de præcept. Eccles. tract. 1. lib. 2. c.* 17. qui doceant: non censeri esse revocata Privilegia per Bullam Cænæ Domini, ex eo motivo, quod verba generalia præcedentium Bullarum in die Cænæ Domini promulgari solitarum, quæ rigidiora hâc de re erant, Bulla subsequens *Gregorij* 13. temperaverit, quatenus eo verborum rigore abstinuit; meâ opinione parùm ex hâc difficultate eluctantur, cum enim legenti præcedentes illas Bullas certum sit, Privilegia esse revocata, (sicut neq; illi negare audent,)

Gre-

Gregorius autem 13. solummodò eô verborũ rigore usus non sit, etsi æquipollentibus clausulis & verbis, ut expendenti ejus Bullam constat, uteretur, & Romæ hodieque contra ejusmodi Privilegia, si quando controversia incidat, in Rota & Curia Romana, ut vidimus, judicetur, quis non videt, semel revocata per antecedentes Bullas dicta Privilegia, semper, hodieq; manere revocata : cum nulla sit consequentia. Gregorius 13. non est usus eodem formali rigore verborum in suâ Bullâ, quibus præcedentes alij Pontifices usi sunt abrogando Privilegia, (etsi æquipollentibus clausulis suam quoque Bullam armaverit,) ergo dicta Privilegia hodie non sunt abrogata. vide etiam, quæ in fine hujus tractatûs de excusationibus, quibus se violatores Immunitatis tutari conantur, in verbo *Privilegium* diximus, ubi etiam tradidimus cum *Suarezio*, & communi, ejusmodi Privilegia revocari posse: consule quo ad hanc difficultatem circa revocationem Privilegiorum, & an consuetudo prævalere Immunitati possit, eundem *Dianam p. 3. tract. 7. de Immunit. resol. 56. & 57. & p. 4. tract. 2. eod. tit. resol. 1.*

20. Et utrum ejusmodi consuetudine immemoriali utentes incidant in Excommunicationem Bullæ Cænæ Domini. vide eundem *d. p. 3. tract. 2. resol. 58.* ubi affirmativam tenet *cum Sayro de censur. lib. 3. c. 29. n. 10. Lousa. disput. 80. c. 16. n. 6. & alijs.*

21. Ultimum argumentum pro defendenda hâc consuetudine adversarij desumunt ex observantia & usu plurimorum Principum, & Magistratuum Christianissimorum, etiam aliàs teneræ conscientiæ existentium, & devotorum & observantium Cleri, & Sedis Apostolicæ, qui certè condemnandi non videntur ex eô, quod ejusmodi consuetudine utantur, nunquam sine dubio facturi, si suam inde conscientiam labefactari existimarent. Et commune hoc argumentum Theo-

logorum est, quô in dubio consuetudines & facta excusant, eò quod viros bonæ conscientiæ ijs uti, illáve facere deprehendant. Sed respondeo breviter cnm *Suarezio lib. 4. de Immunit. c. 32. n. 23.* sicut illum allegat Diana *p. 1. tract. 2. de Immunit. resol. 4.* has consuetudines non ad Jus, sed ad facta hominum pertinere, propter quæ veritatem negare non possumus, neque illorum rationem dare tenemur, sed ad illos spectat, qui consuetudines illas observant, rationem, si quam probabilem habent, reddere. Et ad contrariæ sententiæ sequaces, & horum coryphæum *Covarr.* respondere possumus, quod ibidem allegatus à Diana *Bellarminus* rescripsit. *E se il Covarruvias dice il contrario, noi habbiamo a credere più alle scritture, & à SS. Padri, che al Covarruvia, il quale in materia di giurisditione si è mostrato sempre troppo partiale.* hæc Bellarminus ad quandam Epistolam in favorem Venetorum.

12. Et quid commune magis in historijs, ac vulgatum litterarum monumentis, quam viros etiam pientissimos hallucinari, & lapsare, communi Principum, & Imperatorum errore seductos? Cui vacat, Ottonem Frisingensem de rebus gestis Friderici Primi evolvat, ipse hic liber testis locuples est, quàm confidenter plurimi Germaniæ sacri Proceres, & Romanæ Ecclesiæ Cardinales, ac Clerici, Friderici ænobarbi conciliabulo Papiensi irretiti, contra Alexandrum Tertium, genuinum Ecclesiæ Pontificem pro Octaviano steterint, neque minus vulgata consuetudo viris aliàs laudatissimis usitata communiter fuit, quâ in rebus Ecclesiæ arbitrium Imperatorum sub id ævi sequerentur, & observarent. Et quis nescit communem usum, ante & sub Henrici 4. tempora passim invaluisse, quô Episcopatus, Abbatiæ, aliæque Ecclesiarum dignitates ab Imperatoribus conferebantur? Vtinam non sæpe precio nundinantibus. Claves opposuit, & gladium Petri

Papa

Papa Gregorius Septimus, sed quo Ecclesiæ tumultu, ruinâ, conflictatione? his pro Imperatore acriter certantibus, illis Pontificem animosè defensantibus. Consulat, cui decursa hæc, & fusè scripta nosse, animus est, *Baronium ad annum Domini 1076. & 1164.* & utrobique Spondanum in *Epitome Baronij Ottonemq; Frisingensem lib. 2. de reb. gestis Friderici I. c. 64. usque ad c. 75.* Certè tam dubia Historiagraphorum calculis, & suffragio affectûs plerosque à vero distrahente, res videbatur, ut in ambiguo hærere lector posset, nisi cœlitus pro Gregorio Numen sententiam dixisset.

23. Audi *Baronium ad annum D.* 1084. rem ex Leone Hostiensi ita narrantem: *Factum est autem, cum idem Papa Gregorius Missarum solennia celebraret, vir quidam, Ioannes nomine, juxta altaris crepidinem immobilis perstitit: cumq; ad altare deflexisset obtutus, subito in ecstasim raptus niveo candore columbam, cujus erat aureum guttur, super eandem aram adstare conspexit. Quæ inde leviter advolans, ac super dextrum Pontificis humerum recubans, alis protinus expansis, utrumq; protexit, ac tam diu sic perstitit, quousq; commixtio dominici corporis ac sanguinis in Calice fieret. Iterumq; se in dextrum humerum colligens inde ad Altare descendit, caput blandè super hostiam flectens. Viro illo, quid hæc sibi vellent, non intelligente, cum volatu pleno remeavit in Cælum. Post hæc homo ille ad se rediens nullo penitus hujus rei vestigia memoriâ tenuit. Nocte verò subsecuta cum se sopori dedisset, vir quidam illustrior sole, minaci vultu in medio domûs suæ hospitio eidem apparuit. Quô ille visô de strato suo exiliens terrore correptus, fugam tentat arripere. Vir autem ille porrectâ manu continuit, brachium ejus suaviter tenens. Cum autem ejus manus nequiret effugere, ac si vinctus, stetit invitus ad ejus mox auxilium quidam nivea canitie aspersus indutusq; sto.a candida adfuit, ejusq; mærorem consolans de manu se tenentis eripuit. Quem ille quisnam esset, hic tantæ claritatis*

 vir,

vir, quæsivit intrepidus. Hic, inquit, est Iustitiæ Sol. Et ille: nomen quoque, ait, tuum inquirenti similiter pande. Nequaquam (ait ille) scire te oportet nomen meum. Sed mihi ad interrogata responde. Putasné recolis, quid heri, dum in Ecclesia astares, vidisti? Ille cujus animum occupaverat oblivio, cæpit intra se volvere, quidnam esset, quod ab eo Senior quæreret, subitoq; reminiscens, cuncta sibi, quæ viderat, ex ordine retulit. Et ille: vade, inquit, celeriter, id hoc ipsum auribus Papæ intimato, ut constanter vigore S. Spiritûs, quod cæpit, exequatur. His dictis ab oculis ejus elabitur. Hæc ex Leone Baronius, quibus mox ista subnectit: *Quid Columba visio in Pontifice, nisi Spiritus Sancti eum instinctu regi, & gubernari? Quid insuper illud, quod eidem nunciari mandatur: ut vigore S. Spiritûs, quod cæpit, exequatur? nisi manifestum divino oraculo reddi, quæ ab eo hactenus gesta essent, ejusdem Sancti Spiritûs opere bene facta probari.* Hucusque Baronius, brevi hac exegesi subdita, visionem elucidans.

Suffragium ergo cælitus tulit Gregorius Noster, Immunitatis ac Ecclesiasticæ Libertatis imperterritus vindex, & ultor, quæ hodieque tam petulanter à Clero-mastigibus inspuitur, & conculcatur.

24. Cæterum quis nescit, passim in Occidente *sæculo nono* post Christi incunabula cælibatum Clericorum pessum ijsse? involutis plerisque ac inhiantibus ad illicita connubia, etiam qui primores inter Canonicos erant, famæ cæteroquin non pessimæ, atque hoc sine conscientiæ remorsu: nam usu & consuetudine illius sæculi defendebantur, certè cum Divus *Dunstanus*, Cantuariensis tunc Archiepiscopus, indicto per Angliam Concilio universali, adjuvante *Edgaro* Rege, hanc pestem tolleret ab Ecclesia, probante Summo Pontifice, substitutis in locum Clericorum Monachis; (ut vel sic lubricitati Statûs Ecclesiastici mederetur, quod anno Christi 970. evenisse

Baro-

Baronius, & cum eo *Spondanus* asserit) paulò pòst flexis ad invidiam animis Clericorum, gliscente tumultu idem Archipræsul res novas medicaturus cum *VVintoniæ* synodum cogeret, plerisque Episcopis ipsoque Rege *Edvvardo* pro Clericis postliminiò in Ecclesiam restituendis laborantibus, parum abfuit, ut Clerici malè feriati plenis postibus iterum se non intruderent: nisi è cruce suspensi Servatoris imago, quæ alta in templo prostabat, pro *Dunastano*, & Monachis interpellâsset; nam, teste *Matthæo VVestmonasteriensi*, ut eundem ad *annum Christi* 975. *Spondanus* allegat, suspensis omnium animis, & sententiam archipræsulis præstolantibus, attonitis omnibus, in hæc verba Crucifixi imago peroravit: *Non fiet, non fiet. judicâstis benè, mutaretis non benè.* Atque ita Clericorum lubrici mores Numinis sententiâ denuò damnati sunt, atque ab Ecclesia exesse jussi.

25. Quid dicam de Simoniæ labe? quæ passim toto orbe christiano impunè grassabatur, incuriosis præsulibus, & nequidquam titillante conscientiâ, hinc inde se quibusvis, malo more, ab inolitâ consuetudine tuentibus. Atque iisdem quasi temporibus, quibus effrænes tunc Clerici in conjugia ruebant. (ita catenata solent esse vitia, cum impunita sunt.) Lege *Baronium* desudantem percensendo conciliorum frequentiam, quibus inundantem per Ecclesias Simoniam Pontifices jugulatum ibant. *Engelheimij in Germania. ann.* 948. de incæstis Clericorum conjugijs, & simoniacis Ecclesiarum venditionibus tollendis acriter coacta synodo laboratum. Idem *Romæ sub Clemente, 2. ad annis Domini* 1047. Idem iterum in Germania eodem anno. *Remis postea, & Moguntiæ*, alijsque orbis partibus ad annum usque 1125. teste *Baronio*, plus quam duodecim concilijs hinc inde per Provincias malo huic eliminando insudatum: & utinam hodieque non gliscat. (ita nimirum potenter

inva-

invalescunt peccata, etiam gravissima, quando more communi, & consuetudine veteri focillata adolescunt.) Nulla ergo consuetudine, nullo usu, nullo more Principum, aut Antistitum etiam Ecclesiasticorum, in ijs authoritatem impunitatis, & sincerè factorum, vindicare sibi poterunt, quæ Jure divino, & SS. Canonum sanctionibus damnata sunt.

26. Neq; Principibus nostris succensendum arbitror, quorum per regna & provincias malum hoc damnatarum consuetudinum, & in Immunitatem Ecclesiasticam fœdè bacchantium impunè grassatur: Principes nostri pij magnam partem, & innoxij existunt, at ministrorum, & eorum qui ijsdem à consilijs sunt, operâ frequenter vapulant Clerici, & Immunitas Statûs Ecclesiastici; quibus utpote Jurisperitissimis à deplorantibus Libertatem suam Clericis illud *Legis. Meminerit. Cod. unde vi.* in aurem dici posset: Injuriæ nasci non debent, ubi Jus necesse est oriri.

27. Viderint tamen auricularij Principum, quos sacro in tribunali suppedaneos habent, an suam spartam gnaviter, & innoxiè curent, aurem non vellendo: peccata subditorum in Principem redundare. Sed nos telam nostram perteximus, relicturi ista rerum prudentioribus.

Atque hæc species prima Privilegii Clericalis; quâ SS. Canones Personas Ecclesiasticas à foro Laicorum absolvunt, hucusque à nobis disputata est: restat ut ad alia, quæ personas Clericorum attinent, duo Privilegia disputanda accingamur, duabus sectionibus, duobusque capitibus velut intercalaribus absolvenda.

SE-

SECTIO I.

CAPUT UNICUM.

DE PRIVILEGIO CANONIS.

§. *I.*

SUMMARIUM.

Privilegium Canonis quid importet. n. 1.

Differentia inter Privilegium Canonis & Fori, bene notanda. 2. omnes Clerici & Religiosi in approbatâ religione viventes gaudent Privilegio Canonis. Etiam Clerici conjugati cum unicâ & virgine, modo habitum & tonsuram deferant, quæ. 2. copulativè requiruntur. n. 3. & 4. gaudent eodem Privilegio etiam Clerici irregulares, suspensi, interdicti, excommunicati, degradati verbaliter tantùm, imo etiam mortui. 5.

Excluduntur ab hoc Privilegio, quotquot superiùs ob delictum carere Fori Immunitate debere diximus: sicut sunt degradati realiter, bigami, modo non sit tantum bigamia interpretativa, item illi, qui se enormitatibus notoriè maculant, & immiscent. Hæretici, probabiliter etiam Scismatici, & alij plures hoc num. 6. allegati.

Quare uxores & filij Clericorum conjugatorum non gaudeant hoc Privilegio. eod. n. 6.

Quinam nomine Monachorum veniant, ut gaudere hoc Privilegio possint. n. 7.

Novitij in approbata Religione viventes, gaudent hoc Privilegio. n. 9.

Sunt aliqua personæ, quæ gaudent hâc Immunitate ex speciali Privilegio. n. 9.

Equites S. Ioannis, aliiq́, qui sunt Ordinum militariũ, quando, & an gaudeant hoc Privileg. n. 10. & 11.

1.

EXpediti igitur, quo ad primam speciem Immunitatis personalis Clericorum, quod est Privilegium Fori, superest altera in ordine species Immunitatis personalis tradenda, quæ

est Privilegium Canonis, ab Innocentio II. in Concilio Lateranensi concessi, & *in c. si quis suadente.* 17. *q.* 4. relati. Quo quidem Privilegio immunes esse jubentur Clerici ab omni violenta percussione, vel læsione injuriosa.

2. Hac notabili differentia inter Privilegium Fori, & Canonis, ex probabiliori sententia adnotandâ, quod privilegio Canonis gaudeat Clericus, tantummodo tonsuratus, etsi alia requisita, de quibus *Trident. sess.* 23 *c.* 6. *de reform.* & nos suprà *hac disput. c.* 2. egimus, ad hoc, ut frui Clericus privilegio fori possit, non habeat; quia quoad hoc privilegium Canonis obtinendum *Concil. Trident.* nihil de Jure veteri immutat. Ergo stamus in terminis Juris antiqui: Et ita cum plurimis citatis à se tenet *Barbos. sæpe dicto tract. Iur. univers. Eccles. lib.* 1. *c.* 39. § 1. *num.* 2. *&* 3. *Et de off. & pot. Episcop. p* 2. *alleg.* 12. *n.* 32. *vid. etiam Navarr. in manual. c.* 27. *num.* 79. *& in cons.* 24. *de Privileg.* 2. *edit. Thusc. in conclus. pract. Litt. P. concl.* 274. *num.* 3. *Leyman. lib.* 1. *tract.* 5. *p.* 2. *c.* 5. *n.* 4. *Nicol. Gars. de benef. p.* 2. *c.* 2. *num.* 20.

3. Dixi ex probabiliori sententia: sunt enim aliqui citati à *Leyman. dicto loco. & Barbos. allegato c.* 39. §. 1. *n.* 3. *in fine* maximè Theologi, qui docent, eadem requisita, tam quo ad hoc Privilegium Canonis, quàm quo ad Privilegium Fori requiri, quorum argumenta cum à pari potissimum petantur, parum in materia juris antiqui correctoria ponderis habent. Et obtinere debet, quod notat *Iustinianus. in L. sancimus. Cod de Testam.* Quod non mutatur, Cur stare prohibeatur?

4. Cæterum omnes Clericos, vel Religiosos, certæ, & approbatæ à Sede Apostolica regulæ, vel Religionis, professores, quotquot de Jure, & secundum communem sententiam Doctorum prohibiti non sunt, gaudere hac Canonis Immunitate dicimus, adeo, ut neque Clericos conjugatos cum

unica,

unica, & virgine, modò habitum, & tonſuram deferant, quæ duo copulativè requiri teſtis eſt *Covarr. pract. qq. c. 1. n. 7. verſ. aut incedit. & textus eſt in c. unico. de Cler. conjug. in. 6.*

5. Neque irregulares, ſuſpenſos, interdictos, vel excommunicatos, aut degradatos (tantummodo tamen verbaliter) quin neque ipſos etiam mortuos ab hoc Privilegio excludimus. per ea quæ, notantur in *gloſſ. cit. c. ſi quis ſuadente. Molin. tract. 3. diſput. 56. n. 12.* & tenet etiam *Thuſcus. dicta concluſ. 274. num. 15. Clarus. §. fin. q. 77. Navarr. in manual. cit. c. 27. Barbos.* cum plurimis à ſe allegatis *dicto. §. 1. c. 39. num. 4. & ſeq. & de pot. Epiſc. p. 3. alleg. 110. n. 3.* De mortuo *teſtatur abb. & Felin. in c. à nobis. il. ſecundo de ſentent. excomm.*

6. Excluduntur autem ab hoc Privilegio ex communiori ſententiâ, quotquot etiam ſuperiùs ob delictum Privilegio Fori carere debere diximus. hinc degradatos realiter. *per c. degradatio. in 6. de pœnis. teſte Barbos. cit. §. 1. c. 39. n. 6.* Hæreticos, & ſecundum aliquos etiam Sciſmaticos, teſte *Farinacio, de hæreſi. q. 189. num. 33. Decianus in tract. crim. lib. 5. c. 41. num. 12. & c. 42. n. 2.* Bigamos, modo non ſit bigamia tantum interpretiva. teſte *Leyman dicto c. 5. num. 5.* ab hoc item Privilegio excludimus. His adnumeramus etiam Clericos enormitatibus ſe immiſcentes, ſicut adſtipulatur idem *Leyman. ubi ſuprà. Molina. fuse tract. 3. de jur. & juſt. diſp. 54. & tribus antecedentibus.* Item in minoribus exiſtentes ordinibus, qui dimiſſo habitu & tonſura tertiò moniti ſæcularibus negotijs ſe immiſcent. *per c. contingit. de ſent. excom. in 6. Sayrus. de cenſur. lib. 3. c. 27.* Mimos vel hiſtriones, Item officium Lanionis exercentes, ſi ter moniti etiam ante lapſum anni non deſiſtant, *per ea, quæ ſupra hac diſp. c. 6.* de ejusmodi delinquentibus diximus quo ad amiſſionem Privilegij Fori, & notat etiam *Leyman. ubi ſuprà. c. 5.* uxores autem, & filios, & famulos Clericorum propterea ab hac Cano-

nis prærogativâ arcemus, quod quo ad suas personas neque tonsura, neque ordinibus, aut approbatâ aliquâ religione initiati sint, consequenter neque Clerici, quibus cum religiosis dicto Canone hoc Privilegium concessum est. *vid. supr. cit. Barbos. dicto. c. 39. §. 1. n. 4. & 15.*

7. Quantum ad Monachos, quos dictus Canon hac Immunitate & privilegio gaudere vult, censemus, velut suprà quoque notavimus, Canonissas, ut notant sæculares, aliásve mulieres, vel viros, approbatam religionem non professos, ad hoc Privilegium non admitti. Monachi enim appellatione, sicut notat *Barbos. in suo tractat. de appellativis. appellativâ* 154. veniunt omnes Religiosi, & Religiosæ, etiam conversi, præsertim in favorabilibus, approbatam religionem professi, per ea quæ in præsens argumentum notantur *in. c. indemnitatibus. §. supra dicta. de Election. in 6.* vide *Decianum in contrarium. qui in suo tractatu criminali. lib. 6. c. 17. num.* 13. putat etiam Canonissas sæculares, aliásve prædictas mulieres inclusas, & religiosè viventes etiam nullam regulam vel ordinem approbatum professas hoc Privilegio gaudere, quod tenet etiam *Thuscus littera. I. conclus.* 59. Quæ tamen sententia nonnisi longè petitis ratiocinationibus ex allegatis textibus ab eodem Deciano stabilitur.

8. Si objicias: Novitios nullam approbatam Religionem esse professos, & tamen gaudere hoc Privilegio, sine dubio propterea quia religiosè vivunt. Respondeo Novitios certæ, & approbatæ alicujus religionis existentes ideo gaudere, quod in via sint ad profitendum, cum proximè cingendus habeatur pro accincto. *L. penult. ff. de milit. testam.* nam ut notat *Baldus ibidem.* potentia quæ est propinqua actui, pro actu habetur, vide ad hoc axioma etiam *Schneidew. & Angel. Aretin. instit. de excusation. tutor. ff. item ij, qui,* ut taceam, esse expressum textum

tum hoc Privilegium ad Novitios extendentem *in c. religioso. de sent. excom. in 6.* vide plurimos citatos apud *Barbos. dicto c. 39. §. 1. num. 21.*

9. Si qui alij non Religiosi hoc Privilegio gaudere dignoſcuntur, ſicut de Tertiarijs tenet *Leyman. cit. c. 5. num. 4. Barbos. ubi ſuprà.* Illud ſpeciali Privilegio deſuper à Leone X. conceſſo, & allegato *à Rodriquez. qq. regul. tom. 2. q. 65. art. 5.* adſcribendum erit. vide tamen etiam quæ notat. *Gloſſ. in c. non dubium. c. ex tenore. c. monialibus. de ſent. excom.*

10. De Equitibus S. Joannis Hieroſolimitanis, Alcantaræ, Calatravæ, S. Lazari, & ſimilibus res difficilior eſt, cum plerique tria vota eſſentialia non profiteantur, ſed vel unum tantùm, vel duo ſolùm, aut omnia quidem tria, ſed modo aliquo imperfecto: Sentio cum *Nicol. Garſia. de benef. p. 1. c. 4. a. n. 5.* & quæ notat *Bonacin. de cenſur. diſp. 2. q. 4. p. 1. num. 7. Sanchez in moralibus, lib. 4. c. 16. n. 11. Azor. tom. 1. lib. 13. c. 3. q. 3. Navarr. lib. 3. conſil. 11. 12. & 13. conſ. & de reditib. Eccleſ. q. 1. monitu. 55. & 93. item monitu 27. & 29.* verè & propriè religioſos non eſſe, cum ſecundum S. Thomam 2. 2dæ. *q. 186. art.* 4. Status religioſus eſſentialiter includat emiſſionem trium votorum, caſtitatis, paupertatis, & obedientiæ. ſicut etiam in titulo de Regularibus docuimus, Probabiliter tamen inter perſonas Eccleſiaſticas computandos eſſe, & cum illorum Ordines à SS. Pontificibus approbati ſint, videtur ſufficere, quod nomine Monachorum, etiam ejusmodi regulares, cum hic de illorum favore agatur, ad gaudendum Fori Privilegio, comprehendantur, modo tamen non omninò ſæculariter incedant, ſintque potius aularum, quam domorum Religioſarum incolæ, aut more aliorum ſæcularium, ſine ullâ tonſurâ aut coronâ in privatis domibus cum uxoribus habitent, familiæ & procreationi prolis potiſſimum intenti.

 11. Pu-

11. Putarem enim, nisi aliud ex Privilegijs sibi specialiter, vel per communicationem concessis docere possent, probabiliter eo in casu neque Canonis, neque Fori Privilegio gavisuros. vide etiam *Aloys. Riccium in suâ prax. p. 4. tit.* Praxis Religiosorum *Ord. Milit. resol.* 177. *Barbos in suo tract. de appellativ. verbo. Religiosus. appell.* 233. *ubi. n.* 4. nostram sententiam cum citatis ibidem amplectitur. Atque hoc quidem quo ad personas, quæ Privilegio Canonis ex communiori sententia frui posse censentur.

§. II.

SVMMARIVM.

Quid per violentam manuum injectionē intelligatur, & quare percussionis manualis principaliter mentio fiat in Canone. n. 1.

Quæ sint requisita ad incurrendam excommunic. ex percussione. 2.

Clericum capillis prehensum, si taliter quis alloquatur: nisi esses Clericus, hoc vel hoc tibi facerem, excommunicationem Canonis incurrit, imò si modo ejus vestitum, vel capucium apprehendens ijs verbis utatur. n. 3.

Sola elevatio manûs, vel vibratio gladij, aut projectio lapidis, si Clerici personam non contingit, non facit excommunicatum. n. 4. *cum limitatione notabili. n.* 5.

Propter sola verba injuriosa in Clericum jacta non incurritur excommunicatio. n. 6.

Profusio salivæ, vel alterius liquoris in Clericum per contumeliam facta, facit incurri excommunicationem. 7.

Item qui injuriosè ex manibus, vel aliâ parte corporis Clerico librum, pileum, aut vestem diripit, frangit, vel discindit: imò solum etiam frænum equitantis Clerici per injuriam occupat, & invadit. 8. *&* 9.

Diripiens furtivè, & præscindens marsupium Clerico, vel è sacco trahens, aut vestes Clerici in lecto decumbentis rapiens, non incurrit hanc excommunicationem. 10.

Qui cibo vel potu venenato interficit, eidem subijcitur excommunicationi. 11.

An monialis gravida ad expellendum fœtum, medicamentum, aut certas potiones accipiens incur-

rat hanc excommunic. n. 12. resolvitur negativè. ibid.
Etiam consentiens percussioni Clericus, sive non invitus existens, facit nihilominus percutientem incurrere excommunicationem, 13.
Clericus irato animo, vel tadio vitæ, vel ex alia irrationabili causâ injuriosè se percutiens subjicitur censuræ. 14. affertur ratio ibidem.

I.

QUantum ad violentam manuum injectionem attinet, dicimus per illam intelligi quamvis injuriosam, seu contumeliosam actionem contra Ecclesiasticam personam intentatam, consistentem immediatè in factô, & opere, sive jam illa actio contingat manibus sive pedibus. Fit autem quasi per Antonomasiam in Canone mentio percussionis manualis, quod manûs instrumentum consuetum sit, per quod alteri vis injuriosa inferri soleat, per ea, quæ notat *Navarr. in manual. c.* 27. *num.* 77. *Sayr. lib.* 3. *c.* 26. *num.* 11.

2. Erit autem hæc percussio injuriosa ad hoc, ut aliquis ex illa incurrat excommunicationem, ita necessariò qualificata:

Primò, ut morali æstimatione ad gravem injuriam sufficiat.

Secundò, ut per eam peccatum mortale incurratur, saltem in Foro conscientiæ.

Tertiò, ut personam Clerici aliquô modô contingat.

Et ita tenent cum *Molin. de jur. & just. tom.* 4. *disp.* 57. *Sylvestro. verbo. excommunicatio.* 6. *Covarruvias. in c. alma Mater, p.* 1 §. 9. *num.* 2. *Gutierez. canon. qq. lib.* 1. *c.* 5. *num.* 17. *Steph. Gratian. discept. Forens c.* 559. *Barbos. dicto tract. jur. univers. Eccles. lib.* 1. *c.* 39. § 1. 4. *num.* 25.

3. Hinc tenent citati *ab eodem Barbos. dicto modò numero*, quod, si quis Clericum capillis injuriosè apprehensum taliter allo-

alloquatur: nisi esses Clericus, hoc & hoc tibi facerem, excommunicationem incurrat: Imo tametsi cum ejusmodi verbis comminatorijs solùm apprehendat capucium, vel vestimentum, eâdem censurâ feriatur.

4. Quod si tamen sola fieret manus elevatio, vel gladij vibratio, aut projectio lapidis, tunc nisi personam Clerici quoque contingat, non putamus ejusmodi censuram incurri. cùm percussisse veraciter dici nequeat, qui tantùm vibrat gladium, aut elevat manum.

5. Interim si ad ejusmodi vibrationem gladij, vel comminationem verberum, aliquis quasi in carcere, in domô etiam propria inclusus detineatur, vel saltem apponantur ad fores, qui minitentur capturam, si exiverit, communiter receptum est, per ea, quæ notat *Sayrus dict. lib. 3. c. 26. Abb. & Felin. in c. nuper. de sent. excomm.* per hujuscemodi vim injuriosam illatam incurri excommunicationem: est enim detentio injuriosa contra libertatem Clerico, ut cuivis homini, Jure naturali competentem.

6. Sola autem verba, quomodocunque in Clericum profusa (nisi accedat violentia aliqua realis, ut si præter verba circumcingat Clerici domum, atque ita exeundi libertatem ei adimat) nunquam reum subjiciunt excommunicationi. Per ea, quæ notat *Suarez. de censur. disp. 22. sect. 1. num. 23. num. 30. & 31. Navarr. in Manual. c. 27. num. 77.*

7. Profusio autē salivæ, vel aquæ, aut alterius liquoris per contumeliam facta, indubitanter profundentem excommunicatione afficit. teste *Gloss. cit. c. si quis suadente. verbo. manus. Decianus in suo tract. crimin. lib. 6. c. 19. num. 3. & 4. Aloys. Riccius. p. 3. collectaneorum. decis. 682. Francis. Marcus. decis. 819. p. 2.*

8. Qui eandem quoque incurrere excommunicationem ait illum, qui de manibus, aliáve parte corporis Clerici, librum, pileum,

pileum, vestem, pecuniam, vel aliam rem diripit, aut frangit, vel discindit.

9. Imo solum etiam equi frœnum per injuriam occupando. *Navarr. ubi suprà. Menoch. de arbit. judicum. casu.* 389. *n.* 17. *Leyman ubi suprà dicto c* 5. *num.* 5.

10. Qui tamen meâ opinione cum *Molin. tract.* 3. *disp.* 51. *& Sayr. de censur. lib* 3. *c.* 26. *num.* 16. rectè docet, excommunicationi non subjici eum, qui dolose marsupium præscindit, vel è sacco trahit, aut decumbenti in lecto vestes rapit, modo ea intentione non faciat, ut taliter eum in loco includat, tunc enim, ut ex præcedentibus patet, excommunicationi subjiceretur.

11. Cæterum, tametsi certum quoque videatur, per ea, quæ notat *Molin de jur. & just. dict. tract.* 3. *disput.* 51. *Suarez de censur. disput.* 5. *sect.* 1. *num.* 13. *& disput.* 22 *sect.* 1. *num.* 23. *&* 28. etiam in excommunicationem incidere eum, qui cibo vel potu venenato interimit.

12. Dubitant tamen, an, si gravida monialis medicamentum fætui mortiferum accipiat, eandem incurrat censuram. Et sentio breviter, hoc casu nullatenus dictâ excommunicatione feriri, cum hæc actio non tam moniali, quam fætui sit violenta, vel si violenta quoque naturæ monialis est, non est violenta personæ, per se & ex intentione, neq; (secundum aliquos) statui Ecclesiastico injuriosa. *per ea, quæ notat Sayrus dicto lib.* 3. *c.* 26. *num.* 17. *& lib.* 5. *c.* 19. *num.* 4. *Molin. ubi suprà disput.* 50.

13. Quia tamen hæc prærogativa Immunitatis Clericis intuitu totius ordinis Clericalis concessa est, ut tenent Interpretes communiter *in c. contingit. de sent. excommunic.* & notat *Sayrus. lib.* 3. *dicto c.* 26. non oberit, secundum communiorem sententiam, quin incurratur hæc Censura, tametsi Clericus invitus non sit & consentiat perjussioni, adeoque in hoc casu

Mm locum

locum non habeat commune verbum: quod volenti non fiat injuria, maximè, cum plurimi *citati apud Barbos. dicto c. 39. §. 1. lib. 1. num. 41.* teneant:

14. Clericum irato animo, vel tædio vitæ, vel ex aliâ irrationabili causa injuriosè seipsum percutientem, huic censuræ subjici, quod valde probabile est, cum etiam in propriâ personâ, utut volens sit, evitare non possit, quin dignitas status Clericalis, in cujus favorem hoc Privilegium immediatè concessum est, lædatur. Contrarium, quoad hoc, tenet *Barbos. in Collectaneis ad Decretum Gratiani. ad cit. c. si quis suadente. 17. q. 4.* Et hæc quantum ad ipsos percussores.

§. III.

SVMMARIVM.

Mandantes, consulentes, factum suo nomine ratihabentes, dolosè percussionem non prohibentes, cum possent & deberent, ad hoc auxiliantes, aut favorem præstantes incurrunt excommunic. ob secutam actualem Clerici percussionem. 1.

Quæ pœnitentia in mandante requiratur, ad effugiendam excommunic. 2.

Mortuus post mandatum, antequam mannum injectio fiat, non habetur pro excommunicato. allegatur ratio ibidem. n. 3.

Probatur textibus, illos omnes, quos num 1. excommunicat. incurrere diximus, hâc censurâ de jure innodari. num 4. 5. & 6.

1.

CÆtenum mandantes quoque, consulentes, sicut & ratihabentes factam suo nomine, aut percussionem, cum possent, maximè si & deberent, ut quia Judicis, aut Magistratus officio funguntur, dolosè non prohibentes, auxiliantes, aut favorem præstantes, excommunicationem incurrere, ob actualem percussionem Clerici, communiter docent, ut videre est, per *Barbos. dicto. c. 39. §. 3. a. n. 42.* Et tenet *Navarr. in*

Manuali.

Manuali. c. 27. n. 78. Sayrus. cit. lib. 3. c. 15. & c. 26. Molin. dicto tract. 3. disput. 52. Canonistæ communiter *in. c. mulieres.* §. *ultimo. de sent. excomm. c. quanta. eod. tit.*

2. Neque, quantum ad personam mandantis attinet, sufficeret inefficax aliqua pœnitentia, & revocatio mandati solo animo facta, vel mandatario non sufficienter, vel re non ampliùs integrâ, insinuata. Sed talis debet esse, quæ maturè notificetur mandatorio, aliàs enim non effugeretur censura. Sicut bene notat *Gloss. cit. c. mulieres. verbo. authoritate.* & allegati superiùs Doctores.

3. Mortuus tamen mandans post mandatum, antequam manuum injectio fiat, non incurrit excommunicationem, licet postmodùm mandatarius, vi mandati antecedenter habiti, in Clericum violentas manus injiciat. sicut notat. *Leyman. dicto c. 5. n. 7. Azor. tom. 2. lib. 5. c. 26. q. 2. Sayrus. de censur. lib. 1. c. 8. n. 12.* omne enim mandatum ipsâ morte mandantis exspirat. §. *item. si quis. inst. tit. de mandato.* & ibi communiter Interpretes. *c. relatum. & c. gratum. de offic. delegati.*

4. Quoad ratihabitionem modô superiùs dictô factam, *text. est in. c. cum quis. ibi Gloss. verbo. suo nomine. de sent. excom. in. 6. Sayr. dicto. lib. 3. c. 26. Molin. tom. 3. cit. disput. 52.* ratihabitio enim retrotrahitur, & comparatur mandato. *c. ratihabitationem. de regul. jur. in. 6.*

5. Quoad nolentem prohibere, cum possit. *textus est, & Glossa, atque communis Doctrina Abbatis. Felin. aliorumq; Interpretum in c. quanta. de sent. Excom. cit.* Et præter *Suarez. de censur. dicta disput. 22. sect. 1. n. 56. Sayr. de cens. cit. c. 26.* tenet *Covarr. in clement. si furiosus. p. 2. §. 2. n. 7. Barbos. sæpe dicto. §. 1. c. 39. num. 50.*

6. Quantum ad auxilium, vel favorem præstantes attinet. *Gloss. est. in. c. Mulieres. cit. de sent. excom. Sayr. d. lib. 3.*

 c. 26.

c. 26. Et quæ notat *Menorh. de arbitr. jud.* in genere de opitulantibus in ordine ad delinquendum. *Boërius decis. 167.* atque has quidem personas omnes excommunicationis sententiâ notari putamus.

§. IV.

SVMMARIVM.

Pueri, amentes, ebrij, pleno rationis usu, & ad peccandum mortaliter sufficiente carentes, etsi percutiant Clericum, non incurrunt hanc Censuram. n. 1.

Item pagani, & Iudai, utpote qui sunt extra Ecclesiam, ejusdem Iurisdictioni non subjecti. 2.

Sicut & illi, qui habent probabilem ignorantiam qualitatis Clericalis in personâ percussâ. 3.

An percutiens Iacobum Clericum, ratus esse Marcum ejusdem qualitatis, incurrat excommunicationem? n. 4.

Excusantur ab eâdem censurâ jocosè tantùm, vel casu fortuito verberantes. 5.

Sicut etiam, qui hoc faciunt cum moderamine inculpata tutela. 6. vide ibidem quid ad moderamen inculpata tutela requiratur, eodem n.

Mulier percutiens Clericum sollicitantem ejus pudicitiam non tantùm verbis, sed & ipsô factô, excusatur. 7.

Similiter, qui percutit Clericum cum propriâ uxore, matre, filiâ, aut sorore, turpiter deprehensum. 8. ubi explicatur, quid sit turpiter cum ejusmodi personis comprehendi. eod. n. 9.

Nomine uxoris intelligitur etiam sponsa, matris autem, filia aut sororis nomine, illa qua secundum proprietatem horum nominum veniunt, non per ampliationem, aut Iuris fictionem, affertur exemplum ibid. n. 10.

Superior, Pater, & Magister, causâ correctionis Clericum percutientes non incidunt hanc censuram. vid. ibid. limitationem. n. 11.

An his personis liceat per viam correctionis alijs demandare verberationem Clerici, & quibus? n. 12. & an saltem tunc liceat id facere per Laicam personam, quando illud consuetudine alicubi locorum receptum est? n. 13.

Quod suprà de Patris potestate percutiendi filium causâ correctionis diximus, aliqui negant, rati

fore

fore ejusmodi percussionem saltem temerariam, si non violentam, tanquam à Laico factam, cum post Clericatum Ecclesiasticæ correctioni filius subjectus sit. n. 14.

Excusatur etiam Laicus ab incurrendâ excommunicatione violentiam inferens Clerico, quando eum in flagranti crimine, vel cum armis prohibitis (modo fiat cum moderamine inculpatæ tutela, & sine excessu violentiæ) comprehendit. v.g. si Iudex Laicus, vel ejus Ministri, vel nocturna excubia, Clericum taliter comprehensum capiunt, ac ligant, ut, quàm primùm fieri possit, eum suo superiori sistant. 15.

Ampliatur hoc probabiliter etiam ad privatum hominem, casu quo Clericum videat præparatum ad offendendum alterum, præsertim graviter, & compescere aliter non possit. quod à fortiori procedit, si id à privato fiat, ad propriam sui, vel suorum bonorum defensionem. 16.

1.

VErùm, sicut nulla Regula sine exceptione est, ita & in proposito aliquos excipi certum est, qui, tametsi percusserint Ecclesiasticam Personam, in præfatam tamen excommunicationem non incidere, satis communiter à Doctoribus tenetur.

2. Inter hos numeramus primò, Pueros, amentes, ebrios, pleno rationis usu, & ad peccandum mortaliter sufficiente carentes. *Navarr. in manuali. c. 27. num. 76.*

3. Secundò, qui sunt extra Ecclesiam, ejusdem jurisdictioni non subjecti, ut Pagani, Judæi, *Suarez dictâ disput. 22 sect. 1. text. est in c.* 14 *de Iudæis. Barbos. ubi suprà. num.* 56.

4. Tertiò, habentes probabilem, non crassam ignorantiam in personâ percussâ qualitatis Clericalis, vel Ecclesiasticæ inexistentis. *per text. in c. si verò de sent. excomm. Mascard. de probat. concl.* 348. *Suarez dict. sect.* 1. *Covarr. in c. alma Mater. p.* 1. §. 10. *num.* 15. *Sanch. de Matrim. lib.* 10. *disput.* 32.

5. Dixi, habentes ignorantiam &c. qualitatis, vel personæ Clericalis. Scienter enim percutiens Clericum, ignorans esse Jacobum, cum putaret Joannem, non excusatur à censurâ, cùm habeat scientiam Cleticalis Statûs, quam, percutiendo præsentem hominem, injuriâ afficit.

6. Quartò, jocosè solùm, vel casu fortuito verberantes. *per textum. c. 1. & 3. de sent. excomm. ibidem Abbas.* deest enim animus injuriandi.

7. Quintò, defendentes se cum moderamine inculpatæ tutelæ, percutiendo Clericum, non innodantur hac censurâ. *per text. in c. si vero. il. primo. de sent. excomm. Covarr. in Clement. si furiosus. p. 3. §. unic num. 5. Leyman. dict. c. 5.* Consistit autem moderamen inculpatæ tutelæ in tribus. Primò, in modo, ut, si quis invaderetur nuda manu, non posset se defendere manu armatâ *L. 1. §. sed si clava. ff. de sicarijs.* Secundò, in tempore. ut fiat scilicet in continenti. *Mascardus. de probat. conclus. 1126. per Gloss. in L. 1. Cod. unde vi.* Hinc ex intervallo percutiens Clericum, à quo antè verberabatur, indubitanter Excommunicationem incurret, ut rectè advertit. *Decianus. in suo tract. crim. lib. 6. c. 7. n. 22.* Et tertiò, in causâ, ut talis scilicet & tanta sit propulsatio, qualis necessaria est ad justam sui defensionem, per ea, quæ notat *Barbos. in c. significasti. de homicid.* & quæ ad propositum allegat. *Aloys. Riccius in decis. curiæ Episcop. Neapolit. p. 4. decis. 159.* ubi bene notat: semel percussum unâ alapa v.g. à Clerico, prætextu defensionis, non posse Clerico alterum infligere, nisi probabiliter credat, Clericum ictus geminaturum esse. Sicut ibidem etiam rectè advertit: Sæcularem non obligari fugere, si ignominiosa ipsi fuga sit, sed se posse cum dicto moderamine inculpatæ tutelæ contra Clericum defendere.

8. Sextò, Mulier percutiens Clericum, non solis tamen verbis,

verbis, sed & facto sollicitantem ejus pudicitiam. Ita *Navarr. in manual. c. 27. num. 85. Suarez. disput. 22. sect.* 1. Sicut etiam

9. Septimò, percutiens Clericum turpiter deprehensum cum propriâ uxore, matre, filia, aut sorore. *c. si verò. il.* 1. *de sent. excomm.* ubi *Gloss.* rationem dicit esse: quod difficillimum sit, ejusmodi justum dolorem compescere. *Suarez dicta disput.* 22. *sect.* 1. *Navarr. cit. c.* 27. *num* 84. *Cavall. comunium contra com. q.* 833. *num.* 30. *Sayrus dicto lib.* 3. *c.* 21.

10. Intelligimus autem nomine turpiter comprehensi, quemcunque actum libidinosum cum ejusmodi personâ exercentis; v. g. sæpius luxuriosè deosculando, tangendo, amplexando, vel quoties in loco suspecto, & habili ad peccandum solus cùm sola est. per ea, quæ fusè notat *Covarr. de Sponsal. p.* 2. §. 6. *num.* 3. *Suarez sæpe dicta sect.* 1. *num.* 37.

11. Nomine autem uxoris intelligimus etiam Sponsam de præsenti. venit enim Sponsa de præsenti nomine uxoris. *Barbos. in tract. de appell. appellat.* 289. *Sanchez de matrim. lib.* 1. *disp.* 1. *num.* 6. *Covar. eodem tit. de Spons. p.* 1. *c.* 1. *num.* 8. Nomine verò matris, filiæ, vel sororis, intelligi volumus, quæ secundum proprietatem horum nominum veniunt, non per aliquam solum ampliationem, aut Juris fictionem, ut sunt adoptivæ, vel vel avia, neptis, & similes personæ, sumus enim in materiâ pœnali, & odiosâ. teste *Navar. in manual. c.* 27. *cit. num.* 94. *Molin. dict. tract.* 3. *disput.* 55.

12. Octavò, excusatur ab excommunicatione incurrenda, percutiens Clericum causa correctionis, habens ad hoc facultatem, & jurisdictionem, tanquam superior, Pater, aut Magister. Modò ad eam faciendam odio, iniquitate, aut invidiâ, non exstimulentur. Per ea quæ notant *Interpretes in c. universitatis. de sent. Excomm. c.* 1. *c. ex tenore eod. tit. ibid. Barbos.* & quæ notat *Suarez. de cens. disput.* 22. *sect.* 9.

13. No-

13. Nota tamen. ex *cit. c. Vniversitatis.* ejusmodi percussionem causa correctionis, faciendam esse per ipsum superiorem, habentem jurisdictioem in clericum percutiendum, vel si necessitas hoc non admittat, fiat imperio superioris ab alio Clerico, vel personâ Ecclesiasticâ, ita, ut putet *Suarez. dicta. sect. 3. num. 42.* allegatus à *Barbos. ad c. universitatis.* evitare ejusmodi censuram prælatum regularem, si ex causa necessitatis etiam per conversum, inobedientem discipulum percutiat.

Per Laicum autem percutere etiam causâ disciplinæ, concessum non est, ut text. est expressus *in eodem c. Vniversitatis.* & plures allegati. *à Barbos ad idem c.* hoc tenent.

14. Credo tamen, satis probabile esse, quod docet *Suarez. eâdem sect. num. 48. Zerola. verbo. Excommunicatio. p. 1. §. 8.* excusari prælatum ab hac censurâ, percutientem subditum sibi regularem per manum Laici, si talis consuetudo ibi locorum vigeat, ut talem esse in Gallia testatur *Barbos. sæpe dicto. c. Vniversitatis. cum Eman. Rodriq. qq. regul. tom. 2. q. 19. a. 8.* hinc *cit. loc.* rectè monet *Zerol.* quod hodie propterea liceat Clericos, cum torquendi sunt, etiam per Laicos torquere, cùm hoc ita ferat consuetudo adminiculante necessitatis concursu, eò quod non reperiantur Clerici, qui sciant ligare, solvere, & erigere torquendos. vide etiam *Sayrum. de cens. lib. 3. c. 27. num. 26.*

15. Cæterum, tametsi non pauci velint, Patrem posse filium Clericum, maximè in minoribus constitutum, corrigere percutiendo, cùm major debeat esse posse ejus potestas in filium, quam magistri in discipulum, quem constat ex *c. 1. & c. ex tenore. cit. tit. de sent. Excomm.* corrigere posse. Puto tamen, probabilius esse, eum in ordine ad disciplinam corrigere filium percutiendo nequire, non quòd ordines Ecclesiastici liberent absolutè à patria potestate, cùm illud tanquam speciale solùm de Episcopo provisum sit. *test. abb. in c. cum voluntate*

tate

tate de sent. excomm. sed quòd saltem temeraria, etsi non violenta, videatur percussio ab homine Laico, quoad personam Ecclesiasticam facta, præsertim cum correctioni Ecclesiasticæ post Clericatum talis filius subjectus sit. Contraria tamen sententia etiam multum probabilitatis habet. vide etiam *Leyman. lib. 1. tract. 5. p. 2. c. 5. n. 9.* ubi conatur contrariæ sententiæ fundamentis respondere.

16. Nonò, excusatur Laicus eo in casu violentiam inferens Clerico, quem suprà hâc *ead. disput. 2. c. 6.* examinavimus, quando scilicet Judex sæcularis, vel ejus ministri, aut excubiæ nocturnæ Clericum in flagranti crimine, vel cum armis prohibitis noctu deprehensum eâ intentione, cum moderamine tamen, & sine excessu violentiæ in tali casu licitæ, capiunt, ligant, ut, quamprimum possunt, eum suo Superiori sistant.

17. Quod ampliamus ad privatum etiam hominem, si quidem videat Clericum, ad offendendum alterum, præsertim graviter, præparatum, & aliter eum compescere nequeat, quatenus eum ligare, ac capere valeat, ipsum Episcopo suo, quam proximè possit, consignaturus. Sicut à fortiori, hoc posse, docent *Riccius in decision. Curiæ Neapol. pag. 4. decis. 391. num. 5.* si quis ad propriam sui vel suorum bonorum defensionem hoc faciat: per ea, quæ not. *Abb. in c. cùm non ab homine. de judic. & c. si verò. il. 2. de sent. Excomm. num.* 61. *Gloss. in expositione. casus c. si Iudex. eod. titul. in 6. Diana part.* 1. *tract.* 2. *de Immunit. resolut.* 10. 11. & 12. *Barbos. plures allegans dicto* §. 1. *c.* 39. *num.* 80.

§. V.

SUMMARIUM.

Ab excommunicatione ob percussionem Clerici notoriam, violentam, ac injuriosam regulariter solus Papa absolvere potest. n. 1.

Nn Limi-

Limitatur hac regula, ut non procedat etiam in notoriâ percussione, si illa tantummodo fuerit levis, qua an talis sit, Iudex arbitrabitur, ex communi sententiâ. 2.

Quando regulariter levis percussio censeatur ex doctrina Bonacin? 3.

Clerici collegialiter viventes, ac mutuò se verberantes, quoties enormis percussio non est, absolvi possunt ab Ordinario loci. 4.

Idem sentiendum de regularibus mutuò se percutientibus, & probabiliter etiam, si hoc extra claustra eorum contingat, absolvi ab eorum superioribus possunt. 5.

Et ampliamus hoc etiam procedere, si Monachus unius Monasterij regularem alterius verberet, modò tamen his casibus non sit enormis percussio. 6.

Quod si Religiosus in Clericum sacularem manus violentas inijciat, si enormis percussio non est, ab Episcopo absolvendus erit. 7.

Novitius ob percussionem Clerici ante quàm Religionem ingrederetur, absolvi ex mente Bonacina ab Abbate suo potest, cum limitatione ibidem. contrarium docet Tiraquell. 8.

Moniales sive exempta, sive non exempta, sibi mutuò violentas manus inferentes, vel etiam Clericis, absolvuntur à loci Ordinario, non attento, licet percussio enormis fuerit. 9.

Impuberes, etiam enormiter percutientes Clericum, ab Episcopo loci absolvuntur, non faciendo discrimen, sive absolutio facienda sit post annos impubertatis, vel antè. 10.

Quod idem communiter statuitur de mulieribus. 11.

Quod si Paterfamilias ob percussionem à filio vel servo suo factam grave damnum passurus esset, si illi Romam pro absolutione ire deberent, poterunt ab Episcopo absolvi, sive gravis, sive levis sit percussio. 12.

Absolvi etiam possunt ab Episcopo, impotentes ad iter, Romam versus, v. g. caci, claudi, agri, valetudinarij, licet infirmitas tantùm temporalis sit, item senes, vel qui legitimum impedimentum habent, ob quod Romam ire nequeunt sine gravi periculo vita. 13 14.

Huc etiam referimus pauperes, qui ex labore manuum suarum vivunt, ita ut itinerando Romam arte suà uti nequeant, & consequenter mendicare deberent. 15.

Sicut etiam, qui cautionem de non recedendo de loco fecit, vel incarceratus est, aut cura animarum praest, vel si eò proficiscerentur, filios & uxorem extrema necessi-

necessitati exponeret: & procedit hoc etiam, licet præfatis casibus hi alium pro absolutione Romam mittere possent. 16.

Ultimò. toties absolvere Episcopus potest propter enormem etiam percussionem, quoties delictum est occultum & non deductum ad Forum contentiosum. 17.

I.

QUantum verò ad absolutionem ab Excommunicatione attinet, certum est, quòd, si notoria fuerit Clerici percussio, ac violenta, & injuriosa, regulariter solus Papa ab Excommunicatione propterea incursâ absolvat. *per express. text. cit. c. si quis suadente.* Interim, quia nulla regula sine exceptione est, modò signatam à nobis conclusionem solùm regulariter procedere diximus, potiores fallentias hujus regulæ, & conclusionis exceptiones, vel limitationes statim ex communiori sententia Doctorum cum *Barbos. de offic. & pot. Episc. p. 2. allegatione* 41. referemus.

2. Primò, itaque præter Pontificem Episcopus etiam notoriũ percussorem toties absolvit, quoties illa percussio etiam notoria solummodò levis est. per *text in c. pervenit. de sent. excom. ibi Abb. & ex recent. Barbos.* qui ex communi sententiâ argumento illius capituli volunt, arbitrio judicis relinquendum, quænam percussio levis vel gravis æstimanda sit. Et docent communiter Interpretes *institut. de injurijs.* §. *atrox. & c. cum illorum. de sent. excomm. Sayr. de cens. lib.* 3. *c.* 28. *Leyman. ubi suprà c.* 5. *Gutierez. canon. qq. lib.* 1. *c.* 3. *n.* 11. qui Judex æstimabit, ac arbitrabitur hoc maximè ex circumstantijs personarum, locorum, temporum, modi percussionis, & læsionis.

3. Hinc censet *Bonac. tract. de cens. disp.* 2. *q.* 4. *pun.* 5. *n.* 4. levem percussionem regulariter censeri illam, quæ fit pugno, palmâ, manu, pede, digito, baculo, vel lapide, quæ tamen nullam carnium maculam relinquat, & quæ fit absque sciſ-

sione membri, fractione dentis, evulsione multorum capillorum, vel sine effusione copiosi sanguinis: absque dubio tamen, nisi aggravetur ex allatis paulò superius circumstantijs loci, personæ, temporis, ac modi.

4. Secundò, Clerici collegialiter viventes ex percussione mutuâ, modò enormis non sit, absolvuuntur ab Ordinario loci: *teste Navarr. in manual. cap. 27. num 91. per text. c. pervenit. de vit. & hon. Cleric.*

5. Tertiò, regulares, ejusdem criminis in se mutuò commissi, rei existentes, quoties enormis est læsio, à suo Abbate absolvuntur. per *express. text. c. Monachi c. cum illorum c. Canonica. de sent. Excomm. Leyman. ubi suprà. cum Navarr. & Bonac. cit. locis.* Et hoc procedit, licèt extra claustra se percutiant, teste *Eman. Rodriq. tom. 1. q. 20. art. 12.* mentio enim claustri in textu Capituli non fit restrictivè, sed quia ut plurimum intrà, non extrà, ejusmodi percussionibus peccatur.

6. Idem procedit secundum *Leyman. dict. loc. & Abbate. in c. cum illorum. cit. §. si verò claustralis.* tametsi regularis alterius monasterij regularem percutiat, modò non sit enormis læsio; adhuc enim à suo prælato absolvetur, præsente tamen Abbate Monachi percussi, ad hoc, ut injuriam condonet, & pœnam definiat in peccati satisfactionem.

7. Quod si tamen in Clericum sæcularem religiosus manus violentas injiciat, ab Episcopo, si percussio enormis non fuerit, absolvendus erit. *c. religioso. de sent. Excom. in 6. Eman. Rodriq. dicto loc. Leyman ubi suprà. Molin. tract. 3. disput. 60. in fine. Bonac. d. disp. 2. q. 4. pun. 5. n. 3. cum Leym. ubi. suprà. versiculo. Caterùm*

8. Putat Novitium, si quidem ante ingressum Religionis in excommunicationem incidit, à Prælato absolvi posse, ita tamen, ut si denuò ad sæculum redeat, teneatur se præsentare illi,

illi, qui ipsum, antequàm ingrederetur, absolvendi potestatem habebat. Sed *Tiraquell. de retract.* §. 1. *gloss.* 8. *n.* 21. contrarium docet, cujus sententia expeditior est.

9. Quartò. Moniales in se mutuò debachatæ, vel in conversas, aut Clericos, etiam enormi secuta læsione, à loci Ordinario absolvuntur nulla habita ratione, vel differentia, num exemptæ fuerint, nec ne. sicut vult *Barbos. lib.* 1. *dicto. c.* 39. §. 1. *n.* 94. vide, quæ notantur *in. c. Monialibus. de sent. excom.* huc etiam referimus.

10. Quintò, impuberes etiam ob enormem percussionem excommunicatos, & primùm fortè post annos impubertatis absolvendos. per *tex. c. ultimi. eod. tit. de sent. excom. Bonac. ubi suprà. vers. casus quintus.*

11. Sextò mulieres, cum illis periculosum sit, peregrè proficisci, præsertim tam longo itinere, etiam propter enormem percussionem censurâ notatas, Episcopus absolvit. sicut etiam.

12. Septimò, servos & filiosfamilias, modò ex eorum absentiâ grave damnum passurus sit Paterfamilias, neque hic distinguendo: num gravis vel levis fuerit percussio. *c. mulieres. dicto tit. de sent. excom. Bonac. ubi supra. n.* 3. *Barbos. allegato c.* 39. §. 1. *num.* 96. *& seq.*

13. Octavò, impotentes ad iter, ut Cœci, claudi, ægri, valetudinarii, etsi infirmitas tantummodo temporalis sit. teste *Abb, in c. quód de his. dicto tit. de sent. Excomm.* ut febricitantes, podagrici. Et tenet etiam *Sayrus dicto lib.* 3. *c.* 28. *num.* 24. Item senes, qui, sicut etiam infirmi, quando tales reputentur, arbitrio Judicis relinquitur. *Menoch. de arbit. Iudic. casu.* 59. *&* 61. *plures citati apud Barbos. ubi suprà. num.* 98. *vide. quæ notantur in c. quamvis. de sent. Excomm.*

14. Nonò, in hanc excusatorum classem adnumeramus etiam illos, qui aliud legitimum impedimentum habent, propter quod Excommunicati Summum Pontificem sine gravi periculo vitæ adire nequeunt. *per text. de catero. eod. tit. de sent. Excom. Henriq. in summa. lib. 6. de pænitent. c. 11. num. 5. Molin. dict. tract. 3. disput. 63, Sayr. cit. lib. 3. c. 28. num. 39. Sanchez in præcept. decalogi. tom. 1. lib. 2. c. 13.* Hinc ob capitales inimicitias suâ etiam culpâ contractas *teste Barbos. de pot. Episc. p. 2. allegat. 41. num. 10.*

15. Pauperes, qui ex labore manuum suarum vivunt, ita, ut Romam itinerando arte suâ uti nequeant, consequenter mendicare tenerentur. Per *text. c. quod de his. c. quamvis. de sent. Excomm.* sicut et, qui cautionem de non recedendo de loco fecit., vel incarceratus est, aut curæ animarum præest, vel qui, si abiret, uxorem & filios extremæ necessitati exponeret, quos omnes excusari dicimus, ut contendere Romam pro absolutione ab excommunicatione incursa non teneantur.

16. Atque hæc omnia intelligo in ijs quoque locum sibi vindicare, qui alium etiam pro se, ad impetrandam Romæ absolutionem mittere possent. Est enim hæc obligatio personalis, cui, si in propriâ personâ satisfieri nequeat, videtur quis inde excusatus quoque à procuratore ad Pontificem mittendo: Præsertim cum in illo Romam ablegando possit esse periculum manifestandi peccati extra confessionem, ut loquitur *Henriquez citato loco c. 9. §. 7. & lib. 13. c. 29. §. 3.* vide etiam *Navarr. in manuali c. 27. num. 88. Felin. in c. mulieres. de sent. Excomm.*

17. Immò insistendo decreto *Concilij. trident. sess. 24. de reform. c. 6.* toties etiam absolvere Episcopus propter enormem quoque percussionem potest, quoties delictum est occultum, & non deductum ad forum contentiosum. Et ita testatur

etiam

etiam ex communi sententia *Bonac. cit. loco. punct. 5. num. 4.* vide etiam *Barbos. quæ fusè allegat. ad cit. c. 6. Concilij Tridentini.*

SECTIO II.

CAPUT UNICUM.

DE PRIVILEGIO CAPITULI ODOardus. extrà, in titulo. De solutionibus.

§. I.

SVMMARIVM.

Hoc Privilegium. C. Odoardus alterum est, Clericis, qui solvendo non sunt, de Iure SS. Canon. concessum. n. 1.

Descriptio Privilegij per. c. Odoardus. Clericis indulti. 2.

Elucidatur eadem Privilegij descriptio. n. 3.

Etiam Religiosi gaudent hoc Privilegio. eod. n. 3.

Non admittitur Clericus ad hoc Privilegium, nisi instantibus Creditoribus uno vel pluribus. 4. & 5.

Paupertas, & solvendi impossibilitas est fundamentum intentionis Clerici hoc Privilegium prætendentis, quæ probari saltem summariè debent, non nimis scrupulosè, sed urbanè. 6.

Quomodo probetur hæc paupertas? n. 7. 8. 9.

Clericus tenetur ad instantiam creditoris bona, quæ habet, sicut qui cedere bonis vult, indicare: & audiendus est lite quoque pendente super concessione Privilegij, parte etiam non instante, si probare vult suam paupertatem. n. 10. & 11.

Clerici habent Privilegium competentiæ, ne pro debito civili conveniantur ultrà, quam facere possint, ne egeant, sicut milites terrestris militiæ. n. 12.

Debent præstare idoneam Cautionem de solvendo integro debito, si ad pinguiorem fortunam venerint, vel saltem juratoriam, si aliter non cavere possint, & hæc cautionis præstatio præcedere debet, quantùm ad effugiendam incarcerationem, & obtinendum competentiæ Privilegium. 13.

Sicut Privilegio Fori Clericus renunciare nequit, ita neque Privilegio

...vilegio capituli Odoardus. 14. ratio allegatur ibidem.

Exceptio hujus Privilegij etiam post sententiam opponi potest. Ratio allegatur ibidem. n. 15. & 16. & ampliatur etiam procedere, licet tres conformes sententiæ contra Clericũ debitorem latæ sint. 17.

1.

ALterum Immunitatis Ecclesiasticæ personale Privilegium, præter illud fori, de quo integris octo capitibus satis fusè pro dignitate materiæ in antecedentibus dissertavimus, est Privilegium capituli Odoardus. Titulo de solutionibus. de quo egimus eodem loco, cùm prælectiones nostras publicas Salisburgi tractaremus, & in thesibus typo expressis, & publicæ disputationi expositis. *p. 2. earundem thesium. totâ thes. 5.*

2. Est autem hoc privilegium secundum communem sententiam Canonistarum *dicti c. Odoardus. de solut. Marc. Ant. Genuens. in prax. Curia Neapol. c. 3. Capell. Tholosan. q. 246. Steph. Gratian. discept. forens. c. 222. num. 31. & sequen. Menoch. de arbitr. jud. casu. 183. Thusc. Littera P. conclus. 314. Ricci. in praxi p. 1. titulo. capit. Odoardus. Covarr. var. resolut. lib. 2. c. 1.* nihil aliud, quàm quædam Immunitas personæ Ecclesiasticæ concessa, in casu, quo conventa ab importunis creditoribus, cum non sit solvendo, liberatur à cessione bonorum, atque ab incarceratione, neque propterea excommunicari potest, debet tamen reditus, & sui beneficij fructus, ita ad hoc instantibus ijsdem creditoribus in solutum assignare, deducto semper eo, ne egeat, præstitâ cautione per fidejussores, vel juratoriâ, si aliter non possit, de integrè solvendo, si ad pinguiorem fortunam pervenerit. Et ita notat *Barbos. sæpius cit. tract. jur. univers. Eccles. lib. 1. c. 39. §. 6. Aloys Riccius. cit. titulo. c. Odoardus. resol. 256.*

3. Dixi primò, Immunitas Ecclesiasticæ personæ concessa. Cum enim personam Clerici hæc Immunitas liberet ab incarce-

carceratione, & Excommunicatione, quæ ipsam personam immediatè attingunt, palàm est, quam Jure meritò inter species Immunitatis Ecclesiasticæ, quæ clericorum personas concernunt, retulerimus.

Nomine autem personæ Ecclesiasticæ, solos, & in strictâ acceptione Clericos non comprehendimus. Putamus enim etiam religiosos eo gaudere, *ut decisum ait Barbos. ad cit c. Odoardus. num. 5. in Senatu Portugallensi.*

4. Dixi secundò, ab importunis creditoribus. non enim admittitur persona Ecclesiastica ad hoc beneficium, nisi instantibus creditoribus, uno vel pluribus adversus debitorem Clericum, ut notat *Barbos. cit. c. 39. §. 6. num. 3. ex Henrico Boich. num. 11. ad hoc c. Odoardus.* ita tamen, ut teste *Aloys. Riccio. in decis. Curiæ Neapol. p. 4. decis. 289.* Sicut illum allegat *Barbos. ubi suprà.* non obstet Creditori non citato exceptio dicti beneficij, utut debitor Clericus ad hoc beneficium anhelet, & se eo tueri velit.

5. Dixi tertiò, cùm non est solvendo. debet enim suam paupertatem, & solvendi impossibilitatem probare, ut de eâ judici ac superiori Ecclesiastico constare possit. Est enim paupertas, ac solvendi impossibilitas fundamentum intentionis Clerici hoc Privilegium prætendentis, ergo probare debebit. Per *L. si verò. §. qui pro rei qualitate. ff. qui satisdare cog. Gloss. ibid. & Bartol.*

Hæc tamen probatio sufficit, si summariè fiat, nec multum scrupulosè agendum est, sed urbanè, ut ait *Aloys. Ricc. in decision. Curiæ Neapol. p. 1. decis. 81. num. 6.* Ita servari in Curiâ Romanâ.

6. Probatur autem variè hæc paupertas, ut testatur idem *Aloys. Ricc. cit. tit. praxis. c. Odoardus resol. 257.*

Primò, ex communi æstimatione, ac reputatione, ut quotidie practicari in Rota idem *Riccius ibid.* testatur.

7. Secundò, ex tenuitate redituum. hinc in eadem Rota decisum ait *Barbos. dicto c. 39. §. 9. num. 7.* Sufficienter probare paupertatem suam, qui docet, reditus suos non excedere *Scuta. 25.*

8. Tertiò, si se Clericus ex aliquâ arte sustentare debet.

9. Quartò, per famam viciniæ, vel si visus sit sæpius mendicare. teste *Marc. Anton. Genuensi dicto c. 3. num. 18.* quæ tamen omnia judicis arbitrio subjiciuntur. juxta *Gloss. in authent. præterea. Cod. unde vir & uxor. Covarr. lib. 2. var. resol. c. 6.*

10. Et satis placet, quod notat *idem Marc. Anton. dicto c. 3.* quòd Clericus ad instantiam creditoris teneatur indicare bona, quæ habet, sicut qui cedere bonis vult.

11. Neque antè etiam compelletur ire ad carceres, quam suam paupertatem probet, sed liber, & extra carceres, pendente quoque lite super concessione Priviligij, etiam parte non instante erit audiendus. sicut testatur *Riccius dicta decis. 81. p. 1. Marc. Anton. cit. c. 3. num. 17.* Et rationem assignant citati Doctores, quòd etiam incarcerationem effugiant, qui petunt admitti ad beneficium cessionis bonorum. Dixi quartò. vi hujus beneficij, & Privilegij personalis Clericum debitorem liberari à cessione bonorum, atque incarceratione, nec propterea excommunicari posse: & hoc tenent communiter Interpretes *cit. c. Odoardus.* ut videre est *per Abbatem.* & quos allegato loco *Marc. Anton. num. 2.* citat. vide etiam *Covarr. variar. resolut. c. 3. num. 9. Barbos. ad idem. c.*

12. Et quidem quo ad primum & secundum, præter citatos authores optimo argumento est, quòd Privilegium competentiæ Clerici habeant, ne scilicet pro debito civili conveniantur ultrà, quàm facere possint. Et hoc Privilegio Clerici,

tanquam

tanquam milites militiæ cælestis gaudent, ad instar militum militiæ armatæ, quibus, ut pro debito civili conveniri nequeant, nisi in quantum facere possint, hoc privilegium concessum est. teste *Gloss. in L. miles. ff. de re judic. ibid. Bart. Alexand. & Iason.* vide etiam *Abbat. cit. c. Odoardus. Barbos in suo tract. Iur. Univers. Eccles. lib. 1. c. 39. §. 6. num. 1. Felin. in c. cum ex officio. de præscript. Covarr. ubi suprà. & Marc. Anton. Genuens. dicto c. 3. num. 1.* Si enim miles terrestris militiæ hoc habet Privilegium, ne militiam deserat, quanto magis, Clericus, ne deserat servitium divinum, debeatque in opprobrium totius status Ecclesiastici mendicare? Ratio quoad secundum ex eodem Privilegio desumitur: si enim solummodo Clericus tantum solvere compellitur, quantum facere potest, ne egeat, non est, cur pro debito incarcerari posse contendamus, quæ missio in carcerem eo fine fit, ut talis Clericus luat in corpore, qui quantum debebat solvere, non potuit in ære. Et ita tenet *Francus. in c. si Clericos. de sent. Excomm. in 6. Covarr. ubi suprà. Farinac. de carcere. q. 27. num. 70.*

13. Quoad tertium est expressus *text. in cit. c. Odoardus.* modò tamen idoneam cautionem de solvendo integro debito præstiterit, vel, si idoneam per fidejussores præstare nequeat, saltem per juramentum taliter caveat: quod idem ampliando quoad primum & secundum procedere dicimus, quatenus dicta cautio ad effugiendam incarcerationem, & obtinendum competentiæ beneficium præcedere debeat, ut benè notat *Marc. Anton. Genuens. cit. c. 3. in praxi Curiæ Archiepisc. num. 2. & 16.*

14. Ejus autem naturæ etiam Privilegium *Capituli Odoardus est*, ut, sicut de Privilegio Fori & canonis conclusimus, sponte suâ, & volente Clerico, eidem renunciari, neque juramento posit, per rationem superiùs allegatam, quòd hoc Privilegium

introductum sit in favorem totius Ordinis Clericalis; ne Clerici cum dedecore teneantur mendicare. ita *cit. loc. Genuens. qui Hostiens. ex Ioann. And. pro se allegat*, idem tenet *Covarr. dict. lib. 2. variar. resolut. c. 1. num. 38.*

15. Atque hoc beneficium tam favorabiliter indultum est Clericis, ut, tametsi regulariter post sententiam exceptio peremptoria opponi amplius nequeat. *L. peremptorias. Cod. sententiam rescindi. Maranta. p. 6. memb. 9. num. 11.* Fallit tamen hoc in proposito casu, sicut alias etiam fallentias illius regulæ enumerat *Gloss. in* §. 1. *Cod. de Iur. & facti ignor. ibi Bartolus in specie. Aloys. Riccius. dicto titulo praxis capituli Odoardus. resol.* 261. *&* 266. Et ratio est, quod omnes exceptiones peremptoriæ, quæ non impugnant sententiam, sed tantum moderantur ejus excutionem, posśint opponi post sententiam. Et ita tenet *Aloys. Ricc. dicto loco. cum Barthol. allegata L.* 1. *Andr. Geil. lib.* 1. *observat.* 113. *num.* 5. idem tenet etiam de exceptione beneficii. *SC. Velleiani.* ex communi sententia dicto loco *Aloys. Riccius. Surdus decis.* 190. *&* 191. quia ejusmodi exceptiones retrò ostendunt, sententiam fuisse nullam. *per. L.* 4. §. *condemnatum. ff. de jud Speculator. de execut. sentent.* §. *fin.*

16. Hanc autem exceptionem Privilegij *c. Odoardus.* solùm moderari sententiam, & ejus executionem, notum est. cùm tam de præsenti, quàm futuro satisfacere debeat debitor Clericus, tam de fructibus beneficij sui, quàm alijs facultatibus, in quantum potest.

17. Et hoc ampliamus cum præfato *Aloys. Riccio. cit. resol.* 266. etiam ad eum casum, quo de solvendo debito tres conformes sententiæ contra Clericum prolatæ sunt. Etsi enim aliàs tres sententiæ conformes plurimùm in Jure ponderis habeant per ea, quæ notant Interpretes *in L. post tres. ff. de Iudicijs.* ita, ut secundùm *Clement.* 1. *de sent. & re*

Iudic.

Iudic. non admittatur exceptio nullitatis, sine dubio, ut aliquando imponatur finis litibus, quod difficulter fieret, si admitteretur etiam post tres sententias conformes nullitatis exceptio. ut bene notat *dicto loco Aloys. Riccius.* puto tamen, his textibus & rationibus non obstantibus contrarium cum nominato modò Doctore tenendum. tum quòd hoc Privilegium, ut suprà diximus, sententiam non destruat, sed tantummodò moderetur ejus executionem. tum quia, cum in genere solum loquatur *dicta Clementina*, non debet ad personas privilegiatas extendi, sicut cum pluribus ibidem citatis textibus & Doctoribus advertit, & tenet *Riccius.* & præsertim pro hoc stant Canonistæ *in c. constitutus. de restit. in integ. post. Gloss. Iasonem & Alexandrum in L. sciendum. ff qui satisdar. cog.* Et sic interpretando intelligimus *cit. Clement.* 1 atque nihilominus satisfit rationi, ob quam introductum est, ne opponi contra tres conformes sententias possit. Satis enim Finis impositus litibus esse etiam hoc casu intelligitur, cùm non admittatur aliquis ad dictum beneficium, nisi cum cautione præstitâ de solvendo, si ad pinguiorem fortunam devenerit.

Clerici itaque, aliæque Personæ Ecclesiasticæ, sicut hucusque demonstravimus, beneficio *Capituli Odoardus. de solut.* regulariter omnes gaudent, possuntque in casu debitorum, & æris alieni, quibus non rarò graviter onerantur, ex eodem egestatem suam consolari.

Verùm sicut nulla regula sine exceptione est *per L. 1 ff. de regul. Iur. L. regula. ff. de Iur. & fact. ignor. Bart. in L. generali. §. uxor. ff. de usufruct. legat. Dynus. in proœm. ad Reg. Iur. in 6.* ita etiam ad hanc conclusionem, ceu regulam generalem, allegare quasdam fallentias, sive exceptiones possumus, quibus stantibus in comperto est, nonnullos assignari casus, in quibus Clerici ad hoc beneficium non admittuntur.

§. II.

SVMMARIVM.

Qui juravit 100. quos mutuò accepit, se soluturum, etsi Clericus sit, excipere, & se defendere Privilegio contra creditorem hoc casu non potest, juramentum enim simpliciter obligat ad factum. n. 1.

Contrarium, neque admodum improbabiliter, tenent alij, quorum fundamentis ibidem respondemus. n. 2. 3. 4. & 5.

Clericus, qui debitum negavit, maximè si id dolosè fiat, non admittitur ad Privilegium c. Odoardus. 6.

Limitatur & explicatur hæc decisio. 7.

Quando creditor, qui debitum exigit à Clerico, est pauperior ipso Clerico debitore, non habet locum Privilegium c. Odoardus. n. 8.

An Clericus tantùm in minoribus Ordinibus existens gaudeat hoc Privilegio? duplex sententia. num. 9.

Clericus, quando est dolosus debiter, ut si tempore contractûs, etiam in futurum sciebat, se non esse solvendo, vel falsò asseruit se habere idoneas facultates, non admittitur ad hoc Privilegium. 10.

Excluditur etiam ab hoc Privilegio, qui bona sua ludendo, vel luxuriosè vivendo prodegit. n. 11.

Clericus condemnatus ex delicto, si non habet in ære, id, quô pro delicto satisfacere possit, debet luere in corpore, & sic ex delicto perdit Privilegium c. Odoardus. n. 12. nota ibidem singularem limitationem cum sequentib. n. 13. 14. & 15.

Etiam exuitur hoc Privilegio Clericus, si conveniatur in actione reali; sicut maritus. 16.

Clerici illicitis negotiationibus vacantes non admittuntur ad Privilegium c. Odoardus. 17.

Pari modô, qui debitor est ex causa depositi restituendi, vel cum Clericus esset heres, & non confecit inventarium, aut in casu, quô debet ut tutor, vel procurator alterius bona administrans, ita ut errârit in Calculo, non integrè & fideliter ratiocinia expendendo, vel si perjurus est, & suspectus de fuga, nullo his casibus admittitur ad beneficium c. Odoarbus. n. 18 19 20.

Clericus Excommunicatus destituitur hoc Privilegio, si vera est decisio Rotæ, quam allegat Barbos. hîc, à quâ abstrahendo, de jure com-

communi probabilius est, illum gaudere. 21.
Hoc Privilegium, quia personale est, non egreditur personam Clerici debitoris, hinc ejus fidejussori Laico non datur. 22.

I.

ET primò, satis probabile est, non admitti ad hoc beneficium illum, qui juravit, se centum v. g. quos accepit mutuos, soluturum, & ita tenet *Riccius. titulo prax. c. Odoardus. resol.* 267. cum plurimis ab eodem allegatis. Et rationem communiter hanc assignant, quod regulariter juramentum simpliciter obliget ad factum. per *Gloss. in. L. si pecuniam. ff. de conditionis causa data. in principio. verbo. necesse est. Gabrielius. comm. opinionum. titulo. de jurejurando. conclus. 8. Felin. fusè. c. ad nostram. de jur. jur.* fit enim obligatio propter appositum juramentum efficacior. teste *Iason. L. si convenerit. ff. de jurisd. om. jud. n. 8.* debetque juramentum in forma specifica observari, ita, ut impleri per æquipollens non possit. *Felin. dicto loc. Roland. à vall. tom. 1. cons. 5. & 6. n. 29.* adeò, ut dicatur habere paratam executionem. plures citati *ab eod. Riccio. ubi suprà. n. 4.* maximè *Tiraquell. in. L. si unquam. verbo. donatione. n. 103. Cod. de revocat. donat.* Et me movent illa, quæ dixi in *titulo. de fidejuss.* ubi notavimus, quòd tametsi mulier de Jure quoque munita sit, ut fidejubendo non teneatur, si tamen juramentum fidejussioni addat, omnino obligetur, cùm juramentum omnimodè servari debeat, si sine interitu animæ servari possit. Et sibi imputare debet ejusmodi Clericus, quòd de suo Privilegio expressè non exceperit.

Scio, plures textus allegari *à Felin. cit. c. ad nostram. de jur. jur.* ex quibus satis eruitur: obligantem se juramento ad factum non in omni casu simpliciter teneri; neque illud semper in formâ specifica servandum esse, adeoque paratam non semper etiam habere executionem: videntur tamen omnes illi

textus

textus in contrarium allati, & à *Felino* recensiti, tantùm procedere eo casu, quo specialiter natura contractûs obligationis & negotij hoc admitteret, neque ex inde, is, cui obligatio per juramentum quæsita est, in aliquo læderetur, juramento enim ex naturâ suâ certæ clausulæ insunt, ut communiter docent Interpretes *in titulo de jure jur.*

2. Contrariam sententiam amplectitur *Covarr. dict. c. 1. &* *Puteus libro 1. decis. 56.* tenentque asseveranter, Clericum debitorem, tametsi juraverit, se 100. v.g. soluturum, quos mutuò accepit, non obstante juramento nihilominus hoc beneficio uti posse. Et potissima ratio, quæ & *Covarr. cum Puteo* movere pro contraria opinione potuit, & objici nobis in præsentiarum potest, est, quod præfato beneficio Clericis ex *c. Odoardus* competenti, neque juramento, ut paulò superiùs vidimus, renunciari possit, quomodo ergò vi juramenti constringetur Clericus debitor ad id, quo is Privilegio *Capituli Odoardus.* solutus est?

3. Et respondeo, omnino concedendum esse, expresse & directò, etiam jure jurando renunciari dicto beneficio. *c. Odoardus* non posse. v. g. dicendo in receptione mutui: renuntio beneficio *c. Odoardus.* vel juro, me non usurum eo Privilegio. negamus autem fieri non posse, ut in effectu quis illo beneficio destituatur ob interveniens juramentum, & sic indirectè obsit aliquando juramentum Privilegio *dicti Capituli Oduardus.* multa enim principaliter, & directò fieri prohibentur, quæ fieri accessoriè, & indirecte possint, Jura enim attendunt, quæ principaliter, & directò fiunt, non quæ in consequentiam. *L. quædam sunt. ff. de aquirendo. L. tutor rerum. ff. de administ. tut. L. in modicis ff. de contrah. empt.* Sic communiter docent Canonistæ, jus patronatûs vendi non posse, & tamen, si adhæreat castro v. g. venditô illô, etiam Jus patronatûs in consequentiam transiturum in emptorem.

Et

4. Et sine dubio aliud est, jure jurando promittere, se centum ex mutuo soluturum, atque ita integram solutionem faciendam non posse effugere per exceptionem *beneficij c. Odoardus.* Aliud expresse, directô, & principalter renunciáre: hoc vel illo casu se non usurum dicto beneficio. præsertim, cùm ignotum in Jure non sit, & apud Interpretes manifestum, sæpe aliquid unâ viâ prohiberi, quod aliâ conceditur. per ea, quæ limitando tenet *Dynus. de reg. jur. in 6. c. cùm quid. Abbas. in c. 25. de jur. jur. & c. 20. Menoch. de præsumpt. lib. 4. præsump.* 189. *num.* 82. *Barbos de axiomat. jur. frequentioribus. verbo. prohibitum.* ut adeo verum quidem sit, quòd expressa renunciatio sæpe dicti beneficij *ex c. Odoardus.* Clericis competentis etiam jurata, prohibita sit, non autem præfata conventio jurata de solvendis. 100. integris ex mutuo, cùm directò, & principaliter in alium finem inita sit, tametsi aliquo modo effectum hujus renunciationis involvat.

5. Maximè cum ejusmodi Clericus etiam utendo beneficio *c.* non videatur venire contra juramentum, saltem in re, nam tenebitur ad minus integros. 100. solvere, ubi ad pinguiorem fortunam venerit. etsi non statim cedere bonis teneatur ob juramenti interventum, cùm hoc non juraverit, sed tantùm, quòd integros illos. 100. ex mutuo sit soluturus. Et sic explicata nostra sententia satis coincidit cum opinione Covarruviæ, quamvis contrarium quadantenus defendamus.

6. Secundò negamus, dicto beneficio gaudere eum, qui debitum negavit; cum enim id Clericis concessum sit, ad instar beneficij cessionis bonorum, teste *Aloys. Riccio. in praxi ad dictum c. Odoardus. resolut.* 258. sicut ita resolutum esse à Rotâ Romanâ testatur *Puteus lib. 2 decis.* 321. debitor autem debitum negans ad beneficium cessionis non admittatur. *L. penult. ff. de cessi bonorum.* per consequens nec Clericus ad istud beneficium accessum habebit.

7. Putarem tamen cum *Afflicto decis.* 379. debitorem Clericum etiam ex postfacto, tam antè, quàm post Sententiam, etsi antecedenter debitum esset inficiatus, debitum sponte, & ultro confitentem, adhuc admittendum fore ad beneficium. *c. Odoardus.* sicut idem tenet ibidem *Afflictus* quo ad eum, qui cessionem bonorum prætendit, maximè si dolosè debitum non negavit. Et ita sentire Bartolum quoque in *cit. L. penult. ff. de cess. bonor. testatur Afflictus.* Ratio est, quia ad cessionem bonorum vel beneficium *c. Odoardus* non admittitur, nisi liquidato prius debito, sed neque ante, neque post sententiam eo ipso debitum liquidatum est, cùm contra sententiam appellare quis possit, Ergo sive antè, sive pòst, ultrò confiteatur se debitorem, videtur debere admitti.

8. Tertiò, eo etiam casu non admittitur Clericus ad dictum beneficium, quo is, cui debet, pauperior est ipso debitore, ordinata enim charitas incipit à se ipsa. *L. præses Cod. de serv. & aqua.* Et cùm hoc casu in pari causa paupertatis, vel potiori ratione, paupertate pro creditore faciente, certet debitor de lucro, creditor autem de damno, ipsa ratio naturalis dictat, debitori hoc casu beneficio *cap. Odoardus.* subveniendum non esse.

9. Quartò, satis recepta sententia est, præsertim Recentiorum, Clericum in minoribus ordinibus constitutum hoc beneficio non gaudere, adeò, ut quo ad hoc jure Laicalis personæ censeatur, nisi præter Clericatum simplicem, vel beneficium Ecclesiasticum obtineat, aut alicui Ecclesiæ ex mandato Episcopi deserviat, aut in Seminarium Clericorum, vel scholam aliquam, vel Universitatem, de Licentia Episcopi recipiatur. Per ea quæ notat *Barbos. ad Concil. Trident. sess. 23. c. 6. de reform.* Idem *Doctor. ad c. Odoardus. tit. de solut. num. 8. Covarr. cit. superiùs c. 1. num. 1 Menoch. de arbit. jud. casu* 183. *num. 9. Marcus*

cus Anton. Genuens. dicto c. 3. n. 3. & sic secundum hos Doctores quantum ad qualitates requisitas in Clerico minorũ Ordinum ad obtinendum fori Privilegium, pari passù ambulant beneficium *c. Odoardus.* & Privilegium fori. Nos tamen contrariam sententiam putamus esse probabiliorem. per ea, quæ *c. praced.* §. 1. *num.* 2, diximus.

10. Quintò, repellitur à beneficio tanquam indignus favore. *c. Odoardus.* dolosus debitor Clericus, teste *eodem Marc. Anton. ibid. ubi suprà. n. 6. ubi allegat Verallum decis.* 278. *p.* 1. *Barbos. ad sæpe cit. c. Odoardus. num.* 17. hinc bene infert præfatus *Marc. Anton. dict. loc.* quòd, si Clericus tempore contractûs sciebat se non esse solvendo, & falso asservit se habere idoneas facultates, & consequenter solvere posse, non admittetur ad sæpe nominatum beneficium *c. Odoardus.* per text. notabilem *in L. penult. ff. de jure dotium.* ubi carere jubetur beneficio juris, qui in fraudem creditorum bona consumpsit, vel debita contraxit, sub spe gaudendi beneficio legis, vel denique cnm conveniretur talis debitor, bona occultavit. atque hos omnes casus ibidem allegat *Marc. Anton.* huc adjicimus.

11. Sextò, illos etiam Clericos, qui bona sua, vel ludendo, vel luxuriosè vivendo consumpserunt, quos ab hoc beneficio excludimus cum cit. *Barbos. ad. c. Odoardus. n. 21. Marc. Anton. ubi supra. n. 8. Baldus. in L. 1. Cod. qui bon. cede. possint.*

12. Septimò, non gaudere dicto Privilegio. *c. Odoardus* dicimus: Clericum condemnatum ex delicto. ut adeo, si non habeat in ære, id, quô pro delicto satisfacere possit, meritò luat in corpore, secundùm regulam traditam, in. *L. fin. de in jus. vocand. & c. finem litibus. de dol. & contum.*

13. Quod sine dubio tunc solùm procedere existima, quando pœna pecuniaria, ad quam Clericus condemnandus est, ad vindictam publicam tendit, fisco applicanda: non si

pecunia etiam ex delicto, solvenda sit parti ratione interesse, quo ad id enim, quod ex causâ interesse etiam ob perpetratum delictum solvi debet, omnino locum habere dicimus beneficium dicti. *c. Odoardus.* Et ita distinguendo *tenet Marc. Anton. cit. c. 3. Aloys. Riccius. ubi suprà. resol. 263. Abbas. & Ioan. And. dicto. c. Odoardus. idem Abb. cit. c. finem litibus. Covarr. sapè allegato. c. 1. Menoch. de arbitr. jud. casu. 447.*

14. Quòd si tamen ex parte solius recipientis, rationem interesse habeat, ex parte verò solventis pœna sit, ut contingit in Clerico iniustè litigante, & propterea condemnato ad expensas, dicimus cum *cit. Abb. in. c. finem litibus.* si non habeat in ære, luiturum in corpore. idem tenet *Puteus. lib. 1. decis. 56. Boërius. decis.* 349. qui materiam hujus beneficij ibidem utiliter declarant.

15. Nota tamen hîc singularem exceptionem, ut non procedat, quantùm ad mulctas fisco ratione contumaciæ debitas, in quibus attestante *Marc. Anton. in sua praxi. sape dicto c. 3. Bruno. de cessione bonorum. q. 4. principali. n. 5. Claro. §. fin. q. 95. Farinac. de delictis. q. 18. n. 57.* Clericus beneficio. *c. Odoardus* non destituatur. Et ratio est, quòd mulcta talis propter paupertatem in totum remittatur. per express. *text. in L. illicitas. §. Prases Provincia. ff. de off. Prasidis.*

16. Octavò, Clericus conventus actione reali, non gaudet hoc Privilegio, sicut nec maritus. *L. maritum. ff. solut. matrim. Brunus. 3. q. principali. n. 34.* cui ibidem rectè accenset pensionarium, cùm videatur absurdum, ut dum is beneficium obtinet, hac exceptione utatur contra eum, cui solvere pensionem tenetur, idem tenet *Covarr. sape dicto loc. c. 1.*

17. Nonò. Non admittitur ad fruendum hoc beneficio Clericus, qui illicitam negotiationem exercet, qui, sicut, certis quibusdam modis & conditionibus concurrentibus, de quibus

bus suprà quoad Privilegium Fori diximus, & infrà in sequentibus dicemus, privatur Privilegio clericali quantum ad collectas, per text. *c. fin. de vit. & honest. Cler.* ita privatur beneficio *c. Odoardus.* ita *Brunus cit. q. 3. Barbos. in suo tract. jur. univers. Eccles. lib. 1. dicto. §. 6. c. 39. num. 22.*

18. Decimò. Locum non habet sæpe nominatum. *c. Odoardus.* quo ad Clericum debitorem ex causâ depositi restituendi. teste *Barbos.* ubi suprà. cum *Mathesilano singularium suorum sexagesimo singulari num. 1.*

19. Undecimò. Fallit in Clerico herede, non conficiente inventarium. *Barbos dict. loc. num. 32.*

20. Duodecimò. Arcetur ab hoc beneficio Clericus in casu & causâ, quibus bona alterius administravit. v.g. ut tutor, procurator, & erravit in calculo, non integrè & fideliter ratiocinia expendens. Sicut & quoties Clericus perjurus est, aut suspectus de fuga. per *Steph. Gratian. c. 222. num. 49. Barbos. ubi suprà.*

21. Decimo tertiò. Fallit in Clerico Excommunicato. & ita resolutum esse per Rotam Romanam testatur idem *Barbos. dicto loc. num. 18. contra Aloys. Riccium.* qui *titulo praxis. c. Odoardus. sæpe cit. resol. 262.* contrarium tenet. quæ tamen *Riccij* sententia, abstrahendo à Rotæ decisione, multum probabilis est, cum & Privilegio Fori & Canonis excommunicatum gaudere dixerimus suprà, possitque se excommunicatus saltem in judicio defendere, licet agere nequeat. Sicut fusiùs deducit *ibidem Riccius.*

22. Ultimò. Quia hoc Privilegium personale est, & non reale, negamus, illud Clerici fidejussori Laico dari. *Argumento c. Privilegium. de regul. jur. in 6. & per text. in L. heres à debitore. §. quòd si stipulator. ff. de fidejuss.* Et in terminis eandem sententiam tenet *Cavallos. comm. contra communes. q. 707.* Et propterea teste

Riccio dicto loco. resolut. 260. beneficium restitutionis in integrum, eo, quòd personale sit, non extenditur ad fidejussorem minoris. sicut nec beneficium. S.C. Vellejani fidejubenti pro muliere prodest. Et optimo etiam argumento est, quòd, teste eodem *Riccio*, exceptio declinatoria, qualis dici etiam potest exceptio ex *cit. c. Odoardus* competens, quæ concessa est Clericis, non extendatur ad eorum fidejussores. per *Romanum. singulari.* 645. *Afflictum decis.* 208. *Mynsing. decade.* 15. *cent.* 1. *Guido papa. decis.* 525. ut adeò graviter in Immunitatem Ecclesiasticam peccent importuni creditores, qui Clericos, aliásve personas Ecclesiasticas, lapsis temporibus bellicis non vulgariter passim obæratas, ad exsolvenda debita tam duriter perurgent. Quando magni Principes ære alieno onerati, cui dissolvendo media abundè sunt, nec interesse, sive usuras, ut vocant, exsolvunt, neque de sorte, sive capitali præstando multum solliciti sunt, quomodo de eo creditoribus satisfaciant, utut hi extrema non raro paupertate conflictentur, neque enim frustra SS. Canones providerunt suis sibi subditis de variis Privilegijs, quibus se contra importunos & inhumanos creditores, ære alieno gravati solarentur, contra quæ, si Christianæ charitatis immemores esse nolint, personas Ecclesiasticas tam acerbè habere, jactare, & affligere non deberent. Sed enim, quis non

Esse cupit dives? Regína pecunia leges
Proterit una omnes, quidquid sacra Jura reclament.

& ut Satyricus ait:

Prima peregrinos obscæna pecunia mores
Intulit, & turpi fregerunt sæcula luxu
Divitiæ.

Maluntque cum Petronio ovantes canere.

Quisquis habet nummos, securâ naviget aurâ,
Atque suo leges temperet ingenio.

AU-

Antequam disputationi secundæ ex toto finem imponamus, placuit Auctarij loco ad calcem hujus disputationis tres admodum celebres, & valde inter DD. tam Theologos, quàm Canonistas, controversas quæstiones examinare, cùm quadantenus Immunitatem Ecclesiasticam concernant, utpote quæ favorem Religiosi statûs directò respiciunt, atque ea quidem scribentium varietate, ut si rem ex solo DD. numero metiamur, haud pronum, & in aperto sit, quam communiorem censuerimus, cùm in utramque partem plurimi sint, qui pro affirmativâ & negativâ calculum ponant. nobis sine suffragio affectûs lubuit ad veritatis incudem quæstiones tam dubias revocare, Lectorisque judicio supponere censendas.

AUCTARIUM I.

PRIMA QUÆSTIO INTER D.D. multùm controversa.

An, si alicui legentur. 1000. sub conditione: si matrimonium contrahat, 100. verò si Religionem profiteatur, possit, non obstante conditione de matrimoniô contrahendô non impletâ, 1000. capere, si Monasterium ingrediatur?

Vel, si quis absolutè leget, donétve eo fine, & conditione mulieri, si nubat, illa verò nihil cogitans de nuptijs simpliciter Monasterium ingrediatur, an nihilominus admittatur ad Legatum sub conditione nuptiarum relictum?

SUM-

SVMMARIVM.

Legatum. 1000. *fl. relictum absolutè sub conditione nuptiarum, nihil memorando de ingressu Religionis, intrans Monasterium* 1000. *fl. capiet, licet antè nunquam matrimonium contraxerit. num.* 1.

Allegatur textus pro hac decisione. num. 2.

Ampliatur, etiam procedere eo in casu, quo testator nullam in specie personam nominavit, dicendo: puellæ nubili, & proximè nubenti ex nostrâ civitate relinquo pro dote. 1000. *n.* 3.

Sanchez, qui contrarium tenet, refutatur. n. 4.

Imperator Iustinianus in allegata authent. favorem Religionis æquiparavit veris nuptijs. 5.

Si testator expreſſè ita disponat: ut puella habeat. 1000. *si nubat,* 100. *si Monasterium intret, reÿcitur conditio nuptiarum, & puella capiet omnes.* 1000. *fl.* 6.

Duo semper attendenda in eo, qui testamentum condit, vel donationem facit. 7.

I.

QUantùm ad primam hanc quæstionem attinet, dico, receptum inter. DD. esse, *teste Thom. del. bene. tom.* 1. *c.* 8. *dub.* 21. *sect.* 2. *de Immun. Eccles.* quòd si absolutè legentur, donentúrve 1000. alicui, si matrimonium contrahat, nihil exprimendo de ingressu Religionis, ingredientem hujusmodi Religionem, 1000. accepturum, tametsi matrimonium antè non contraxerit, ita ut *Molina citatus ab eodem Thom. del. bene. tom.* 1. *tract.* 2. *disput.* 207. *de jur. & just.* dicat, in hoc omnes convenire. DD.

2. Et pro hâc sententiâ *textus est expressus. Novell.* 123. *de SS. Episcop. tit.* 15. §. *sed & hoc præsenti.* ubi in favorem Religionis vult Justinianus, non attentâ clausulâ & conditione nuptiarum, ingressum Religionem capere posse integrum ejusmodi legatum, sicut idem expresè deciditur in *Auth. nisi rogati. Cod. ad. Sc. Trebell.*

3. Et

3. Et hoc ampliamus cum eodem *Thoma del bene*, & citatis ab illo, nihilominus procedere, tametsi nullam in specie personam nominaverit, sed in genere dixerit testator, puellæ ex nostra civitate proximè collocandæ in matrimonium, & non habenti dotem, relinquo. 1000.

4. Quia licet *Sanchez. de matrim. lib. 1. disput. 33. num. 32.* ut illum citat *Thom. del bene. dicto loco.* putet, hoc casu puellam proximè nubilem, ingressam Religionem, non posse petere Legatum dotis, eò quòd testator hoc casu præsumatur intellexisse de puellâ verè matrimonium contrahente.

5. Dicimus tamen, hoc nihil stringere, quia Imperator Justinianus voluit favorem Religionis in hoc æquiparare veris nuptijs. Ergo sive nubat ejusmodi puella, sive Religionem ingrediatur, habebit Legatum. Consequenter intelligis, hoc voluisse Imperatorem per *cit. authent.* ut, si alicui donetur, legetúrve sub conditione nuptiarum, illud capiat, sive nubat, quod testator voluit, sive Religionem ingrediatur, quod sanxit Justinianus in favorem Religionis, ergo nihil ad rem est, an is, qui legat, vel donat sub conditione nuptiarum, intelléxerit veras nuptias, vel non, ut vult *Sanchez.* cùm ingredientem in Religionem in hoc æquiparaverit Imperator favore Religionis nupturienti; quod potuisse *Justinianum* non est dubium, voluisse autem, ex textu *cit. authent.* nisi quis cavillari velit, est clarissimum: loquitur enim in effectu sic statuendo: in casu quo donaverit vel legaverit quis alicui puellæ, si nupserit, 1000. Dico ego, & statuo, quòd eadem puella eosdem 1000. capere possit, si Religionem ingrediatur, & sic volo sanciendo per dictam meam authenticam, ut ad capiendos 1000. unam ex alternativis legataria vel donataria necessariò impleat, videlicet ut vel nubat, vel ut Religionem intret.

6. Et confirmatur ex eo, quia, si testator vel donans expressè dixerit: lego, vel dono 1000. si nupserit, solummodò autem 100. si Monasterium ingressa fuerit, non attentâ voluntate expressâ testatoris, vel donatoris, nihilominus habebit 1000. Religionem professa. Ergo nihil curandum est de mente testatoris vel donantis etiam expressâ; cùm non potuerit aliter relinquere, quàm Leges relinquendi facultatem ipsi dederint, quæ cùm æquiparaverit favore Religionis ingredientem Monasterium nubenti, habebit puella, sive nubat, sive Religionem profiteatur, 1000. fl.

7. Duo enim semper attendenda sunt in eo, qui testatur, vel donat, primò ut velit, secundò ut possit. Primum est penes liberum testatoris vel donatoris arbitrium, alterum autem desumitur ex Legum dispositione, & concessione, secundùm quas donantis vel testatoris voluntas regulanda est, & interpretanda; Quod in ejusmodi casibus singulariter notandum est.

QUÆSTIO II.

An Titius v. g. quem heredem bonorum meorum scripsi sub conditione: si sine liberis defungatur, teneatur restituere hereditatem Cajo, obligatus sit eandem restituere, casu, quô Monasterium ingressus est, eô ipsô, quia ingressus Religionem sine liberis decessit?

SUMMARIUM.

Resolvitur quæstio negativè, ita ut non teneatur restituere hereditatem sub tali conditione relictam, n. 1.

Ratio decisionis sumitur ex citatâ superius authent. n. 2.

Allegatur alius textus ad hoc probandum ex jure Cano. n. 3.

Gravis

Gravis controversia inter DD. an hoc casu Monasterium habeatur loco filij, vel solùm heredis indefinitè accepti. 4.

In proposito casu loco filij haberi concluditur. 5.

Respondetur ad objectionem. 6.

Fictio juris, & de jure, sæpè prævalet. vel: idem potest de jure casus fictus, quod aliàs per se casus verus. probatur per exempla ex jure utroque petita. 7.

Argumenta Sanchezij in contrarium allegata. n. 8. 9. 10.

Responsio ad primum. n. 11.

Respondetur ad secundum argumentum Sanchezij. n. 12.

Rejicitur limitatio adducta à Barbos. cit. loc. quasi tunc Monasterium non excludat substitutum, si specificè testator dixerit: si sine liberis ex corpore suo natis decesserit. 13.

Ratio pro nostrâ sententiâ. 14.

Taciti & expressi est idem consensus & voluntas. 15.

Præsumptiones, quas faciunt, & excogitant contrariæ opinionis Authores, refutantur. 16. & 17.

Respondetur ad aliud argumentum Sanchezij. n. 18. & 19.

Rejicitur alia limitatio ad nostram sententiam adducta à Barbos. cit. loc. 20.

Ponitur alius casus magis dubitabilis ad conclusionem in præsenti facti specie factam. n. 21.

Assignantur alij 2. casus, ubi videtur certum, à Monasterio non excludi substitutum. n. 22. & 23.

Monasterium, nisi in casibus à jure expressis, non habetur loco filij, vel heredis sui. n. 24.

1.

RESpondeo: certum esse ex præfata ***Authentica.*** §. ***sed & hoc præsenti*** non teneri ad restitutionem, sub tali conditione gravatum: si ingrediatur Monasterium.

2. Quia, ut ibi dicitur: favore Religionis habetur conditio adscripta pro non adjectâ, ibi: Ejusmodi conditiones invalidas, & pro non scriptis esse.

3. Deinde est expressus textus ***in c. in præsentia. tit. de probation.*** ubi in terminis deciditur: Monasterium non obligari ad restitutionem fidei commissariæ hæreditatis, in casu, quo quis gravatus restituere sub conditione, si sine liberis decesserit,

ingressus monasterium, in eodem sine liberis moriatur. Et respondet Pontifex ibi: quod talis in religione moriens non censeatur sine herede decessisse, qui monasterium sibi heredem instituit.

4. Propter quæ verba valde pugnant DD. inter se, an tali casu habeatur monasterium loco filij, vel an solùm loco heredis indefinitè accepti, sicut pro utraque sententiâ communi adducit plurimos authores *Cavallos. communium contra communes. tom.* 1. q. 192.

5. Ego existimo, nisi cavillari textum velimus, hoc casu omninò loco filij monasterium venire, quod inde videtur manifestè probari, quod testator, qui conditionem posuit: si sine liberis decesserit, sine dubio intellexerit de liberis veris & non pictis vel fictis, aut de quocunque herede, etiam extraneo: Verba enim testatoris accipienda sunt, ut sonant, & in proprio sensu, nisi absurdum sequatur. Quis autem nescit, nomine liberorũ filios, sive descendentes intelligi: Per expressum *text. L. liberorum. ff. de verb. signif.* atqui, si in nostro casu nomine heredis non intelligeretur filius sive heres suus, inepta esset illatio Pontificis: propterea scilicet gravatum sub conditione: si sine liberis decederet, non obligari ad restitutionem, quòd ingressus religionem, monasterium heredem instituerit. ergo sine herede non decesserit, ibidem mortuus, quia utut monasterium veniret nomine hæredis extranei; tamen ad implendam conditionem liberorum, sine quorum existentia jubeatur restituere hereditatem, non sufficeret, cum testator de liberis senserit, & sic de suis heredibus, non de quovis, & quocunque herede extraneo.

6. Si dicis: Testator sensit de liberis veris. Monasterium autem non nisi fictè in hoc casu nomine liberorum vel filii venit,

nit, ergo conditio liberorum impleta non est, quam Testator adjecit institutioni heredis, postea religionem ingressi.

6. Respondeo: non esse novum in Jure, casum fictum æquivalere casui vero: sicut & hic contingere dicimus, ut favore religionis monasterium fictione Juris & de Jure æquiparetur filio, vel uni ex liberis ab herede, vel testatore descendentibus: ut constat passim ex utroque Jure, & in specie in fictione *L. Corneliæ.* quâ fingitur mortuus ante captivitatem, qui tamen adhuc vivit, favore militiæ, & eidem ascriptorum. Idem patet in fictione *Iuris postliminij.* alijsque quàm plurimis, quæ veritati æquiparantur, dominantúrve. sicut de Jure SS. Canonum patet *ex c. ex parte sua. de Cler. non resident.* ubi, qui abest ab Ecclesia sua, habetur pro præsente & residente. Sicut Monachus cum licentiâ sui abbatis extra claustrum existens, habetur pro existente in monasterio. per ea, quæ notat *Gloss. in c. ferrum. dist. 50. & c. susceptum. de rescript. in 6.* quotiescunque enim Jus aliquid fingit, & desuper certum Jus statuit, ut in nostro casu contingit, prævalet, vel æquiparatur veritati, & hæc fictio dicitur Juris & de Jure, neque admittit probationem in contrarium. ut bene notat *Calderinus in suo repertorio.* cum communi DD. *verbo. fictio.* Consequenter, tametsi in nostro casu Testator intellexerit de liberis veris, quia tamen Jus Pontificium fingit, & æquiparat hîc Monasterium heredi suo, sive uni ex liberis, & desuper Jus statuit, ut patet ex decisione. *cit. c. in præsentia.* standum erit decisioni, determinationiq; Juris, heresque *allegato jam modò c. in præsentiâ* indefinitè sumptus, pro herede suo sive filio, aut uno ex liberis hîc & nunc accipiendus veniet. Et ita nobiscum sentiunt plurimi citati à *Sanchez. in 10. præcept. decal. lib. 7. c. 16. num. 3.* & quos pro communi allegat *Cevallos communi. contra commun. tom. 1. q. 192. cit.*

Neque credimus, contrariam sententiam, quòd nomine heredis indefinitè *in saepe cit. c. in praesentia.* prolato, monasterium non veniat loco filij, bene fundari à *Sanchez* sequentibus argumentis.

8. Primò, quia authentica sæpè allegata dicit, ejusmodi, conditionem in favorem religionis pro non scriptâ haberi, ergo Monasterium non venit nomine filij.

9. Secundò, si Monasterium veniret nomine filij, tunc Monasterium sub tali conditione: si sine liberis. gravato herede, ac religionem profitente, excluderet etiam aliam causam piam, illi sub hac conditione substitutam, consequens est contra expressa verba *cit authent.* ergo.

10 Tertiò, quia sequerentur multa absurda.

11. Respondeo enim, & quidem ad primum: licet de Jure civili *cit. authent.* talis conditio in favorem religionis pro non adscriptâ habeatur, de Jure tamen Canon. allegato *c. in praesentia.* haud habetur pro non adscriptâ, sed pro impletâ, per expressum textum, ibi: non censetur sine herede (id est filio, vel uno ex liberis) decedere, qui Monasterium sibi heredem instituit. Secundò dicimus, talem conditionem haberi solùm pro non adscriptâ, & invalidâ de Jure civili, in quantum Testator voluit, conditionis impletionem fieri in casu vero, sive in quantum intellexit de filio, & liberis propriè dictis, non verò quod habeatur pro non ascriptâ, in quantum Jus Canonicum extendit, & sumpsit in casu liberorum ficto, fictione Juris & de Jure. primum enim Testator non potuit, cùm sic concepta ejus dispositio in præsenti specie facti, sit contra sæpe dictam authent nullus enim Testatorũ facere potest, ut in suo testamento Jura, & Leges non habeant locum, cùm ultimæ voluntates secundum leges regulandæ sint, non leges secundum ultimas voluntates Testatorum.

12. Se-

12. Secundum argumentum æque nihil convincit. Respondeo enim negando sequelam Majoris. Hæc enim fictio juris, quod Monasterium hoc casu loco filij habeatur, solummodò in favorem Religionis introducta est. Quid ergo mirum, si non habeat locum, ubi substitutus paris est conditionis & favoris, piâ scilicet causâ substitutâ? Secundum illud tritum: Privilegiatus non utitur Privilegio, contra æque Privilegiatum. Ut taceam, istum casum, quando scilicet pia causa fuit substituta, unum esse de exceptis, per expressa verba *ibidem in authentica*.

Operatur ergo sæpe dicta fictio in favorem religionis, quoties idem favor religionis ex adverso non militat; quòd si idem favor ex adverso militet, ut contingit in casu substitutæ causæ piæ, neque Leges, neque Canones voluère in proposito uni plus favere, quam alteri, sed tenetur tunc is, qui sub tali conditione onerosa institutus est, & postea Monasterium ingressus, piæ causæ substitutæ hereditatem, vel loco ipsius, Monasterium restituere. Cessat enim tunc ratio introductæ à Jure fictionis, quatenus Monasterium habeatur loco heredis & filij, nempe favor religionis, ut adeo favor religionis tanquam finalis causa nominatæ fictionis tantùm locum habeat contra eos, qui eodem favore non gaudent, non autem contra eos, qui eodem favore muniti sunt. ut sunt aliæ piæ causæ, quo casu noluit Pontifex suam fictionem aliquid operari in præjudicium earundem.

13. Unde neque illam limitationem probamus, quam ad præsentem Quæstionem *Barbos cum pluribus à se allegatis ad sæpe cit. c. in præsentia* attexit, ubi tenet, eo in casu, quo Testator determinatè & specificè Titium instituit, cum onere restituendi, si quidem is decesserit sine liberis ex corpore su natis. Monasterium non excludere substitutum, sed eidem, tametsi pia causa

causa non fuerit, sed quivis de populo, obligatum esse; post mortem instituti heredis, & postea ibidem religionem professi, restituere hereditatem. Puto enim, nec hoc casu Monasterium teneri ad restituendum substituto.

14. Et ratio mea est, quia, sive dicat absolutè, si sine liberis decesserit, sive expresse addat: si sine liberis ex suo corpore natis decesserit, unum & idem dicit in effectu: hoc solùm discrimine, quòd unum & idem primo modo substituendi intendat, & dicat implicitè, altero modo substituendi idem magis explicitè & clarè disponat, Ergo sicut in primo modo substituendi certum est, Monasterium excludere substitutum, ita & in secundo modo substituendi excludet.

15. Taciti enim & expressi est idem consensus, & voluntas. *L. cum quid. ff. de reb. credit.* nam qui dicit absolutè: si sine liberis decesserit, sine dubio intendit, etsi specificè non exprimat, liberos ex corpore heredis sui natos, sic enim propriè, & communiter intelliguntur esse liberi hac voce à testatore prolati. Ergo sive exprimat specificè, ex suo corpore natis, sive absolutè loquatur de liberis, eadem erit voluntas Testatoris. consequenter circa eundem hunc utrumque casum, eadem Juris dispositio, negantis Monasterium teneri ad restitutionem. Et hæc sententia est communis & vera, teste *Cavallos. dicto loc. q.* 197. etsi contrariam quoque dicat communem, quam ut probabiliorem amplectitur *Sanchez. cit. lib. 7. c. 16. num.* 12.

16. Quamvis meâ opinione argumenta in id probandum adducta, hoc non convincant, cùm fundentur in meris præsumptionibus excogitatis; quæ, sicut nullo textu hoc casu subesse probantur, ita revera neque subsunt. Putat enim *Sanchez*, propterea regulariter à Monasterio, sub tali conditione gravato herede religionem ingresso, excludi substitutum, quòd aliàs

aliàs ejusmodi clausulæ essent retractivæ à vitâ monasticâ. Negamus enim hoc absolutè, & dicimus, rationem fundamentalem esse, quod allegati textus, qui prohibent ob ejusmodi conditionem: si sine liberis decedat, Monasterium excludi, se fundent in puro & mero favore Religionis, cujus intuitu habeatur ejusmodi clausula de Jure quidem civili, pro non ad scriptâ, de Jure verò Canonico fictione juris & de Jure pro adimpletâ. Super quâ quidem fictione SS. Canones Jus statuunt, quatenus substitutus (nisi causa pia sit) sub tali conditione: si sine liberis heres institutus decedat, excludatur à Monasterio. ut suprà jam diximus. consequenter frustra argumentantur adversarij, & argumentantur ad præsumptiones, & nisi fallor, quærunt nodum in scirpo.

17. Ex eodem fundamento negamus etiam assertum præsumptionis à *Sanchez*, & sequacibus fabricatum, quasi propterea Monasterium in casu *textûs authentica* posito non excludatur à Substituto sub conditione: si sine liberis decedat heres institutus, atque religionem ingressus, quòd Jura præsumant, Testatorem æque dilexisse Monasterium sive Religionem, ac filios hæredis nascituros, adeò, ut si memor fuisset, vel cogitâsset, illum, quem gravavit sub conditione: si sine liberis decederet, religionem intraturum, etiam ipsum substitutum favore religionis exclusurum fuisse, nullam faciendo substitutionem. Negamus, inquam, LL. vel SS. Canones fundari in ejusmodi præsumptione, Sed ut jam supra diximus, in puro & solo favore Religionis, quem sibi pro causâ finali ante oculos statuêre. propterea expressè dicit *Authentica*. haberi ejusmodi conditionem pro non scriptâ, & Canones in favorem religionis, pro impletâ. Sicut neque *Sanchez* ad probandam hujusmodi præsumptionem, ullum allegat fundamentum, vel textum Juris, nisi illum tritum, & omnibus notum: Multas

Juris decisiones inniti præsumptionibus. Sed hæc in proposito decisio etiam innititur, quæ minor propositio fieri debebat, & probari, cum malè supponatur, eam absolutè negamus. Licet enim nemo inficietur, multas Juris decisiones niti præsumptionibus, nemo tamen prudens negabit, æque multas esse, quæ non nitantur præsumptionibus, sed absolutâ voluntate Legislatoris. Ergo oportebat ipsum in specie probare, etiam hanc decisionem præsumptione niti. quod, quia non fecit, audiendus non est. non enim probat hoc esse, quod ab hoc contingit abesse. Per *L. neq; natales Cod. de probat.*

18. Tertium argumentum, quo *Sanchez* cum sequacibus nostram impugnat sententiam, sic formatur: si ea conditio, nimirum si sine liberis decesserit Titius, substituo Cajum, rejiceretur, tunc substitutio esset pura, & si esset pura, monasterium non succederet, nisi ad tempus vitæ heredis religionem professi, ergo non rejicitur, debebat inferre, quod est apertè falsum, & contra expressum *textum authentica.* Respondeo, illatio videtur, si non subfrigida, saltem manca, nec vera. quasi futura sit pura substitutio, si rejiciatur conditio; quis enim nescit, dictam substitutionem intrinsecè modificari, & dependere à conditione, ita, ut substitutio nulla sit, nullâ existente conditione, sub quâ concepta est substitutio, neque unquam somniare potuit Imperator, qui favorem Religionis tam inconnixè ante oculos habuit, ut solam rejici præciperet conditionem, ita ut relinquatur substitutio pura, quia hoc directè vergeret in præjudicium Monasterij, & Religionis contra intentionem *Iustiniani*, sed hic sensus est verborum: habetur conditio pro non adjectâ, sive invalidâ, id est conditionata substitutio habetur pro non adjectâ, sive invalidâ. Deindè cogitare, ac meminisse debuerat *Sanchez*, saltem de Jure Canon. cui in præsenti materia vel maximè standum est, haberi condi-

tionem

tionem pro impleta favore Religionis, ergo nihil stringit hoc argumentum.

19. Quæro etiam ex *P. Sanchez*, si rejectâ conditione futura sit pura substitutio, qualis sit futura? num vulgaris, pupillaris, exemplaris, vel fideicomissaria? non hæc, quia directè substituit, dicendo, ut audivimus, si sine liberis decesserit, substituo Cajum. directè enim subituit, qui sic format substitutionem: Titium heredem bonorum meorum instituo, eique substituo Cajum, quod necessariò hic contingere, dicendum est, si rejiciatur ex mente *Sanchez* sola conditio, si sine liberis decesserit. Non erit exemplaris, sumus enim extra casum exemplaris; non pupillaris ex eodem motivo; non vulgaris expressa, quia non dixit, si heres non erit Titius, quem instituit; non etiam vulgaris tacita, quia ut ipse *Sanchez* supponit, heres hereditatem adiit. dicit enim, religionem quidem successuram, non autem in perpetuum, sed solùm usque ad tempus mortis heredis Titii, religionem professi. quod tamen manifestè contra Jura dicitur, exspirat enim vulgaris substitutio, ubi semel adiit hereditatem heres institutus. Ergo nulla est in effectu substitutio.

Manet ergo inconcussa nostra sententia, quòd, sive absolutè testator dicat: si heres meus sine liberis decedat, sive specificè exprimat: si sine liberis ex corpore suo natis moriatur, substituo Sempronium, de jure civili conditio habeatur pro non adscriptâ, si heres institutus Religionem ingressus fuerit: de jure verò Canon. fictione juris & de jure in favorem Religionis pro impletâ: nihil morando interim inutiles præsumptiones, quas Authores contrariæ opinionis sine fundamento fabricant in præjudicium Religionis ad sententiæ oppositæ stabilimentum. Negamus denique, ex nostrâ hac opinione, secundùm quam Monasterium loco filij ad excludendum substitu-

stitutum hic & nunc, & quantum ad præsentem facti speciem duntaxat, habendum esse, cum communi conclusimus, plurima sequi absurda, quorum consecutionem in illorum sententia, qui indifferenter & illimitativè Monasterium loco filij venire sentiunt, etsi vix negari posse arbitremur, quia tamen nos ad casum. *c. in præsentia*, & præsentem facti speciem, & quæstionem restringimus, longè ab omnis nos absurdi sequela esse existimamus.

20. Sed neque insistendo puncto juris & dispositioni. *c. in præsentia.* admittimus illam limitationem ad datam hucusque doctrinam de Monasterio excludente substitutum, quam idem *Barbos. superiùs cit. ad. c. in præsentia. de prob. n.* 4. cum allegatis à se facit, quasi Monasterium tunc non excludat substitutum, si testator, cùm duos filios institueret, Cajum & Titium ex æquis partibus, postea Cajo, si sine liberis decesserit, substituat Titium filium, eo in casu, quo is interim antequam sine liberis moreretur, Monasterium est ingressus, militat enim eadem ratio, quatenus ejusmodi conditionata substitutio facta illi, qui postea Religionem ingressus est, sine omni distinctione pro invalidâ habeatur de jure civili, secundùm sæpe memoratam authent. secundùm verò. *c. in præsentia.* in favorem Religionis conditio censeatur impleta.

21. Sed quid dicendum erit in casu, quo testator in testamento antecedenter expresse caverit, ut bona sua in familiâ conserventur, & postea filio heredi substituat aliquem ex familiâ, sub conditione: si filius sine liberis decesserit, ad illum, qui est de familia, bona devolvantur, non obstante, quòd filius interim Monasterium intrarit? Respondeo, tametsi & hæc limitatio, insistendo principijs, juris, absolutè rejici possit, cùm & hoc casu Monasterium loco filij esse, in favorem Religionis censeri possit; Dicimus tamen: hanc limitationem

utcun-

utcunque tolerabilem esse: Quia, sicut Monasterium, quod est incapax bonorum, nunquam excludit sub tali conditione substitutum, ita videtur neque hoc casu excludere, quia licet Monasterium, ut supponimus, quod filius testatoris ingressus est, absolutè capax bonorum sit, incapax tamen familiæ conservandæ est.

22. Sicut neq; eo in casu excludi à Monasterio substitutum putamus, quando heres gravatus restituere: si sine liberis moriatur, ante professionem testamentum faciendo extraneum instituit, quia tunc cessat ratio Legis, & Canonis, nempe favor Religionis, cùm bona nullatenus quærantur Monasterio, sed extraneo, ut supponitur: & sicut hoc casu Monasterium non est heres institutum ab Religionem profitente, ita non potest dici, conditionem haberi pro adimpletâ, quasi cum liberis decesserit, eo ipso, ut diximus, quod Religionem ingressus Monasterium heredem non instituerit.

23. Ultimò probabiliter putamus, etiam eo in casu à Monasterio non fore excludendum, qui substitutus est, si testator absolutè gravârit heredem post mortem restituere, v. g. Sempronio hereditatem, absque eo, ut conditionem, si sine liberis decesserit, adjecerit: videtur enim non improbabiliter teneri posse, tametsi heres interim Monasterium ingrediatur, nihilominus à morte ipsius professi restitui debere hereditatem Sempronio, quia tunc cessat dispositio *authentica, & c. in præsentia.* quæ restringuntur expresè ad certas conditiones, quas favore Religionis, vel pro non adjectis habent, vel fictione juris pro impletis. Ergò cùm hic oneratus heres postea Religionem ingressus fuerit ad restituendum post mortem hereditatem absolutè, quod de jure inconcessum non est, nullamque de conditionibus per *authenticam* reprobatis adjecerit, non videtur negandum heredem, utut postea Reli-

gionem intrârit, obligatum esse, vel loco ipsius Monasterium, ad restituendum hereditatem Sempronio, quia non habemus in hoc casu dispositionem Juris aliud ordinantem. cum *Auth.* *&.c inpraesentia.* contrarium pro favore Religionis solummodò determinent in casu substitutionis & onerati heredis ad restituendum, si sine liberis decesserit, vel aliâ simili, in authent. specificè expressâ.

24. Ubi obiter notabis, verum esse, Monasterium, nisi in casibus in Jure expressis, loco filij non venire. Sicut nec hoc casu, multisque alijs, quos brevitatis causâ omittimus. vide *Interpp. cit. saepè. c. in praesentiâ. maximè Felinum, & Panormit.*

QUAESTIO III.

Utrum valeat ejusmodi clausula in testamento apposita: Filius meus Marcus ex aequis partibus cum alijs suis fratribus heres esto, quòd si verò Monasterium ingrediatur, contentus sit suâ Legitimâ.

Vel si ita disponat; ut etiam in 1. q. meminimus, Cajae consobrinae meae, si nubat, pro dote lego 1000. si verò Monasterium intret, 100, habeat pro suo Legato.

SUMMARIUM.

Resolvitur quaestio haec tertia negativè quantùm ad utrumq; membrum. n. 1.

Ratio fundamentalis pro nostrâ sententiâ. n. 2.

Duo Sanchezij argumenta, praeter ea, quae suprà refutavimus q. 2. reliqua hîc examinantur, & rejiciuntur. 3. & 4.

Responsio ad primum argumentum, petitum à favore nuptiarum contra favorem Religionis. 5.

Licitum est argumentari à nuptijs carnalibus ad spirituales. 6.

Respon-

Respondetur ad objectionem ex jure civili petitam. 7.
Nuptiae non sunt favorabiliores statu Religionis. 8.
Responsio ad. 2. argumentum. 9.
Quae, quantùm ad hoc, sit nostra sententia. 10.
Vrgentur pro nostrâ sententiâ rationes. 11.

I.

Respondeo, tametsi plurimi sint, inter quos etiam aliquot Theologi numerantur, qui contendant, ejusmodi clausulas valere, utut religioni minùs sint favorabiles. sicut in terminis docet & tenet *Covarr. var. resolut. c.* 19. *n°* 7. *& seq. Molin. de Iur. & Iustit. disput.* 207. *Menoch. vol.* 2. *cons.* 169. *Sanchez. de matrim. lib.* 1. *disput.* 34. *num.* 11. & alij apud eosdem allegati, sentio tamen, negativam opinionem omnino tenendam esse, utpote veriorem, Juri civili & SS. Canonibus magis conformem, & ita communiter docent *Felin. Ioann Andr. Panor. in c. in praesentia*, alijque Canonistae. eandem sententiam tenent *Silvester. Armilla. Diana, part.* 1. *tract.* 2. *resolut.* 124. *Less. de jur. & just. L.* 2. *c.* 18 *dub.* 15. cum alijs pluribus allegatis à *Thom. del bene. in tractatu suo. de Immun. Eccles. tom.* 1. *c.* 8. *dub.* 21. *sect.* 3. & eandem in *Thesib meis de testam. sigill* 6. *sent.* 20. Salisburgi publicè propugnavi.

2. Ratio pro nostra opinione fundamentalis, est favor religionis, quem Imperator in *saepe cit authent.* §. *sed & hoc praesenti. & Pontifex in c. in praesentia.* praecipuum ante oculos habuêre, nolueruntque ejusmodi clausulas, utpote pietati & bono Religionis odiosas, onorosasque valere, haberique, pro non adscriptis. & aliàs notum est *ex ff. de relig. & sump. fun. per L. sunt persona.* Summam esse rationem, quae pro religione facit. Adeò, ut etiam contra aequitatem naturalem pro Religione decidendum sentiant *Gloss. & textus* ibidem. Praesertim, cùm aliàs notissimum ex utroque Jure sit, quanto favore, quibúsve Privi-

legijs

legijs causæ piæ contra communem Juris dispositionem gaudeant. Ut videre est apud *Tiraquell.* de Privilegijs causarum piarum, ubi bene numerosum catalogum eorundem contexit, & persequitur.

3. Inter alia argumenta, quibus *Sanch.* suam conatur fulcire sententiam, nostram impugnare, quorũ pleraque jam suprà discussimus, duo hæc reliqua sunt, hîc loci examinanda.

4. Primum, quòd causa nuptiarum & matrimonij concernant bonum commune & publicum, ingressus autem Religionis tantummodò bonum privatum ingredientis Religionem, ergo valere non potest argumentatio à nuptijs carnalibus ad spirituales; &, licet ejusmodi superiùs allegatæ conditiones, & clausulæ Religioni adversentur, favent tamen procreationi prolis & matrimonio, quæ favorabiliora sunt de jure, & eo ipso, quia bonum publicum concernunt, præferenda religioni.

Secundò, quia non est verisimile, aliquem propterea deterrendum impediendúmve à religionis ingressu, quòd legato ob professionem religionis privetur, cùm propterea intret, ut sæculo & bonis temporalibus per tria vota renunciet. hæc *Sanchez cum Covarr. cit. locis.*

5. Respondeo, & quidem ad primum, negando, nuptias magis concernere bonum publicum, adeoq; favorabiliores de Jure esse, quàm sit causa pia, & ingressus Religionis: nam, sicut nuptiæ directè, & proximè tantùm concernunt bonum privatum contrahentium matrimonium, & per redundantiam solummodo & consecutivè bonum publicum, ita & ingressus religionis. quamvis si accuratè loqui velimus, multò directiùs & propinquiùs religionis professio concernat, respiciatq; cultũ & honorẽ Dei, consequenter debeat esse favorabilior, cùm summa ratio sit, quæ pro religione facit, ut audvimus, velitq; Legislator noster Christus, & matrem & patrem relinqui,

qui, quorum tamen causæ de Jure tam favorabiles sunt, & se sequi per abdicationem omnium in religione.

6. Deinde verum non est, quòd argumentum à nuptijs carnalibus ad spirituales non procedat, teste *Everardo in locis Topicis* ubi illud in terminis affirmat. Et quasi verò nuptiæ favorabiliores sint ingressu religionis, quia serviunt procreationi prolis: Cum Paulus dicat, melius facere eam, quæ non nubit, præsertim si & virginitatem suam Deo consecret per vota Religionis assumptæ. Et quæso, magisnè favore dignum erit apud Christianæ perfectionis studiosos, ad quam nos Christus tot locis Evangeliorum invitat, impleri mundum hominibus, quàm per religionis professionem cœlum electis? & nunquid perfectior (quod de fide certum est) status religionis statu matrimonij: quomodo ergo non favorabilior?

7. Si dicis: jus Civile respicere id, quod conservationi communitatis magis servit, hoc faciunt nuptiæ, ergo sunt favorabiliores ingressu Religionis, Respondeo: transeat, quod fortè olim apud Paganos id fuerit in præcipua consideratione, qui tot bella gerebant pro dilatandis finibus & imperio, sive per fas sive per nefas. Verùm apud Christianos Imperatores lumine fidei præditos, & amore religionis flagrantes, hoc falsum est. Hinc passim in Codice & novellis Monachi & Moniales tot favoribus cumulantur, quibus Matrimonio inservientes nullo modo præditi sunt. imò expresse pro favore Religionis nuptiarum conditiones rejectæ. ut sæpiùs *cit. authent.* demonstravimus.

8. Quomodo ergo audent adversarij dicere, nuptias de Jure favorabiliores esse statu Religionis, quarum mentionem & conditionem, ne impeditivæ, vel onerosæ tantùm etiam ex parte sint, vult Justinianus pro non adscriptis esse. Deindè, si Jus Canonicum consulamus, nunquid matrimonium etiam

jam contractum, validum, & ratum, ingressu, & professione Religionis dirimitur? quomodo ergo ausint dicere: nuptias favorabiliores esse transitu ad Religionem? mallem profectò ista non dixisse *Sanchezium*, virum aliàs tam pium & zelosum Religionis.

9. Ad argumentum secundum Respondeo: illud ex se ipso corruere, quia non dicimus nos, propterea esse prohibitas ejusmodi clausulas & conditones apponi solitas. v. g. si nupserit, vel in sæculo manserit, habeat 1000. quòd si Monasterium ingrediatur, contenta sit 100. quòd illæ retractivæ sint à vitâ religiosa, & sic solùm in præsumptione fundentur, ut adeò si probabiliter & prudenter præsumi possit, aliquem ob talem clausulam non fore abstrahendum, quin eâ non obstante nihilominus Religionem ingrediatur, omninò valeant ejusmodi clausulæ & conditiones.

10. Sed nostra sententia est, ejusmodi conditiones & clausulas, pro non adjectis habendas. atque tanquam invalidas reputari, eò quod odiosæ, & minus favorabiles sint religioso statui, in cujus tamen religionis favorem, qui causa finalis, & immediatè movens mentem Principi ad hoc statuendum fuit, jussitque propterea ejusmodi clausulas ob dictum sæpè Religionis favorem pro non adscriptis, & ut invalidas haberi. quis enim defæcatæ mentis, & ab alienis affectibus liberæ, non videt, tales clausulas directè, etsi aliud prætendatur, in præjudicium, onus, odium, & gravamen Religionis vergere?

11. Quæro enim, talis persona. v. g. filius, ex se est inhabilis ad totum ex testamento capiendum, vel solùm ex appositione conditionis? non primum, quia etiam ex mente, & voluntate Testatoris patris potest totum capere, modò non ingrediatur Monasterium, ergo solùm ex appositione Conditionis: si Re-

si Religionem ingrediatur. Nunquid ergo status Religionis in utroque Jure aliàs tam favorabilis contra LL. statuta & SS. Canonum præscripta, in odium rapi dicendus erit ab ejusmodi Testatoribus? atque, si quidem filius gaudere velit hereditate, longè à se removeat ingrediendæ Religionis propositum necesse est? in quâ tamen & servire Deo possit, & bona paterna in remedium ipsius animæ paternæ, in pios usus, & Eleemosynas distribuere, quæ in sæculo mansurus in vanos & profanos usus ex majori parte erit distributurus.

AUCTARIUM II.

DE PACTIONIBUS, QUIBUS GRAvantur Religionem ingressuri.

SVMMARIVM.

1.

QUid autem sentiendum sit de pactionibus, quibus Religionem ingressuri filij, & puellæ nobiles renunciare non infrequenter coguntur omni Juri paternæ, maternæ, aliorumque ex cognatis vel agnatis ad ipsum devolvendæ hereditatis, & esse contenti modicâ portione, aliquando neque debitam legitimæ quotam exæquante, sub prætextu, ut sic eò commodius familiæ status, splendor, & decus conservetur. Immò in genere, quotiescunque propter ingressum Religionis minus capere, & habere ex bonis paternis, maternis, cognatorum, agnatorúmve coguntur professi, quàm aliàs habituri fuissent in sæculo remanentes.

2. Vide *S. Salvianum Massiliensium Episcopum. lib.* 3. *ad Ecclesiam Catholicam. S. Hieronymum in Epistol. ad Demetriadem.* ex Theolog. *Less. in suâ disput. de ingress. Religio.* & quæ *de Iure & Iust. lib.* 2. *c.* 41. *in* 4. *Editione. num.* 86. operi suo inservit. & denique

nique Theses Ingolstadii impressas, ac defensas à *P. Romano VVidman nostri Monasterij Schyrensis professo. Præside Admodum R. P. Gaspare Lechnero Theologiæ Professore. anno* 1623. 30. *Octob.*

3. Ex quorum scriptis certissimum animæ & salutis æternæ periculum, ex ejusmodi iniquis pactionibus sibi imminere, nisi cæci sint, manifestè legent, cognoscentque. Placuit pauca ex illis delibare, ut tanto animarum discrimini, cujus causa totus hic tractatus de Immunitate typo commendatus est, mederemur.

4. *S. Hieronymus* de eo, quid jam suo ævo malè practicatum circa hoc Religionis negotium sit, citato loco ita loquitur: *Miseri parentes, & non plenæ fidei Christiani parvo sumptu, & qui vix ad alimenta sufficiat, virginibus dato. omnem censum in utroq; sexu sæcularibus liberis largiuntur.* nunquid acu pessimum morem nostri sæculi tangit?

5. Sed & audi *Salvianum*, ubi infrà. graphicè perstringentem impiam nostratium consuetudinem. *Nullis à suis minus relinquitur, quàm quibus ob DEI reverentiam plus debetur; Nullos pietas minùs respicit, quàm, quos præcipuè religio commendat. Deniq; si qui à parentibus offerantur filij Deo, omnibus cæteris postponuntur. oblati indigni judicantur hereditate, qui digni fuerant consecratione: ac per hoc unâ tantum re viles parentibus fiunt, quia cœperint Deo esse pretiosi.* Hucusque hi. 2. SS. Patres de eo, quod hodieque fit.

6. Quid autem fieri debeat, ad conscientiæ & animæ salutem conservandam, audi eundem *Salvianum. cùm vos* (ait c. 3.) *ideò plus relinquere ex patrimonio vestro Religiosis filijs deberetis, ut aliquid ad Deum ex facultatibus vestris saltem per filios veniret, ideo filijs non relinquitis, ne illi habeant, Deo quod relinquant. magnificam repræsentantes beneficijs sacris vicissitudinem, dum id studiosissimè procuratis, ne vel per filios vestros aliquid honoris Deus habere possit,*

cùm omnia vos per Dei munus habeatis. Cur rogo tam infideliter? cur tam impiè? non exigimus, ut vestra Domino largiamini; aliquid Deo de suo reddite. Id ergo agitis (pergit eodem c.) *ut pœniteat eos cœpta Religionis, quos Religio apud vos fecerit viles.* Cæterum *quantum in vobis est, id agitis, ut sæculi cultores esse faciatis, quibus* NB. *sæculares filios antefertis. quid enim est hoc aliud, quam Religionem interdicere, ob Religionem despectui habere? Sed dicitis: quid opus sit Religiosis, aquam accipere cum fratribus portionem! Respondeo, ut Religionis fungantur officio, ut Religiosorum rebus Religio ditetur, ut donent, ut largiantur, ut illis habentibus cuncti habeant non habentes.* hucusque *S. Salvianus.*

7. Ita etiam *S. Hieronymus in in Epist. ad Demetriadem. cap. 7.* cùm dixisset, bona religiosi futuri, non esse propinquis dividenda, sed pauperibus, subjungit: *Laudent te esurientium viscera, non ructantium opulenta convivia.* unde quoq; *Thom. Bozius l. 3. de Iure status. c. 7.* probat, Ecclesiasticos, & Monasteria bonis ditari, ut pauperes inveniant, unde petant. Spoliant ergo pauperes, qui ea Religionibus non sinunt accedere. Quantum autem sit flagitium, rem pauperum sustentationi destinatam pactis fraudulenter ad se trahere *S. Hieron. in Epist. 26. c. 4.* indicat, quando ita pronunciat: *Pars sacrilegij est, rem pauperum dare non pauperibus.*

8. Jungo his, egregiè in rem præsentem *Lessium. cit. disp. de stat. vitæ delig. c. 11. num. 126.* loquentem, ubi ait: *privare filium hereditate, quia obsequio Dei se mancipat, quid aliud est, quam obsequium Dei vile ducere, & filium minoris æstimare, minusq; amare, quòd Christo se consecrârit? Sicut, si quis filium suum abdicaret, quòd addicat se obsequio Principis, videretur injurius in Principem, qui per hoc se contemni interpretaretur. Est etiam quædam Christi exhæredatio, non enim Christus à nobis heres vel exheres scribi potest, nisi ratione famulorum suorum, quibus quod facimus, ipsi Christo facere censemur:*

mur: juxta illud Domini. Matth. 25. Amen dico vobis, quod uni ex his fratribus meis minimis fecistis, mihi fecistis. *Itaq; qui Monasterio, vel filio ingredienti Religionem, portionem suam tribuit, vel hereditatem relinquit, Christum heredem facit, & perinde à Domino acceptatur, ac si ipsemet inde commodum reportaret. Qui verò filium ob introitum Religionis suâ portione privat, Christum exheredat, nec minùs id ab ipso sentitur, quàm, si in se hoc damno afficeretur.* Hucusque *Lessius.* qui *cit. loc. de Iur. & Iust num.* 86. hæc addit singulari notâ dignissima. qui impedit, ne quis Christum heredem faciat, meretur ipse exheres fieri non solum regni, cælestis, sed etiam terreni, & bonorum temporalium, cùm ipse omnia ista à Christo omnium Domino acceperit. ut pulchrè ostendit *Salvianus lib. 3 de avaritia.* idem *Less. cit. loc.* demonstrat: *Peccare mortaliter, & gravissimam Religioni injuriam facere Principes, & Magistratus, qui ejusmodi statuta condunt, ut transeuntibus ad Religionem non liceat bona sua, vel legitimam sibi de Iure debitam, secum ad Monasterium deferre, sed teneantur illa suis propinquis relinquere, etiamsi illi pauperes non sint. aitq; ibidem, eò quod ejusmodi statuta sint contra jus & libertatem Ecclesiæ, & status Ecclesiast. cujus Religio pars maxima est, eorum conditores Excommunicationem ipsò facto incurrere, latam contra violatores Iuris Ecclesiastici.* hucusque *Lessius.*

9. Objiciunt adversarij contra hactenus dicta cum *And. Geil. lib. 2. observ.* 32. ejusmodi pacta non esse exorbitantia à rectâ ratione, cùm utilitas Reipublicæ hoc requirat, quæ sanè per translationem ejusmodi bonorum in Monasteria, fieret impotentior, ad solvenda onera, collectas, & tributa bono communi necessaria.

10. Se-

10. Secundò, cùm pluribus indigeant, sæculo & liberis procreandis inservientes, paucis verò Religiosi, rationem naturalem dictare, ut subveniatur magis indigentibus, quàm minùs.

11. Tertiò, pleraque Monasteria esse satis abundantia, ergo quid opus, opes cumulare?

12. Quartò, multùm interest Reipublicæ, & Statûs politici, nobilium familias conservari, quod sine ejusmodi pactionibus cum Religionem ingredientibus initis, moraliter impossibile foret. ut enim pecunia nervus belli est, ita & familiarum, splendorisque earum, ut ille cecinit:

Nempe categorias inter substantia sola
Plus in honore potest, quàm genus & species.

13. Quintò, Religiosi maximè alieni esse debent à cupiditate, & avaritiâ, quæ est idolorum servitus, præsertim, cùm Monasteria sufficientes reditus habeant ad sustentandum numerum suorum Religiosorum; cur ergo ultra inhient opibus, quæ cùm alijs necessariæ sint, illis futuræ sint superfluæ?

14. Hæc est catapulta quintuplex, quâ Antagonistæ nostri expugnatum eunt, Religionis jura.

Rogo ego, ut defæcato interim sint animo, dum in antecessum hanc pseudoprudentiam, & non nisi carnem & mundum redolentem, ad. S. Spiritûs pædagogiam duco: non oggeram his philocosmis, ne bilum in nasum conciam, quod Christus Petro, ea quæ carnis sunt, suadenti exprobravit: vade retrò satana, scandalum es mihi, non enim sapis ea, quæ DEI sunt, sed quæ hominum, *Matth* 16. Verùm, quid de hac mundi sapientia *Paulus*. 1. *Corin*. 3. sentiat, audiamus: *Sapientia hujus mundi stultitia est apud Deum*. & quod ad *Rom*. 8. scripsit. Sapientia *Carnis* ini-

mica

mica est Deo. quodque iterum ad *Corinth. 2. c. 1.* fidenter regerit: *non est ista sapientia desursum* Et si *Eccles. c. 31. beatus* prædicatur, *qui post aurum non abyt, nec speravit in pecunia & Thesauris*: nunquid infelices è diametro sunt, qui pro familiarum fulcro divitias locant? *Dives* enim, ut ait *S. Iacob. c. 1.* in itineribus suis marcescet. Et corruet, si *Proverb. c. 11.* credimus, *qui confidit in divitiys.*

15. Sed omissis scripturæ locis, respondeo ad objecta, & quidem ad primum: negando, Rempublicam ex ejusmodi translatione bonorum in Monasteria fieri impotentiorem. Nam imprimis, cur non quiritantur potius, tot millia fl. efferri quotannis in alienas terras ab lustrantibus peregrè, & sæpè inutiliter, Italiam, Galliam, aliasque Regiones, reportantibusque domum corruptos mores parum germanam sinceritatem sapientes, quæ si in patriâ remanerent, Respublica tot pecunijs potenter juvaretur.

16. Secundò non est, cur ex raris casibus tam trepidè metuant Reipublicæ detrimentum, quantuli enim sunt, si cum ingenti numero degentium in sæculo conferas, qui Religionem amplectuntur? & præsertim ex nobilioribus nostra ætate? unde fiscus Reipublicæ periclitetur.?

17. Tertiò, quasi verò Monasteria exsortia, ac libera sint ab oneribus & collectis? quando in nostris Germaniæ partibus aliquot tantùm Ecclesiæ Prælati plus debent contribuere, quàm tota nobilitas provinciæ. Quâ fronte igitur audent ex translatione bonorum in Monasteria queri, Rempublicam fieri impotentiorem, quæ plus ab aliquot tantùm Monasteriorum Abbatibus recipit, applicanda ærario, quàm à totâ nobilitate. Et nunquid S. Pontifex in communibus necessitatibus tam pervicax, & difficilis est, ut non consentiat in collectationem Cleri & Religiosorum? quæso quid frequentius hoc no-

stro ævo? Ergo falsum est, quod de impotentia Reipublicæ ex translatione bonorum in Monasteria quiritantur, & comminiscuntur.

Imò si saniora saperent, potiùs pro Religionibus, Religiosisque starent consulendo, quando ex Religiosorum precibus, ac sacrificijs, quibus nil carius Deo est, Numen avertere calamitates novit, ubertatem terræ indulgere, prosperos bellorum successus concedere, &c. quorum unus aliquando fortunæ secioris ictus, plus Rempublicam atterit, quàm multis annis ex vectigalibus corrasa pecunia Rempublicam adjuvet.

19. Legant historias, quæ in promptu mihi sunt, & invenient, quòd una nonnunquam Sanctimonialis, plus contra immanes hostes ad Deum precando potuerit, quàm plurima militum millia pugnando. Et dic, sodes, num minùs tributorum, Steurarumque per Germaniam est, postquam Monasteria per hæreticos expilata, & in fiscum missa sunt? minimè gentium.

20. Certè probatus Author memoriæ prodidit, post omnia per Angliam excisa Cænobia, redactisque in fiscum redditibus, tantâ egestate paulò pòst conflictatum esse Regnum, ut nunquam antè, stantibus etiamnum Monasterijs, & abundantibus, tantæ penuriæ indigenæ meminerint. Causam divinare tanti mali perpromptum est. Subtraxit Deus Regno benedictionem, qui novit etiam quinque panibus aliquot millia pascere.

21. Quando felicior Germania nostra fuit, quam sub Carolo Magno? Et quis Imperatorum largior interim in Monasteria fundanda, ditanda, eximenda ab exactionibus? Sciebat, per Monachorum turmas propitiari sibi Numen, inde toties victor etiam ex oriente occursantes habuit, qui ipsius

poten-

potentiam mirati adorarent. Testis est *Trithemius. l. 1. de vir. illust.* nostrum S. Benedicti ordinem olim tertiam orbis partem possedisse. Nunquid Imperium Romanum, Resq; publica christiana tunc impotentior fuit, quæ toto pœne mundo dominabatur, quam modò, quo propè ad incitas multa rediguntur Monasteria? nam date, & dabitur vobis, DEI verbum est, ergo qui non tantùm non datis, sed tollitis Dei famulis, quæ Dei sunt, quid mirum, & vestra tolli vobis à Deo, & ad tantam paupertatem redigi.

22. Ad secundum respondeo: Argumentum hoc eandem sapere pseudoprudentiam, quam, quod primò fabricatum est, sapuit. Mundo, mundique vanitatibus, curis, ac pompis servientes pluris indigent, ergo quæ humano divinoque Jure in Religionum candidatis ac professis Deo debentur, mundo potius dedicanda sunt, quàm Deo: putida ratiocinatio, & quam piæ aures abhorreant.

23. Sed recta ratio docet, magis indigentibus potiùs subvenire, quàm minùs. Assentior, si verè indigentes sint; non autem habere, quod consumas in pompam vestium, vanitatem mundi, & delicias, non est egere, sed non habere luxuriæ instrumenta, quibus quilibet bonus Christianus carere debet ex præscripto Legis Evangelicæ. Secundùm illud *Pauli* 1. *ad Cor.* 6. habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus.

24. Tertium argumentum se fundat in facto, quod non probat, sed supponit, pleraque monasteria esse satis abundantia. Respondemus primò. falsum esse, Monasteria ex majori eorum parte abundare, quando nimis palam est, pleraque debitis onerari, in quæ & belli calamitatibus, & continuis, gravibusque hucusque exactionibus conjecta sunt. Deinde

sint aliqua sine debitis. Neque tamen propterea dicenda erunt opes opibus cumulare, quando aliud non quærunt, quàm quod illis debitum est, & quod in sustentationem hospitum & pauperum expendant, *qui*, ut *Regula* nostra *S. Benedicti* dicit, *Monasteriis nunquam desunt.*

25. Et sciunt Abbates nostri, quanta pecuniarum summa quotannis in hospites tractandos, eleemosynasque faciendas expendenda sit. Unum nomino celeberrimum Augustæ Vindelicorum Monasterium SS. Udalrici & Afræ, cui modo Reverendissimus D. Gregorius vigilantissimus præest, Patronus meus singularis, & ordinis Zelosissimus Abbas, ex cujus ore habeo, quæ refero: plus in hospites uno anno occurrentes sumptuum sibi faciendum esse, quàm in totum religiosissimum suorum Patrum, fratrumque cœtum. Vidi ipse, in cujus Cœnobio hæc ejus liberalitate scribo, uno solum die ad 24. hospites occurrisse, & lare & mensâ suscipiendos, tractandosque. Accedit hactenus dictis, quòd, si quid superesset ex reditibus, illud ad augendum servorum Deo famulantium numerum pro majori Divini cultûs gloriâ impendere Abbates possent, & vellent.

26. Ad quartum respondeo. Si interest Reipublicæ, & status politici, splendorem nobilium familiarum conservari, non repugnant Monasteria, sed negant, id suâ, suorumque injuriâ fieri oportere. Falsumque est, alios non suppetere modos, quàm, ut ejusmodi pactionibus de Jure etiam civili prohibitis, contra propriam conscientiam, & cum interitu animæ suæ, utantur.

27. Quasi verò potior causa familiæ conservandæ sit, quam Christi, alendorumque pauperum? quasi verò Christus propterea carere debeat, ut sæcularis pompa, & splendor caducæ

ducæ propaginis conservetur? Majores nostri egregiè factis in bello contra hostes Ecclesiæ, sibi famam, opes, & splendorem familiæ quærebant. En Rhodus! en saltus! area lata est, hanc fortes & magnanimi ingrediantur, & opus non erit aliena capere, & illicitè quæsitis velle splendere, quando illud poetæ dictum veriverbium est.

De malè quæsitis non gaudet tertius heres.

28. Ultimum argumentum injuriâ gravi perstringit Religiosos, & quâ isti adversarij misere laborant, cupiditatem & avaritiam impingunt Monasterijs. An enim avarus est, qui quod Christo, & Religioni debetur, petit? qui pro Eleemosynis pauperum sollicitus est? qui alendis in Dei servitio famulis de necessarijs prospicit? ipsi judicent Antagonistæ, sed Christianè, sed sine noxio affectu, quinam in causæ meritis potiores habendi, an qui mundo serviunt, vel qui Deo? & hi quidem, dum quod sibi de Jure debitum est, quærunt, illi vero, dum cum aliorum, & Christi injuriâ pro mundo, & ejus vanitatibus pugnant.

29. Audi *Less. cit. disput. 4. num. 121. c. 2. Ecce.* (alloquitur ejusmodi harpagatores) *exspectat te egressurum de vita officium tribunalis tremendi, exspectant tortores angeli; & tu futuras post te heredum mundialium pompas, & delicias animo versas? quàm benè scilicet heres tuus post te de tuo prandeat, vestiatur? Infelicissime omnium, quid tibi cum his deliramentis? quid cum proditione ipsius vanitatis? nunquid succurrere hoc tibi inter supplicia summa poterit, si is, qui res tuas prodigè comedit, lautus & pransus bene eructârit? ac propter hoc nulli parentibus magìs noxij, quàm filij nimis amati. Hæc ergo cogitent, qui, ut filios in sæculo viventes, in hac caducâ, & brevi vitâ divites post se relinquant, æternâ se ipsos morte condemnant.* & paulò inferiùs idem Less. *Si ergo homines totum mundum spernere oportet, ne animarum damna patiantur, quàm insi-*

piens est, qui ut alium divitem faciat, animam suam condemnat! O quantam remunerationem habituri essent, si in Deum liberales forent, qui ne potum quidem aquæ frigidæ mercede sua carere vult.

30. Et bene causam totius mali hujus idem Doctor asserit: *esse Infidelitatem horum sæcularium, quòd non credant Scripturæ, vel judicium tam severum esse futurum, nunquam in animum inducant, etsi de verbo etiam otioso reddituros rationem homines Salvator pronunciet.*

31. Concludo denique cùm eodem P. Less. cit. disp. num. 126. & dico *non esse, quod mirentur, qui talia faciunt, si familias suas in graves calamitates incidere, & interdum penitus extingui videant. ulciscitur enim Deus injurias suas, etiam aliquando in hac vitâ, & ab illis, qui ipsum exheredem faciunt, suam benedictionem subtrahit, quâ sublatâ omne genus adversitatum, vel confertim irruit, vel sensim irrepit. Hinc infelicia liberorum Matrimonia, damnosi contractus, mercium jactura, sterilitas agrorum, naufragia, incendia, lites, latrones, morbi, quibus substantia exhauritur, status honoratus evertitur, & familia mærore, egestateq; conficitur. Poterant istæ calamitates à Deo, qui omnia prævidet, facillimè præveniri, & averti; sed quia te indignum præstitisti, statuit non avertere, sed permittere res agi suis motibus, & insuper dæmoni laxat habenas, ut consilia tua dissipet, vel adversarios tibi suscitet, vel in tuas fortunas sæviat. Horum nihil permissurus erat, si te in ipsum liberalem præstitisses. &c.* Hactenus *Lessius*.

32. Atque hæc paulò fusiùs ingerenda fuêre, quòd ista lues animarum, jam liberè serpat per nobilium domos, nec sint interim, qui sibi conscientiæ ducant, etsi per ejusmodi pacta in filijs, filiabusque Religionem ingressis, Monasteria circumveniant, ausi jactare, passim ita practicari; nec deesse doctissimos viros, Jurisque consultos, qui hoc sentiant, & consulant. Sed dicam miserè ruentibus in interitum salutis,

quod

quod Christus in Evangelio: Si cæcus cæco ducatum præstat, ambo in foveam cadunt. quod utinam non frequenter obveniat ijs, qui fucatis pseudopoliticorum rationibus libentes & prompti assentiuntur. Eò ipso, quòd illi ad votum & voluntatem eorum consulunt, utut illud interim parum Evangelicam veritatem, doctrinamque Christi ac SS. Canonum sapiat.

Atque his Disputationi secundæ finem imponimus, auspicaturi materiam de Immunitate reali, quam Disputatione tertia mox sequenti, pertractabimus.

Disputatio III.

DE DIVISIONE IMMUNITATIS ECCLESIASTICÆ IN REALEM.

CAPUT PRIMUM.

Quænam res gaudeant Immunitate Ecclesiastica reali?

§. I.

SUMMARIUM.

Inter res, quæ Immunitate gaudent, Ecclesia primum locum obtinent. num. 1.

Nomen Ecclesiæ variè accipitur de Iure. SS. Canonum. hic sumitur pro templo, sive loco, qui ad usum Sacrificij, Sacramentorum percipiendorum, verbum DEI audien-

audiendum, & adorandū Deum, dedicatus, & consecratus est. n. 2.

Primò. Ecclesiæ non possunt gravari depositione, vel illatione rerum profanarum, ut: esculentis, poculentis, utensilium supellectile, militum hospitatione, & similibus. n. 3.

Refertur exemplum S. Henrici Imperatoris graviter à S. Benedicto castigati, quòd ipsius milites in Capitulum unius Monasterij sui Ordinis equos ad præsepia locârint. eod. n.

Secundò. interdicta sunt in Ecclesijs omnes actiones Forenses, judicia politica, vel bellica, scena, vel comœdia ludicra, profanaq́, aliaq́, multa, quæ majestatem divinam & templa eidem dedicata dedecent. n. 4.

Tertiò. ut asyla, Ecclesiarum sacrosancta sint, neq́, confugientes ad Ecclesias extrahi possint, ut seq. disput. fusius tractabimus. n. 5.

Quartò. ut Ecclesiarum res & bona, item reditus & fundi, tributis, alysq́, oneribus aut injurys non graventur. toto tit. de Immunit. Eccles. n. 6.

I.

EXpedivimus totâ disputatione secundâ, quantum satis videbatur, primam divisionem, quâ Immunitatem Ecclesiasticam partiti sumus in personalem.

Ponè sequitur, ut alteram disputationem, & in ordine tertiam, moliamur, quâ dividimus Immunitatem Ecclesiasticam, in REALEM. rebus scilicet ad Ecclesiam, personasque Ecclesiasticas pertinentibus attributam.

1. Auspicaturi itaque cum bono Deo hoc caput primum, dicimus: inter res, quibus hæc Immunitas addicta est, Ecclesiam, velut primipilarem esse, & agmen ducere. Ubi adverte, etsi non nesciamus, Ecclesiam variâ in Jure nomenclatione, & sensu usurpari, ut videre est apud *Archidiaconum. in c. fundamenta. de elect. in 6.* & quæ in *verbo. Ecclesia,* fusè *Lexicon Iuris acervat.*

2. Accipitur tamen hîc loci cum *Suarez. lib. 4. de Immun. c. 17.* & communi Canonistarum, pro ipso templo, quod ad usum sacrificij, Sacrmentorum, verbum DEI audiendum, & ad

& ad orandum Numen, dedicatum, atque consecratum est. atque sic sumpto Ecclesiæ nomine, certum est secundum SS. Canones, imò & Imperatorum Leges. *toto titulo Cod. de SS. Ecclesijs*, eam varijs prærogativis & Immunitatibus donatam esse, de quibus latè *Suarez. tract. 2. de Religione. toto lib.* 3. commentatur, quem consule. Nam animus non est, vagari extra materiæ præfinitæ metas, quæ, quantum ad Immunitatem rerum consideranda nobis est, quatenus ab oneribus, tributis, indictionibus alijsque gravaminibus de Jure SS. Canonum. *toto titulo de Immunitate Eccles.* libera esse jubetur. vide etiam *c. quæ semel & seqq. dist.* 19. *c. ligna. de consecr. distin.* 1.

3. Hinc certum est primò, gravari non posse depositione rerum profanarnm, ut: esculentis, poculentis, utensilium supellectile, militum hospitatione, &, quod deterius foret, equorum vel animalium invectione, quæ sacrilegia utinam non frequenter bellorum injuriæ aulæ forent! etsi non rarò præsenti Numinis vindictâ, nam ut author est *Brunerus. annalium Boicorum. p. 2. lib. 9 mihi pagina* 762. S. Henricum Imperatorem suo ore professum, utramque se Divi Benedicti manum, vindicem juxta, medicamque expertum. Olim enim, cùm Bojæ Jura daret, Monasterio Benedictino cum suis receptum, Nursini Patris in se iram concitasse, cùm præsepia equis locandis non sufficerent, ausum esse equisonum nonneminem in Capitulo (ut vocamus) jumenta principis locare, sed vernilem impudentiam sibi magno stetisse; Divum enim Benedictum, ad quem ea injuria, suo & suorum Cœnobio illata pertinebat, sibi virgâ latus fodicâsse, irato similem & minitanti, idque exinde dolorum seminarium, & infelicium calculorum fuisse, donec idem, qui plagam inflixerat, sacrilegium famuli in Principe vindicaturus, denique pœnitenti medicinam Cassini faceret. Hæc *Brunerus.* Et probatur hæc Ecclesiarum prærogativa

gativa per *text. in c. 1. hoc tit. de Immunit. & in c. 2. de custod. Eucharist.*

4. Secundò. interdictas esse omnes in Ecclesijs actiones forenses, judicia politica, vel bellica, scenas, aut fabulas ludicras, aliáve, quæ Majestati divinæ offendiculo sint. per express. *text. c. 1. c. & 2. hoc. tit. de Immunit. in 6.*

5. Tertiò. ut asyla Ecclesiarum sacrosancta sint, neque confugientes ad illas per violentiam extrahantur. de quibus sequenti disputatione pluribus agemus.

6. Vltimò. ne Ecclesiarum res & bona, sive consecrata sint, sive non, item reditus, & fundi, tributis, alijsúe oneribus, aut injurijs graventur. *toto tit. de Immunit. Eccles.*

§. *II.*

SVMMARIVM.

Post Ecclesias, inter res, quæ Immunitate gaudent, proximè in numerum veniunt Cæmeteria, vestes, vasa, calices, & quæcunque alia consecrata sunt, vel benedicta, tanquam divini cultûs instrumenta. per tex. ibid. allegatos. n. 1.

Huc referuntur etiam domus, horti juxta Ecclesias positi, & ad easdem pertinentes, & alia ibidem enumerata. n. 2.

His succedunt Ecclesiæ, Ecclesiasticorumq; bona, sive mobilia sint, sive immobilia, eo fine, quo explicatur hoc. n. ijsdem collata. num. 3.

Allegatur ratio ibid. n. 4.

Vltimò huc etiam referimus bona Clericorum, aliarumq; personarum Ecclesiasticarum. 5.

De bonis Religiosorum res difficultate caret, per rationem ibid. allegatam. n. 6.

I.

POst Ecclesias, inter res, quæ Immunitate Ecclesiastica gaudere dignoscuntur, proxima sunt Cæmeteria, vestes, vasa, calices, & quæcunque alia consecrata, vel benedicta, tanquam divini cultûs instrumenta. de quibus indubitatum est, ea à tribu-

tributis, vectigalibus & quibuscunq; exactionibus, ac oneribus immunia esse debere, cùm ne quidem in commercio hominum libero existant. per *textum*. §. *nullius autem, instit. de rer. divis.* & ibi Interpretes. Et per ea, *qua notantur in c. qua semel. & sequentib. distinct.* 19. & *c. ligna. & sequent. de consecrat. dist.* 1, neque distinguimus, num ejusmodi vasa, calices, aut vestimenta privatorum oratoriorum, aut Publicarum Ecclesiarum sint, cùm utraque semel dicata Deo, & divino cultui fuerint, consequenter nullam privatam, temporalémve commoditatem, aut usum habere possunt. Et ita sentit etiam *Suarez. ubi supra c.* 19. *num.* 8.

2. His etiam adnumeramus cum *Leyman lib.* 4. *tract.* 9. *c.* 6. *num.* 1. areas, domos, hortos juxta Ecclesias positos, & ijsdem attinentes. item prædia, ex quibus panis & vinum pro sacrâ Eucharistiâ conficiendâ, vel alijs rebus necessarijs ad cultum divinum colligi debent. ordinantur enim ex suo fine ad cultûs divini ministerium, ergo alio onere gravari non possunt. Imo, si antè gravata erant, liberari debent. *per text. c. secundum Canonicam. c. sancitum.* 23. *q.* 8. *c.* 1. *de censib.* & ibi Interpretes. *Innocent. in c. non minùs. hoc titulo. Suarez. de Immunit. lib.* 4. *c.* 19. *num.* 2. & *c.* 20. *num.* 17.

3. Post Cœmeteria, vasa, calices, aliaque Ecclesiarum instrumenta, ritè sacrata, & dedicata Deo, gradum faciamus ad Ecclesiarum, Ecclesiasticorumque bona, sive mobilia sint, sive immobilia, quæ etsi nullius consecrationis interventu extra commercium hominum constituantur, neque divino cultui immediatè addicta sint, à fundatoribus tamen Ecclesiarum, Monasteriorum, aliorumque locorum piorum oblata, & donata sunt, ut à prælatis Ecclesiarum tanquam administratoribus in usus pios, templi ornamenta, ministrorum, Religiosorum, & pauperum, vel hospitum sustentationem impendantur. Atque hæc quoque bona reali Immunitate

 gau-

gaudere, clarissimi Juris est. per *text c. non minùs. c. adversus, hoc. tit. & c. 1. in 6. & Clement. unic. eod tit. de Immunit. & textus est in c. quanquam. & c. 1. de censib. in 6.* & constitutio aperta Friderici Imperat. *post L. 2. Cod. de Episc. & Cler.* quæ incipit: item nulla.

4. Et ratio evidens suffragatur, quia, cùm hæc bona ex intentione fundatorum, & fidelium destinata sint, non in alios, quàm pios usus, quomodo in cultûs divini diminutionem, & consequenter Christi injuriam, & irreverentiam cessura non erunt, quæ injuriosâ tributorum impositione ejusmodi Ecclesiarum bonis subtracta decedent? cùm de proprio Christi patrimonio ea sint, ut *disput. 1. c. 2.* vidimus.

5. Ultimò in eandem classem accensemus etiam bona Clericorum, aliarumque personarum Ecclesiasticarum.

6. Et de bonis regularium loquendo, res in ambiguo non est, cum palàm sit, illos specialiter per tria vota consecratos Deo esse, illorumque bona ad hoc destinata à fundatoribus, unde providere suis necessitatibus & divino cultui, cui dicati sunt, liberè possint.

§. III.

SVMMARIVM.

Clericorum bona sunt in triplici differentia. n. 1.

Differentia. 1. bonorum ad Clericos pertinentium. eod. n.

Differentia. 2. eorundem bonorum. num. 2.

Differentia. 3. n. 3.

Quo ad omnes 3. bonorum differentias Clerici gaudent Immunitate reali. 4.

Quantum ad. 2. &. 3. bonorum differentiam res non habet difficultatem. n. 5.

Patrimonialia ex communi sententia Canonistarum eâdem etiam Immunitate gaudent, per allegatos. n. 6.

Ratio affertur pro sententia hâc communi. n. 7. & 8.

An, & quomodo bona Colonorum, quæ illi in Emphiteusin, usumfructum, aliisq; de Iure Legitimis

mis titulis possident ab Ecclesijs sibi tradita, immunia sint à tributis & collectis? vide pro sententiâ affirmativâ plures allegatos. n. 9. & 10. ratio ibidem affertur. eod. n.

Cum distinctione resolvitur hæc multùm controversa quæstio. n. 11. 12. 13. 14.

Quando Clericus negotiationem licitam, vel illicitam exerceat, breviter deciditur. n. 15.

De hâc materiâ agit fusè cit. loc. Thomas del bene, & Barbos. allegati. n. 16.

Quando Clericus negotiator teneatur ob illicitam negotiationem gabellam solvere? 17.

Regulariter, quando trina admonitio de Iure requiritur, una peremptoria non sufficit. eod. n.

Aliqua non possunt Clerici exercere per se, quia illorum Statum dedecent, quæ tamen negotiando possunt facere per alios, aliqua neque per se, neque per alios, ut quæ merè lucri causâ fiunt. num. 18. 19.

Pecunia, & fundi Clericorum, aliaque res plures, etsi res sacra non sunt, non eò minùs exempta sunt à collectis & Steuris sæcularium, 20.

Allegantur rationes ad hoc. n. 21. & exploduntur contrarium asserentes. ibid.

I.

CÆterùm bona Clericorum, cum communi sententiâ triplici differentia dispertimur. Aut enim primò constant ex proprijs Clerici bonis, quæ patrimonialia vocamus, aquisita, v. g. à parentibus, cognatis, propinquis, quo etiam referimus, quæ aquiruntur eidem, non intuitu Ecclesiæ, sed respectu personæ; aut si quæsita sint industriâ, artificio, aut doctrinâ.

2. Aut secundò, ea obtinent Clerici tanquam ab Ecclesiâ, vel ejus prospectu quæsita, veluti sunt fructus beneficij, distributiones quotidianæ, &c.

Tertiò, quæ mixtæ naturæ sunt, nec ex toto contemplatione Ecclesiæ, nec ex toto intuitu personæ, sed ratione dignitatis Clericalis: ut: quod lucrantur ex missis dicendis, ad quas ratione beneficij, vel præbendæ obligati non erant; vel quia

Capellani Principum existunt, vel quæ aquirunt, ut cooperatores, sicuti vocamus, quales sunt socij Parochorum, in curam animarum partiendam & juvandam adsciti: per ea, quæ notat *Canisius in summa. titulo. de peculio Clericor. Et Panormit. in. c. cùm in officijs. de testam. n. 7. & 8.*

4. Et communis est sententia Canonistarum, quo ad omnes tres species bonorum, Clericis Immunitatem realem indultam esse à SS. Canonibus.

5. Quo ad secundam & tertiam speciem res difficultatem non habet, per textum, & commmunem sententiam Interpretum. *in. c. sancitum. 23. q. 8. c. 1. de censibus & c. adversus. hoc tit.* Et ratio est, quòd, sive titulum intueamur, sive personam, neutrâ consideratione potestati Laicæ subjecti sint: titulus enim, quô ea sibi quærunt, sacer & spiritualis est, Personæ verò omnino exemptæ à jurisdictione sæculari. ut suprà *disput. 2.* vidimus.

6. Quo ad patrimonialia non minùs comuniter tenetur ab Interpretibus. SS. Canonum, nominatim ab *Abbate. in. c. Ecclesia. de constit. n. 21. c. si Clericus. de for. compet. n. 3. c. ultimo de vita. & honest. Cler.* Et docent Juris civilis Doctores in. *L. placet. Cod. de. SS. Ecclesijs.* Summistæ in *verbo.* Immunitas. ibid. *Sylvester. 1. n. 9. Navarr. in Manuali. c. 17. n. 203. Theologi, & in specie. Sayrus in suo Thesauro. lib. 3. c. 22. Medina de restitut. q. 15. Suarez ubi supra. lib. 4. c. 24.* Et sumitur luculenter *ex. c. adversus. hoc titul. & c. quanquam. de censib. in. 6. & Clement. unic. de Immunit. Eccles. atque per cit. constitutionem Friderici Imperat.* ubi in præfatis Juribus universim prohibetur, ne Ecclesiasticis personis Talliæ, collectæ aut aliæ quæcunque exactiones imponantur à Sæcularibus, idque tam Jure divino, quàm humano. *cit. c. quanquam.* prohibitum esse, asseritur.

7. Et

7. Et ratio manifesta est, quia imponere tributum, subditos respicit, cùm id signum sit subjectionis, attestante. *S. Paulo. ad Rom. 13.* ubi ait: necessitate subditi estote, non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam, ideo enim & tributa præstatis. Sed personæ Ecclesiasticæ immunes sunt à jurisdictione Sæcularium, ergo etiam à tributis.

8. Deinde, ut bene argumentatur *Suarez. dicto c. 24.* bona Clericorum tanquam accessorium comitantur personas eorum, quibus adhærent. Ergo si personæ immunes erunt à jurisdictione Laicorum, sanè & immunia illorum bona sint, necesse est. Præsertim, cùm notorium sit, bona Clericorum subesse potestati Ecclesiæ, & Pontificis, quia bona Clericorum ob certas causas aliquando exactionibus subjicit; ut adeò, cùm jurisdictionem etiam quoad bona Clerici indubitanter recognoscant ab Ecclesiâ, & Pontifice, eò ipsò, foro & potestati Laicæ subesse non possint. Sunt enim hæ duæ potestates, Sæcularis & Ecclesiastica, toto genere disparatæ, ita, ut subjectio unius, necessariò inferat exemptionem alterius. Si quidem de primâ qualitate personarum exemptivâ, vel subjectivâ loquamur. Atque has bonorum Clericalium & Ecclesiasticorum species de Jure scripto & communi opinione Doctorum Immunitate reali gaudere, non admodum controversum est. vid. etiam *Thom. del. bene. tom. 1. c. 5. dub. 2 sect. 1. & 2.*

9. Gravis autem Quæstio communiter hîc, maximè à Doctoribus Italis movetur, ut videre est per ea, quæ allegat *Tamburinus noster. de jur. Abb. tom. 1. disput. 15. q. 20. & 21.* an, sicut bona Clericorum, & Ecclesiarum regulariter exempta sunt à collectis & gabellis, etiam illorum Coloni ratione bonorum, quæ ab Ecclesijs, Ecclesiasticisque personis in emphyteusin, usum fructum, precarium, vel locationem, alijsque similibus titulis possident, immunes sint ab illorum præstatione?

10. Et

10. Et affirmativam satis multi tenent, allegati *à Barbos. cit. sapè tract. Iur. Univ. hic. c. 1. §. 5 n. 62.* & tenet *Fachinaus. controvers. lib. 1. c. 91. Tambur. ubi suprà. q. 20. n. 4.* qui ita sæpè resolutum esse testatur: tum à Rota, tum à SS. Congregatione Cardinalium, controversijs jurisdictionis præpositorum. Et *q. 22. post n. 22. duo responsa ab Hieronymo Buccaferreo* pro hâc sententiâ concinnata attexit. Potissima ratio pro præsenti opinione allegari solet, ex *Bulla Canæ Domini. §. 18.* ubi deciditur: Sæculares, neque Clericos, neque Ecclesias posse directè vel indirectè gravare. Sed si prædictis casibus Coloni personarum Fcclesiast. possunt collectari, læditur aliquando principaliter, aliquando saltem indirectè Ecclesia, vel Clericus, ergo collectari coloni non possunt. Nam, ut notat *Baldus* . ex tali collectatione superinductâ, fundos vel prædia Ecclesia jam minori precio locare posset, quam anteà potuerit. Et cùm coloni alijs pluribus oneribus sint subjecti, si etiam hoc collectarum onus accederet, admodum difficile foret Ecclesiasticis personis, invenire colonos, quibus prædia locarent. Maximè, si damnum non foret modicum, & non tam de lucro captando certaret Ecclesia, quàm de damno vitando. Contrarium tenet *Baldus. cit. consil. Felin. in. c. Ecclesia. S. Mariæ. de constit. n. 99. Menoch. de arbitrar. judicum. casu 180. n. 8. & casu. 562. n. 22. & 31. Tiraquell. de Iur. retract. §. 1. Gloss. 13. num. 8. Clarus. §. emphyteusis. q. 48. Covarr. pract. qq. c. 8. num. 3.* Ratio pro hâc contrariâ sententiâ est, quòd Jus, quale ejusmodi coloni habent, separatum sit à Jure, & dominio, quod in tali prædio Ecclesia, vel Ecclesiasticæ personæ tenent.

11. Cæterum, quidquid ponderis hæ rationes habeant, certum est, hanc posteriorem sententiam passim in nostra

Ger-

Germaniâ practicari. Ego meam mentem, quo ad hoc, aperiendo, Dico: quantùm ad Emphiteusin, colonum Emphiteutam ad gabellas vel collectas à Sæcularibus imponi solitas teneri, modò directè vel indirectè non lædatur Ecclesia, vel ejus conditio ratione hujus collectæ noviter impositæ non fiat durior vel deterior. Dominium enim ipsius Emphiteutæ utile, totum Laicum est, ac profanum, & consequenter in se separatum à Dominio Ecclesiæ directo.

12. Idem dicerem proportionaliter quo ad usufructuarium, cùm & usufructus jus reale sit personæ coloni ad dies vitæ ex fundo competens.

13. Quo ad illum, qui prædium ab Ecclesia solummodò ex titulo locati vel precarij possidet, loquendo de collectâ ratione prædij locati, vel precario possessi solvenda, certum videtur, non teneri de Jure. Prædium enim Ecclesiæ quo ad utrumque Dominium tam utile, quàm directum hoc casu penes Ecclesiam vel personas Ecclesiasticas manet. ut adeò, cùm immunia Ecclesiarum prædia ab onere collectandi sint, intuitu illarum neque personæ Laicæ gravari collectis possint.

14. Quòd si verò collecta imponeretur principaliter personæ coloni conductitij, vel precario possidentis, cum respectu tamen ad fructus, quos ex prædio Ecclesiastico tali titulo possesso percipit, modò, sicut suprà notavimus, non lædatur, vel gravetur Ecclesia, non video, quare imponi tali casu etiam ratione, & intuitu fructuum non possit, cùm Dominium horum fructuum totum Laicale & profanum sit, & separatum ab eo, quod Ecclesia possidet.

15. Quantum ad ea bona, sive fructus, vel reditus, quos Clericus negotiator aquirit, sciendum est, Clericum in proposito casu non dici negotiari, sensu à Jure intento, de Clerico negotiatore; si proprios agros per famulos suos, vel conductos

operarios colat, & deinde natum ex suis agris frumentum, fructus, olera, aut ex vinea sua vinum taliter negotiando distrahat. facit enim hoc ad sustentationem suæ familiæ, & ut ex precio inde comparato alia necessaria domui suæ provideat. Sed tunc, quando ex contractu oneroso aliquid comparant, ut inde ex illius venditione lucrum faciant, consequenter ad hoc, ut Clericus dicatur de Jure negotiator, non attendetur lucrum, quod per accidens & concomitanter ex emptione, vel venditione rei necessariæ ad sustentationem familiæ emergit. Et ita notat *Navarr. in Manuali c.25. num* 11. *Quaranta in summa Bullarij. verbo. vectigal. versiculo. tertio quatenus.*

16. Et vide quoad hæc, quæ fusè notat *Barbos. dicto tract. Iur. univers. Eccles. lib.* 1. *c.* 40. *a. num.* 114. & sequentibus. vide etiam satis fusè. *Tom. del bene. tom.* 1. *c.* 5. *dub.* 3. *quantum ad negotiationem Clericis concessam, vel prohibitam.*

17. Hoc igitur præmisso: Dico primò, quòd si Clericus negotiationem illicitam, eam scilicet, quam ex mera cupiditate lucri moliatur, sive per se, sive per mediam personam exerceat, omnino obligatum esse, ratione illius negotiationis gabellam solvere, modò tamen trina admonitione, & non tantum unâ peremptoriâ desuper factâ, Ordinarij locorum eos dehortati fuerint. Et ita tenet *Abb. in c. finali. de vita. & honste. Clericorum.* & quo ad trinas monitiones in specie faciendas *Tabiena. in verbo. Excommunicatio.* 5. *num.* 24. *Sylvester. verbo. Clericus. c.* 3. *num.* 3. *Abbas. dicto. c finali. Salzedo ad practicam Bernardi. Diaz. c.* 58. *versiculo. sed an hoc casu. Cavallos commun. contra communes. q.* 810. *num.* 20. *Molina de jur. & justit. tract.* 2. *disput.* 342. *Camill. Borellus in summa decisionum. Titulo* 7. *num.* 70.

18. Dixi, sive per mediam personam instituat. nam tametsi concedamus, illas negotiationes posse Clericos per alios substitutos exercere, quæ aliàs Clericis per se interdictæ non sunt,

ut,

ut, quia tendunt ad necessariam familiæ sustentationem v.g. vendere, emere vinum, frumentum, oves, boves, carnes &c. sed tantum ratione suæ personæ. ut quia dignitatem statûs Clericalis dedeceant, velut est, officium Macellarij, vel tabernarij exercere.

19. Negamus tamen rotundè cum dicto *Salzedo* ubi supra, & *Covarr. in c. quamvis. p.* 1. §. 5. *num.* 8. illam negotiationem Clericos per alios exercere posse, quæ ipsis per se, & ut talis negotiatio, tanquam merè lucri captativa, ex sua natura interdicta est. Sicut contingere potest in quovis solius lucri, vel quæstus causa instituto commercio vel negotiatione. & sic intelligimus illa, quæ *tota distinct.* 88. de negotiatione Clericis prohibitâ sancita sunt. vide etiam *Cardinalem. in Clement.* 1. *de vita & honest. Cler. num.* 9 *cum gloss.* ibidem in *verbo.* publicè.

20. Videant ergo Laici, extra hos & similes casus exceptos à SS. Canonibus, quantis conscientiæ periculis se se exponant, dum abusi vitiosâ consuetudine, Clericorum bona, etiam patrimonialia, tributis & exactionibus indifferenter subjiciunt. Et toto foro explodimus ficulneam aliquorum ratiocinationem, quâ inscitè argutantur, dum ajunt: Et quid nummus Clerici, quid fruges, quid equus, quid bos, quid lutosus denique porcus, quid sacri redolent, aut circumferunt, ut tributis, vectigalibus, indictionibus principum majores sint? & pro exemptis habeantur? vendi & emi hæ res possint, & per libertatem commerciorum in ordinem redigi sæcularium, & quoties interim sumptus in communi hominum societate faciendi sunt, propter hæc Clerici ad suam Immunitatem provocent? Bellè, scilicet. quasi verò ea solùm, quæ Pontificum consecratione uncta, & dicata Deo sunt, extra sæcularium jurisdictionem secreta sint? Quis, quæso hos fungos (dicant mihi) invendibiles fecit, qui tota sua cuticula profani

 sunt.

sunt. Nunquid Jura? quis res fisci, pupilli, minoris, nisi certis solennitatibus? Nunquid etiam Jura? & quidem civilia, & magnam partem à paganis Imperatoribus sancita.

21. Patiantur ergo sacros quoque Canones sua authoritate fungi, & quæ bona Clericorum libera ob honorem Dei esse à Laicorum oneribus jussère, contra conscientiam tam inscitâ argutatione Principum sæcularium exactionibus non subjiciant. Sed sinamus malè feriatos homines contentiosum funem trahere, nos materiam nostram prosequamur.

CAPUT II.

Quo Jure hæc Immunitas realis introducta sit?

SUMMARIUM.

Res consecrata, vel benedicta, atque ob id Dei cultui destinata, Iure divinô gaudent hac Immunitate reali. probatur ex ijs, quæ diximus disput. 2. c. 1 & allegantur hîc ratio, & textus speciales. n. 1.

Confirmatur hac decisio fundamentali ratione. eod. n.

Negat Suarez, rem sacram eò ipsò, quod talis, sive sacra est, extra hominum dominium, & quod id consequitur, commercium esse, & conatur probare inductione exempli, de gratiâ, cujus aliquis dominus sit. n. 2.

Respondetur Suarezio, de jure contrarium esse decisum. n. 3. allegatis locis.

Argumentum, quo confirmat suam opinionem, sumptum ab exemplo de gratiâ, negamus huc quadrare. Ratio ibidem allegatur. n. 4.

Negamus etiam, argumentum ab experientia petitum, aliquid efficaciter probare, cùm ea facti sit, & non juris. n. 5.

Donatio rerum sacrarum modô quodam impropriô donatio est, & intelligitur fieri secundùm explicatum modum hôc num. & ratio subjungitur. n. 6.

Confirmatur: argumentando ad Laicum, cui absolutè donari taliter non potest, ut illius omni modô liberum dominiū nanciscatur. 7.

An

Conclusio ad præteritam narrationem. 25.
Affertur alia ratio, cur Clerici quo ad bona sua propria collectari à Laicis non posse videantur. 26.

QUò ad hanc præsentis capituli materiam, ne bis idem recoquamus inutili labore, relatos esse nos, & Lectorem nostrum cupimus ad *disput.* 2. *c.* 1. hujus tractatûs, ubi in genere, tam quo ad personas, quàm Res, Immunitatis prærogativam Cleciris competere de Jure quoq; divino diximus, multifariam argumentati pro hujus dignitate Materiæ, quæ meminisse curiosum Lectorem volumus. ut verò in specie modò hanc difficultatem enodemus, operæ pręcium est.

Suppositis igitur ijs, quæ *Barbos. sæpe dicto libro.* 1. *in suo tract. Iur. univers. Eccles. c.* 39. §. 5. fusè disputat. *& Tamburinus de Iure Abbat. tom.* 1. *disput.* 15. *q.* 20. & sequenti: allegatâ ad hoc ab eodem in fine sui tractatûs *decisione Rotæ, coram Merlino in Albensi gabella, vel onerũ.* 28. *Iunij anno.* 1630. quæ est in ordine 104. & tradit *Afflictus decisione.* 361. *à num.* 22. *Innocent. in c. cùm super. de caus. possess. & propriet. & c. verum. de for. compet.*

1. Dicimus materiam per membra partiendo, certum primò videri, res ritè Deo per manus Pontificum sacratas, vel certis benedictionibus usui ac cultui divino destinatas, Jure divino hac Immunitate reali gaudere. neq; hæc sententia dubium habet apud authores. sunt enim hæc bona speciali ratione de patrimonio Christi vel Dei, tanquam proxima instrumenta divini cultûs, ad hoc sanctificata consecratione, vel benedictione Sacerdotum. & probatur ex *c. semel.* 19. *q.* 3. *& c. ligna.* cum sequentibus: *de consecrat. distinct.* 1. *Vbi* semel dedicata Deo, & divino cultui semper talia manere, nec posse ad usus profanos revocari, constituitur, sine dubio ex eo motivo, quia post factam consecrationem speciali ratio-

ratione Dei propria sunt, & de patrimonio Christi: per ea quæ egregiè tradidit *Navarr. comment. 2. de Regularib. num.* 34. *&* *q.* 1. *de reditib. Ecclesiast. monit.* 40. *& in c. non liceat.* §. 9. *num* 4. *Azor. tom.* 1. *lib.* 6. *c.* 1. *q.* 4. *Tann.* 2. 2. *disp.* 6. *q.* 1. *dub.* 4. *num.* 49. *Suarez. lib.* 4. *de Immunit c.* 19. *Leyman. tract.* 9. *c.* 6. *num.* 1. Et confirmatur: quia, cum impositio gabellæ, vel tributi, necessario rei, & personæ, cujus res est, supponat subjectionem, nemo non videt, res Deo dicatas & sacras, nullo tributo vel gabella gravari à Laicis posse. Præsertim, cùm de Jure civili etiam *citato* §. *nullius. instit. tit. de rer. divis.* nullius in bonis sint.

2 Quod autem *Suarez dicto c.* 19. *num.* 6. communem Jurisperitorum opinionem, & meo quidem animo certam, impugnando, negat: rem sacram, eo ipso, quod talis est, extra hominum dominium fieri. contra *capit. & Gloss.* ibidem à se allegata; & quæ *Navarr. de reditib. monit.* 24. *q.* 5 nervosè disputat, contenditque præfatus *Suarez*, non obstante consecratione rei sacræ, nihilominus hominem etiam privatum posse habere illius dominium. v.g. calicis, patenæ, casulæ, &c. adeo, ut nullo Jure res consecrata dominio privatorum hominum, vel communitatis eximatur. Et urget à simili, ex communi Theologorum sententiâ, deducto, qui docent: hominem habere dominium ipsius etiam gratiæ, quæ supernaturalis est, & sine dubio magis sacra, quàm quælibet res benedicta, vel per manus Pontificum consecrata. Immò experientiâ constare, ac convinci asseverat: dominium v.g. vestium sacrarum, item calicum, reliquiarum, paramentorum, altarium, imaginum &c. penes privatos homines, etiam Laicos esse, quas vendunt, donant, mutant &c. jure dominij, quod in ijs habent, necquidquam adversantibus Ordinarijs locorum.

3. Nam

3. Nam respondeo inprimis ad id, quod asserit, nullo jure dominio privatorum rem sacram eximi, apertum textum in contrarium esse. *instit*, §. *nullius. cit.* si enim res sacra nullius in bonis est, quomodò in dominio privatorum erit? Deinde, si res sacra Dei est, tanquam specialiter illi donata, & oblata. ut patet ex Canon. Apostol. 39. *& c. nulli licet. c. prædia.* 12 *q.* 2. *& c. videntes.* 16. *q.* 1. & per *Concil. Trident. sess.* 25. *c.* 1. quomodo est etiam privati hominis? neque enim res divino cultui consecratæ, & oblatæ Deo, in Dominio Dei esse intelliguntur solùm aliquâ generali ratione, quâ omnia etiam profana Dei sunt. attestante *Psal.* 8. Domini est terra, & plenitudo ejus. sed verè speciali, in quantum illa singulariter Deo oblata, consecrata, & donata sunt. Ergo citra verum asserit *Suarez*, ea nullo Jure dominio privatorum hominum eximi.

4. Simile ex communi Theologorum sententiâ sumptum, nihil ad Dominium, ut à Jure nostro definitur, & spectatur, facit. Hoc enim quatenus commercium hominum respicit, consideratur, & intenditur à Jure, quò dominium famæ, vel gratiæ, theologicum se non exporrigit. Ut adeô à diversis & separatis, nec argumentari, nec inferre liceat. per *text in c.* 2, *de translat. Episcop.* præsertim, cùm ex communi sententiâ *Bartoli & Doctorum. in L. si quis vi.* §. *differentia. ff. de aquir. possess* dominium propriè dictum, sit jus de re corporali perfectè disponendi &c. Et notum in Jure sit, rerum dominia traditionibus aquiri, & transferri. *L traditionibus. Cod. de pactis.* quæ qualitas nonnisi rerum corporalium est. & patet ex varijs modis allegatis, quibus *Institut. de acquirendo rerum dominio.* aquiri dominium deciditur. qui omnes modi rerum corporalium demonstrativi sunt.

5. Experientiam autem, quâ res ejusmodi sacras donari, permutari, vendi, in aperto esse, contendit *Suarez*, non video,

cùm

cùm ea facti sit, vnde hinc efficaciter jus probetur. cum Jura non secundum facta regulari, sed facta secundùm Jura debeant. debuisset ergo præfatus Doctor priùs demonstrasse, ejusmodi venditiones, vel donationes rerum sacrarum, ab hominibus privatis Jure fieri, si inde aliquid efficaciter inferre voluisset. ut taceam Jurisperiti Jus commentantis non esse, ea, quæ quoquo modo fiunt, defendere, ac justificare, sed Jus, & Juris sancita.

6. Quòd si autem licitè donare (modo quodam improprio) privatos homines, calices. v.g. consecratos, & similia, quæ habent pro usu privati oratorij, posse concedamus, non apparet ratio, quæ convincat, illos proprium inde dominium ejusmodi rei sacræ sibi vindicare posse, cùm hoc potius fiat ex aliquo consensu tacito, vel interpretativo Ordinariorum, vel saltem Pontificis, quo res non tollitur, quæ Dei est, Deo, sed ad eundem usum, etsi alterius loci, transfertur, manente semper illius rei sacræ dominio penes Deum, quod absurdum non videtur.

7. Quod inde manifestum fit, quia, utut alteri Ecclesiæ dare ejusmodi calicem privatus homo liberè possit, non posset tamen Laico tanquam rem suam. sine dubio, quia aufferretur dominium, quod Christus post consecrationem habet in tali calice, & daretur alteri, quod fieri non potest invito Domino. Neque est consequentia ulla: potest donare dicto modo rem sacram, potest permutare, commodare, ergo potest etiam vendere. Nam quis nescit, Jus patronatûs donari posse? beneficium permutari? sed quis sine sacrilegio dicet, vendi posse? fiunt enim ejusmodi donationes, & permutationes Juris authoritate, nullo autem modo venditiones.

8. Minùs autem rectè sentit *Suarez*, saltem materiæ dominium dictarum rerum sacrarum penes privatos manere.

consecratio enim est modus transferendi Dominium, per *cit.* §. *nullius.* ita, ut res, quæ antè fuit liberi commercij, & in bonis privatorum existebat, jam per, & post consecrationem incipiat esse nullius, & consequenter à bonis privatorum abeat.

9. Deindè, quomodo idem erit in dominio Christi, & in dominio hominis privati secundum idem? dum ejusdem rei duo in solidum Domini esse nequeant, juxta receptum Jurisperitorum axioma. Ut taceam: sic aperiri januam, plerasque res consecratas ad commercium hominum revocandi, damnosâ illâ abstractione admissâ, quatenus scilicet rem sacram secundum materiam consideramus. quasi verò non tota res sacra sit, consequenter in Dominio Dei, vel Christi. Et sic jam denique res Sacramentorum propè nundinari fas erit, cùm sine dubio materiam habeant, per se, & abstrahendo à consecratione, precio æstimabilem. v.g. oleum, vel Chrisma, quibus infantes vel sacerdotes inunguntur, vel quo utimur pro infirmis, in Sacramento extremæ Unctionis. Item aqua Baptismalis, & similia.

10. Quod si excusare velimus eos, qui sacras cruces, imagines, reliquias vendunt, habito respectu ad materiam, dici potest, tunc non tam ipsas res sacras vendi, quam damnum emergens ex translatione harum rerum, resarciri; idque fieri ex speciali indulto summi Pontificis, vel saltem conjecturatâ mente, & consensu ipsius, qui paupertati ejusmodi rerum qualibuscunque possessoribus subvenire velle censetur, resarciendo labores & sumptus in comparatione Imaginum, reliquiarum, cerarum benedictarum, crucum &c. Stat ergo firma Jurisperitorum sententia: res sacras in propiè dicto dominio solius Dei esse, nullius autem hominis privati in bonis.

11. Quantum secundò ad alias Ecclesiarum, & Ecclesiasticorum res attinet, sive illæ mobiles sint, sive immobiles, nullâ ta-

lâ tamen quo ad eas speciali consecratione per manus Pontificum, vel Sacerdotum interveniente. Dicimus, eodem Jure divino videri hac Immunitate reali gaudere. Et ratio est, quòd hæc bona sub speciali quoque Dominio Dei vel Christi constituta sint. Ea enim intentione à fidelibus & fundatoribus oblata fuêre, quatenus cedant in honestam sustentationem eorum, qui divino cultui mancipati sunt, serviantq́ue in usus pauperum, Ecclesiarum ornamenta, & fabricam, aliaque pietatis opera: ut adeò rectè doceat *Suarez. ubi suprà c.* 18. *num.* 5. hanc bonorum habitudinem ad Deum, tanquam ad peculiarem dominum, sufficere ad fundandam dictam Immunitatem realem, non solùm humano, sed etiam divino & naturali Jure. Nam si Dominus, ut ratiocinatur præfatus Doctor, non potest esse subjectus tributis, neq; etiam ipsa bona poterunt tributis subjacere. adhærent enim bona personæ, & sequuntur conditionem ejus, tanquam accessorium suum principale.

12. Et confirmatur: quia solutio tributi non potest per se ab alio, quam à Domino bonorum exigi, & ita necesse est, ut in ipsum redundet, & virtute ipsi tributum imponatur; at verò Dominus horum bonorum non potest esse subjectus tributis, cùm sit ipse Christus, ergo neque ipsa Ecclesiastica bona. Hinc optimè accomodantur verba Christi: ergo liberi sunt filij. sicut *disp.* 2. *c.* 2 vidimus.

13. Consequenter negamus, quod aliqui contendunt, propriè, & immediate proximum dominium ejusmodi bonorum esse apud aliquos homines, vel hominum congregationem, habentem Jus utendi, fruendi talibus bonis, & de illis disponendi in omnem usum jure non prohibitum. Ita, ut v. g. bonorum alicujus Monasterij dominium immediatum penes Conventum sit, bonorum Capituli, penes Capitulum.

14. Nam censemus, solùm eos administratores & procuratores ejusmodi bonorum esse, & tantùm in ijs facere posse, quantum per SS Canones indultum est, ita ut neque summus Pontifex verè Dominus illorum sit, etiam ut Vicarius Christi, sed merus dispensator. Per ea, quæ bene notat *Azor. tom. 2. lib. 6. c. 1. q. 4* Maximè *Navarr.* ubi suprà, & in *Apologiâ. de redditib. Eccles. q. 1. monit.* 18 *&* 24. ubi ait, esse consensum omnium Catholicorum Doctorum. *Suarez. cit. loc. num.* 8. Et probatur ex *c. non licet.* 12. *q.* 2. & alijs à *Tanner.* infra citando allegatis, ubi expressim dicitur: Pontifici prohibitum, prædia Ecclesiæ alienare.

15. Quòd autem hæc bona sint de patrimonio Christi, *textus. est in c. cùm secundum Apostolum. de præbend. & c. cùm ex eo, de elect. in 6. c. quæ Christi. c. qui abstulerit.* 12. *q.* 2. & *concilium trident. sess.* 25. *c.* 1. ubi res Ecclesiasticæ DEI esse, sine dubio non per aliquam Metaphoram tantùm, sed secundum omnimodam proprietatē verborum, assertis verbis dicitur. Et quæ pro hac nostrâ sententiâ satis fusè allegat *Tann. 2. 2. disput.* 4. *q.* 1. *dub.* 4. *num.* 49. & sequentibus.

16. Et notanter attexit ibidem ex Capitul. Francorum veterum formam, sub quâ olìm soliti fuerant offerre sua bona Ecclesijs, ubi inter alia hæc leguntur: Quisquis nostrûm suas res Ecclesiæ tradit, Domino Deo illas offert, atque dedicat, suisque Sanctis, & non alteri, dicendo talia, & agendo ita. Facit enim Scripturam de ipsis rebus, quas Deo dare desiderat, & ipsam Scripturam coram Altari, aut suprà, tenet

in

in manu, dicens ejusmodi loci Sacerdotibus, atq; custodibus: offero Deo, & dedico omnes res, quæ in hac chartulâ tenentur insertæ, pro remissione peccatorum meorum, ac parentum & filiorum, aut pro quocunque illas deliberare voluerit, ad serviendum ex his Deo in sacrificijs, Missarumque solemnijs, orationibus, luminarijs, pauperum ac Clericorum alimonijs, & cæteris divinis cultibus, atque Ecclesiæ illius utilitatibus &c. hæc ibi: Et passim alibi existunt in Archivijs Monasteriorum, aliorumque locorum piorum donationes, sub ejusmodi, vel non multum dispari forma conceptæ: sicut & ex nostro Schyrensi hujus schematis aliqua exhibere possemus.

17. Quantum tertiò ad fructus beneficiorum attinet. Etsi sciam, ex Recentioribus non paucos tenere, Dominium etiam superfluorum penes Clericos esse, sicut in *Thesibus nostris de testament. sigillo* 3. *sent.* 9. vidimus. Sentio tamen cum citatis ibidem & *Navarr.* ubi suprà. *Abb. in c. cum esses. de testam. Tann.* 2. 2. *disput.* 4. *q.* 6. *dub.* 8. *num.* 215. & receptissimâ omnium pænè antiquorum Canonistarum opinione, eorundem fructuum Dominium immediatè penes Deum esse, in cujus Dominio etiam res, vel fundi, ex quibus fructus percipiuntur, & qui ad cultum divinum oblati sunt, existunt, atque tantum percipere posse Clericos ex ijs, quantum necessarium est ad congruam & honestam eorum sustentationem. Et ne multis te teneam, præter allegatos, vide brevitatis causâ apud *Tannerum cit. dubio.* 8. plures hinc inde probationes ex SS. Concilijs & Canonibus acervatas, quibus hanc sententiam suffulcit. Et passim obvia sunt Jura, præsertim in *titulo. de peculio Cleric. & testament.*

& quæ ibidem à *Glossa in principio titul.* allegantur, ad quæ me refero.

18 Quod si tamen cum contrariæ sententiæ authoribus tenere vellemus, etiam in his beneficiorum fructibus, immò in rebus etiam mobilibus alijs, vel immobilibus ad Ecclesias pertinentibus, Clericos Dominium proximum & immediatum habere, nihilominus tamen dicendum videretur, hanc Immunitatem realem Clericis de Jure divino in bonis competituram. Per ea, quæ notat *Suarez dict. c.* 18. in fine.

19. Et ratio pro hac opinione est, quòd adhuc verum sit, ejusmodi bona peculiari ratione tanquam bona dominica ad Jus Christi pertinere, cùm ad ejus cultum & honorem specialiter donata, & oblata sint. tum, quia illæmet personæ, quibus bona adhærent, non sunt subjectæ Sæcularibus, sed Jure divino exemptæ. ergo illorum bona collectari à Laicis non poterunt. possident enim hæc Clerici, non ut communitas civilis, sed ut Ecclesiastica, & ut corpus Christi mysticum, cujus subjectionem sibi Summus Pontifex, tanquam Vicarius Christi in terris Jure divino vindicat.

20. Quantùm quartò ad bona patrimonialia Clericorum attinet, quò ea quoque referimus, quæ industriâ Clericorum, & illa, de quibus suprà disseruimus, quæsita sunt. Dicimus, tametsi hæc bona merè temporalia sint, neque inter res sacras ullo modo censeantur, eatenus saltem Jure Divino hac Immunitate gaudere, teneri posse, quatenus personæ, quarum in dominio illa bona existunt, de Jure Divino exemptæ sunt, eò ipsò, quòd bona illorum personis adhæreant, easque comitentur. Et confirmatur ex eo, quòd tributa, quasi in signum subjectionis, solvantur, & in stipendium laboris, in administranda suprema jurisdictione impensi. Sicut legitur *ad. Rom.*

13. ibi:

13. ibi: Miniſtri enim Dei ſunt, in hoc ipſum ſervientes. Conſequenter, ſicut Clerici omnino exempti, & quidem de Jure divino ſunt, à juriſdictione ſæculari, ita etiam ab omnibus tributis perſolvendis immunes erunt. Nam licèt Principes multi, multum laboris & curæ habeant in pace Reipublicæ conſervandâ; defendendisque civibus, quorum nomine etiam Clerici venire ſolent, videanturque ſub hoc reſpectu tributis ſubjiciendi,

21. Ad animum tamen revocare debent Principes, quòd, ſicut Clericalis Status ab ijs in temporalibus adjuvatur, ita Principes à Clericis, alijsque perſonis Eccleſiaſticis in ſpiritualibus juventur. Nam pro illis, & pro totâ Republicâ ad Deum quotidianis ſacrificijs, ac precibus interveniunt, & ſpecialiter pro Regibus orant. teſte *Paulo ad Timoth.* 2. ubi ſic loquitur: Obſecro igitur primò omnium fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro Regibus, & omnibus, qui in ſublimitate ſunt, ut quietam tranquillamque vitam agamus, &c. conſequenter per hæc ſufficienter compenſant, quidquid beneficiorum à Principibus recipiunt. Et ſuggeri eis illud ejuſdem Pauli Apoſtoli poteſt ad Corinth. 9. Si nos vobis ſpiritualia ſeminamus, magnum eſt, ſi nos carnalia veſtra metamus?

22. Et ſanè, ſi fidem hiſtoricis adhibeamus, ſæpè una ſanctimonialis pia, plus hoſtilis exercitûs precibus ad Deum fuſis confecit, quàm multa millia cataphractorum in acie depugnantium. Certè Beata Luitgardis Tartarorum rabiem, luporum more in Germaniam graſſantium ad *annum Domini*

1216. teste *Buzelino* nostro, continuatis precibus, ac jejunijs à patria avertit, ipsis etiam post victoriam trepidantibus. Nam Dei apud subsellia, plus precij habet, & potest una fœmina Deo devota, & accepta, quàm integræ myriades armatorum militum, quos perpetrata tot scelera reddunt cœlo invisos.

23. Addo magnum testem, Maximum Pontificem Gregorium, ita de sanctimonialibus, quarum tria millia Romæ habebat, attestante *Baronio*, & ex eo, *Buzelino*, scribentem. Harum vita (ita loquitur *Gregorius*) talis est, ut credamus, quòd, si ipsæ non essent, nullus nostrûm jam per tot annos in loco hoc subsistere inter Longobardorum gladios potuisset. quibus hæc addit Baronius: salutem urbis ex harum precibus venire professus. ut adeò nasutuli quidam, etiam inter Catholicos, etsi parum catholicè, utinam non etiam Religiosos, impudenter, ut non dicam, impiè, Moniales, & Monachos, qui cum Maria ad pedes Domini inter orationes, & meditationes conquiescunt, sugillent, quòd cum Marthâ erga plurima non turbentur. Imò inutiles esse impudentissimè blaterent, quos testimonio Christi meliorem elegisse partem, in confesso est.

24. Mantissam ex Epistola Friderici I. Imperatoris, postquam deferbuit, irarum satur, in Ecclesiam, & Pontificem, scriptam ad Monachos Cistercienses subjicio, ex quâ conjecteris, quantum jam animo ad meliora converso potentissimus Imperator Monachorum precibus detulerit. Recitatur ab eodem *Buzelino* in suâ aquilâ Imperij. *fol. mihi.* 83. ubi hæc habentur inter alia &c. *Est etiam fides nostra* NB. *non utiq, parva*, quòd hic mundus, *qui lubricus, & immundus est, & in ma-*

ligno

ligno positus, orationibus vestris sustentatur, *& à facie furoris illius tremendi Iudicis, cujus iram peccatis nostris accendimus*, defensatur, avertendo suam, quam meremur, indignationem. *Cùm igitur firmissimè hoc credamus, quòd ab ipso Patre misericordiarum piis orationibus vestris impetretis, quidquid ab ipso in nomine unigeniti Filij sui humiliter postulaveritis, nos, qui peccati pondere recognoscimus oppressos nos esse*, Omni humilitate, omni devotione ab universis vobis, & singulis, *qui in nomie CHRISTI hic convenistis*; petimus, & obsecramus, omnium precum instantiâ, quatenus in Fraternitatem vestram nos recipientes, & in consortium sanctissimarum orationum vestrarum nos colligentes, speciales Creatori nostro preces effundere dignemini; ut gratiâ suâ misericorditer in nobis deleat, & emendet, quidquid hactenus commisimus humanæ Carnis infirmitate, & in his, quæ sibi placita sunt, nos conformare dignetur. *Et licet peccatores simus, cùm tamen per ineffabilem misericordiam Rom. Imperij gubernacula susceperimus, det ipse nobis, vestro pio interventu, spiritum judicij, & veritatis, ut sic sub nobis regatur Imperium, & disponatur, ut ad laudem & gloriam nominis sui sancta sua Ecclesia, quam in arâ crucis sanguine suo redemit, pacis gaudeat optatâ tranquillitate. Et nos post decursum temporalis hujus Imperij unà vobiscum ad Imperium sine fine mansurum pervenire possimus. &c.* hucusque Epistola *Friderici Imperatoris.*

25. Quòd si itaque preces & suffragia Clericorum, religiosorumque virorum, quæ quotidie fiunt, æquâ lance pen-

 sitemus

sitemus, suo Jure mereri posse videntur, ut à principibus sæcularibus, oneribus Laicorum exsolvantur; atque Immunes à tributis religiosam suam quietem inter sacra pietatis exercitia studiosiùs consectentur. Si qui sunt, qui abuti reditibus Ecclesiæ, in animæ suæ perniciem videntur, causam habent principes, cur eos, & unde ad suos Ecclesiasticos superiores deferant, ut in ordinem redigantur. Quòd si aliquando tantæ ruinæ Patriæ sint, vel adeò bella gliscant, ut Ecclesiasticorum subsidio opus sit, non deerit legitimè imploratus Summus Pontifex Ecclesiasticorum proventuum collatione. ut exempla passim sunt obvia.

26. Cæterùm de Jure SS. Canonum in his quoque patrimonialibus, & quæ ijsdem accensentur, clericos Immunitate reali gaudere, indubium est. per textus superiùs allegatos. Et eâ ratione, quam *Suarez dicto. lib. 4. c. 28, num. 8.* & ex eo *Laymann cit. loc.* allegat, firmari potest, quia, cùm certum sit, Pontificem, cui directò Clerici subsunt, posse ab eis exigere tributum, causâ rationabili suadente, sanè æquitati naturali summè consentaneum est, ut ab alijs, præsertim Laicis collectari non possint, quibus neque subsunt, neque subesse, Jure divino vetante, possunt. Forent enim aliàs Clerici deterioris conditionis, quam Laici, qui tantùm à suis Principibus, quibus subsunt collectari possunt, Clerici autem tam Laicis, quam Principibus Ecclesiasticis de facto contribuere compellantur. quæ utinam tam firma, & indubitata de Jure, multi Sæcularium, vitiosa consuetudine suffulti, ita fœdè non oblitterarent, & expungerent.

CA-

CAPUT III.

Quibus competat hæc Immunitas realis.

SUMMARIUM.

Immunitate reali cæteris paribus gaudent iidem, quibus Immunitatem personalem, sive Privilegium fori, Canonis, & c. Odoardus ex textibus. SS. Canonum, & communiori sententia Canonistarum, & Theologorum in superioribus addiximus. n. 1.

Quid statuendum de Clericis in minoribus Ordinibus duntaxat constitutis, etsi careant requisitis secundum Concil. Trident. de quibus etiam antecedenter diximus? n. 2. & 3.

Excipiuntur ab hoc Privilegio specialiter præter eos, quos in superioribus in certis casibus exclusimus, bigami, & Clerici conjugati, sicut neque ad beneficium. c. Odoardus. admitti putamus. per textum ibid. cit. n. 4.

I.

BReviter absolvimus hoc capitulum, ne fastidiosâ repetitione eorundem, delicato Lectori nauseam conciamus. nam *dispút. 2. c. 1. & eâdem disput. c. 1. de Privileg. Canonis. & c. 2. de Privileg. Capituli. Odoardus.* Abunde expensum est, quibus, quando, quousque, & quomodo Immunitas personalis Fori, Canonis, vel *c. Odoardus.* concessa de *Iure SS. Canonum*, vel communiori consensu Interpretum fuerit. Cæteris enim paribus ad Immunitatem realem bonorum easdem personas admittimus, quas priori Immunitate personali secundum species allegatas gaudere, asseveravimus. Hinc regulares utriusque sexûs approbatam Religionem professos, conversos, novitios, eâdem se, & bona sua defendere Immunitate posse dicimus. De Clericis, majoribus insignitis Ordinibus, etiam indubium est, cùm circa illos *Concilium Trident.* nihil immutaverit.

2. Quoad illos verò, qui in minoribus solùm existunt Ordinibus, aut simpliciter tantùm in ordinem Clericorum relati sunt per primam tonsuram, magis controvertitur. cùm non desint authores, ut videre est apud *Barbos. in collectaneis. ad c. 7. hoc titulo. de Immunit. Eccles.* Et quæ notat idem Doctor. *lib. 1. in suo tract. Iur. univers. Eccles. c. 39. §. 5. num. 16.* velut est *Suarez, Azor. Bonac.* & alij ibidem allegati, & quos *in c. 1. de Privileg. Canonis, & cap. Odoardus.* nos citavimus, qui volunt, ijsdem illos instructos esse debere requisitis ad obtinendam Immunitatem realem, Privilegium *Canonis & c. Odoardus*, quibus necesse est, ut polleant, qui Privilegium Fori suis personis prætendunt.

3. Ego tamen breviter insistendo prioribus, quæ in *c. 1. de Privileg. Canonis & c. 2. de privilegio cap. Odoardus* conclusi, consequenter dico: necessarium non esse, ut ijsdem requisitis muniti sint Clerici simplices, vel in minoribus duntaxat ordinibus constituti, ad hoc, ut bonis suis Immunitatem realem vendicare possint; eâdem ratione usus, quam *dicto c. 1. & 2 de Privilegio Canonis. & c. Odoardus* assignavi: quia Concilium Trident. circa hanc Immunitatem realem de Jure veteri, Clericis indifferenter competentem nihil innovavit, consequenter, cum correctio Jurium admodum sit odiosa, quod non mutatur, cur stare prohibeatur? vide, quæ notat *Barbos. in axiomat. Iuris frequentioribus. verbo, Correctio. num. 6. per L. sancimus. Cod. de testam. & L. Papinianus. Cod. de appellation.*

4. Hoc tamen non inficiamur, bigamos, vel interpretativè, vel verè tales, ut qui duas successivè duxerunt; interpretative autem, qui cum viduâ, vel corrupta scienter contraxerunt, omni Privilegio Clericali esse destitutos. per expressum textum *c. unico. in 6. de Bigamis*

5. Et tametsi Clerici conjugati, Fori & Canonis Privilegio gaudeant, siquidem instructi sint illis requisitis, quorum meminit.

minit. *c. unicum in 6. de Cleric. conjugat.* quatenus scilicet cum unicâ & Virgine contraxerint Matrimonium, deferantque tonsuram, & vestes Clericales, deserviantque alicui Ecclesiæ ex mandato Episcopi. per *cit. Concil. Trid.* fallit tamen hoc quo ad Privilegium bonorum, sive Immunitatem realem, aliaque Clericis alijs non conjugatis de Jure concessa. ut *textus est ibidem. §. in cæteris. & Glossa ibidem.* consequenter neque ad beneficium *c. Odoardus.* admittuntur, quod nota pro ijs, quæ diximus *in c. 2. de Privilegio. capit. Odoardus.* vide etiam *Suarez. dicto l. 4. c. 27. & 28.*

CAPUT IV.

In quibus consistat hæc Immunitas realis?

SVMMARIVM.

Agitur hîc directè, & principaliter de Immunitate eorum munerum, à quibus Clerici ratione suorum bonorum exempti sunt, incidenter tamen de munerib. in genere discurrendum duximus, n. 1.

Clerici immunes sunt ab omnibus muneribus, vel oneribus personalibus, illis à sæcularibus imponendis. n. 2. & 10. attentâ distinctione, quantùm ad Clericos simplices.

Quid sint munera personalia? ubi eorum aliquot exempla referuntur. n. 3.

Alia munera personalia ordinaria sunt, alia extraordinaria, cum exemplis ibidem allatis. 4.

Quid angaria, & perangaria? 5.

Quomodo & quando Clerici etiam immunes sint, neque obligentur constitutionibus vel juribus municipalibus, resolvitur incidenter. n. 6.

Clerici simpliciter tales, sive, in minoribus ordinibus constituti, absque eô, quòd habeant requisita Concil. Trident. sess. 23. c. 6. de reform. cùm non gaudeant Privilegio fori, sed subsint jurisdictioni Laicorum, a quibus muneribus exempti sint, vel non? n. 7. & 8.

Examinatur ibidem dictum Suarezij, quo ad præsentem casum de obligatione Clericorum simplicium,

Secundò

Secundò modò, quando non imponitur ex vi dominij, quod quis in prædio habet, sed ex vi supremæ jurisdictionis super tale prædium, in tali vel tali territorio ipsi subjectum existens. Sicut solent Principes supremum jurisdictionem in Provincijs sibi subjectis habentes, prædijs jure dominij ad privatos pertinentibus, tributa & onera imponere. 25.

Primò modò imposita onera prædijs ex vi dominij, transeunt, & præstanda sunt etiam ab Ecclesijs, quando ad eas pervenerunt. 26. est sententia communis.

Probatur hæc decisio eodem n. cum confirmatione. n. 27.

Non distinguimus, sive illud onus impositum sit à privatis, sive à Principe, modò non imponatur ex merâ potestate jurisdictionis, sed vi dominij, intercedente pacto hoc fine inito. 28.

Quid in dubio observandum sit, quantùm ad censum ex prædijs Ecclesiæ Principi debitum? 29.

Tributum, pensio vel census, prædio, antequam in Ecclesiam transiret, impositus, ex vi solius jurisdictionis, ubi ejusmodi prædium postea ad personas Ecclesiasticas transijt, amplius exigi non potest. Et est sententia communis. cum pluribus allegatis n 30.

Affertur ratio efficax. n. 31. & Confirmatur. n. 32.

Textus ex Iure civili objici solitos nihil moramur, cùm in præjudicium Ecclesiarum, tanquam in materiâ pertinente ad forum Canon. statuere nihil potuerint. 33.

An hucusque dicta etiam amplianda veniant quantùm ad bona Clericorum patrimonialia? ratio dubitandi. eod. n. 35.

Respondetur affirmativè, ac etiam quantùm ad patrimonialia Clericorum locum habere deciditur. allegantur rationes, & textus. n. 36. & 37.

Non tamen indifferenter omnia Privilegia, quæ specialiter in favorem bonorum ad Ecclesias directè pertinentium concessa a SS. Canonibus sunt, patrimonialibus Clericorum bonis competunt. vide exempla. n. 38.

I.

ETsi directò, & principaliter agendum hìc mihi sit de Immunitate eorum munerum, à quibus Clerici, aliæque personæ Ecclesiasticæ ratione suorum bonorm exempti sunt, quia tamen non rarò ejusmodi munera, sive onera imponi solent,

quæ

quæ mixtæ sint naturæ, partimque rem, & partim personam attineant, Dicendum antecedenter putavi de personalibus.

2. Et certum esse statuo, cum *Panormit. in c. non minùs hoc tit. à principio. Suarez dicto. lib. 4. c. 22.* Clericos immunes esse ab omnibus muneribus, vel oneribus personalibus, illis à Sæcularibus imponendis, quæ exindè personalia nominantur, quòd labore corporali, sine dispendio rerum explicantur.

3. Sive jam ea naturâ suâ sordida sint, ut arenæ fodiendæ, calcis coquendæ, & quorum meminit. *L. Maximianus. Cod. de excus. muner. lib.* 11. sive cum honore connexa; ut gerere magistratum. Clerici enim non possunt se negotijs sæcularibus immiscere, utpote vocati in sortem Domini. *toto titulo. ne Clerici vel Monachi. & L. placet Cod. de Episc. & Clericis.* sive tertiò quasi indifferentia sint; ut cura, vel tutela pupillorum. item honestam artem exercere, & similia. Ad quæ hujus tertij generis munera etsi non possint Clerici obligari. per *text. c. generaliter.* 16. *q.* 1. tamen, si ejusmodi munera acceptare velint, non videntur de Jure prohiberi. Sicut de tutelâ glossa tenet *in c. irreligiosum. distinct.* 87. *& in authent. Presbyteros. ad L.* 41. *Cod. de Episc. & Cler.*

4. Et hæc vera sunt, sive loquamur de muneribus personalibus ordinarijs, quæ certam & ordinatam præstationem habent, & vocantur aliquando Indicta, sicut testatur Abbas ubi suprà *in c. non minùs.* sive de extraordinarijs sermo sit, ijs scilicet, quæ per accidens imponuntur, & extra ordinem usitatum facienda sunt, & vocari solent Superindictæ. Exemplo rem manifestam facimus. Coloni prædiorum, sive Dominium utile, sive usumfructum, aut aliud Jus sibi in ijs vindicent, in nostris terris servitia præstare debent aliquando certa. vulgo: gemeine Scharwerck / & hæc possumus vocare munera personalia ordinaria. Quòd si in eventum v.g. grassantium aliquando lu-

do luporum, ursorum, vel hujusmodi ferarum, operam quoque suam & personam in venatione earundem collocare tenentur, possumus hæc vocare munera personalia extraordinaria; sicut & illa, ad quæ in adventu vel transitu Principis illorum personæ adiguntur.

5. Huc referimus etiam angarias, quas Panormit. *cit. c. non minùs. cum Gloss in L. neminem. Cod. de SS. Ecclesijs. & Innocent. eodem c. allegato.* ait: consistere in operis personarum, Perangarias verò tam in personarum operis, quam rerum impensis. Et ab his quidem muneribus personalibus Laicorum, Clericos immunes esse etiam de Jure divino, clarum est, Eo ipso, quòd eorum personæ de Jure divino, ut bene advertit *Suarez*, ubi suprà *c. 22. num. 4.* à Jurisdictione Sæcularium exemptæ sint. ergo, cùm dicta onera non imponantur à Laicis, nisi personis suæ Jurisdictioni subjectis, sane nemo non videt, liberos esse Clericos ab his muneribus.

6. Ad hanc Immunitatem revocamus etiam quascunque constitutiones, vel Jura municipalia, tanquam nulla & irrita, quæ personis Clericorum exitiosa forent, si servarentur, vel quibus ijdem impedirentur, ne Juribus, commoditatibus, favoribus, aliisque rebus, quæ omnium civium communes sunt, uti frui liceret. sive, ut loquitur *Barthol. in authent. cassa. Cod. de SS. Eccles.* per quæ Clerici timidiores fierent, quatenus scilicet, uti, & gaudere non possent ijs rebus, quæ Jure naturali, gentium & civili communia sunt civibus, quibuscum Clerici vivunt, eô ipsô, quod & ipsi Clerici membra sint talis communitatis. Averterentur enim ex hoc homines à statu Clericali, quando viderent, ita tractari Clericos à Laicis, eò quod Clerici sunt. Exempla ejusmodi statutorum de *Iure SS. Canonum* prohibitorum allegat Pontifex *in c. ultimo. hoc tit. de Immunit. Eccles.* Et ratio est, quòd propter statum Clerica-

lem non amittant Clerici Jura civilia communia, nam, cùm ratione ſtatûs ſui majori honore & reverentiâ digni ſint, iniquiſſimum foret, ut ob eum honorem, favore & Jure omnibus civibus communi privarentur. Propterea dicunt *in L.* 19, *Cod. de Epiſc. & Cleric. Arcadius & Honorius* pij Imperatores; quòd potiùs addi reverentiæ Clericorum cupiant, quàm ex ijs, quæ olim præſtita ſunt, aliquid immutari. Præſertim, cùm, ut bene advertit *Suarez cit. loc. n. 20.* pleraque hæc gravamina Clericorum procedant ex odio aliquo ſtatûs Clericalis propter multifarias exemptiones, Privilegia, & libertates, quibus Clerici gaudent, maximè ex eo, quòd ab oneribus communibus eximantur, quod inde in aliquod gravamen Laicorum aliqualiter redundare conſuevit.

7. Cæterùm, ut conſequenter loquamur, ex dictis inferimus, Clericos ſimplices, vel in minoribus conſtitutos ordinibus, carentes illis requiſitis, de quibus *Concilium Trident ſeſſ.* 23. *c.* 6. *de reform.* cùm illi non gaudeant Privilegio Fori, ſed ſubjecti ſint Jurisdictioni Laicorum, à muneribus perſonalibus ſubeundis immunes non eſſe, modò talia non ſint, quæ vergant in dedecus, & contemptum ſtatûs Clericalis. Et ratio hujus ſententiæ ex eo ipſo motivo petitur, quod ejusmodi Clerici ſubditi maneant poteſtati Laicorum.

8. Quamvis etiamnum ſentiamus, realibus ſive patrimonialibus muneribus, quæ ſcilicet Clerici etiam ſimplicis bona contingunt, ſubjici non poſſe, utut enim perſonæ illorum ſubjectæ maneant Jurisdictioni ſæcularium, negamus tamen eorum bona ſubeſſe.

9. Neque conſequentiam eſſe legitimam credimus, quam facit *Suarez ubi ſuprà c.* 27. *num.* 15. quæ talis eſt: aliquis, qui non eſt ſubditus alicujus Jurisdictioni, non poteſt ab eo,

cujus

cujus est Jurisdictio, tributis subjici. ergo è contra qui est subditus alicujus Jurisdictioni, potest ab eo tributis sujici. Non enim hoc est verum, si bona quæ tributari debent, non etiam subsint illius potestati ac Jurisdictioni, sed illa potiùs omnino exempta sint, ut sunt in proposito Clerici etiam simplicis bona, secundum nostram sententiam, sicut illa olim quoque erant jam ante *Concil. Trident.* exempta, etiam *Suarezio* ipsomet hoc attestante. *eodem c. num.* 3. supponit enim *Suarez*, quod probandum erat, ejusmodi bona Clerici simplicis exempta non esse à Jurisdictione Sæcularium, quod nos negamus. Et tametsi sententiam suam firmari dicat *ex c. quanquam. de censibus in 6.* nihil tamen, quod ipse vult, imò potius contrarium ex eo erui posse video, cùm in genere loquatur ibi Pontifex: personas Ecclesiasticas onerari pedagijs vel quidagijs non posse, quarum numero & nomine etiam Clerici simplices, & in minoribus ordinibus constituti veniunt. cùm & Privilegio *Canonis, & c. Odoardus.* probabiliter gaudeant, & Tridentinum circa ejusmodi Clericorum simplicium bona, & eorum Immunitatem realem nihil de Jure veteri immutârit.

10. Concludendo igitur materiam de muneribus merè personalibus, unde paululum digressi sumus, dicimus: certum esse, ut vidimus, per se, & extra casus in Jure proditos, Clericos in majoribus ordinibus constitutos, vel etiam simplices, si requisitis *à Concil. Trident.* non destituantur, ad ea non teneri, & quidem per rationem superiùs allatam, exemptione scilicet illis de Jure divino competente.

11. Sed animadvertendum est, etsi regulariter hæc verissima sint, casus tamen evenire posse, ut Jus, & ratio naturalis aliud suadeant. Propterea diximus: *per se & extra casus in Iure proditos*; nam tanta necessitas aliquando hostium subitò ingruentium, præsertim hæreticorum obvenire potest, ut in defe-

fectu militum, aliorumque Laicorum, etiam Clerici, aliæve personæ Ecclesiasticæ subjiciantur muneribus personalibus, per expressam decisionem. *c. pervenit. tit. de Immun.* ubi ex mente *Panormit.* etiam Clerici obire murorum stationes & vigilias jubentur, hoc tamen semper adverso, quòd compelli ad hoc, nonnisi per personas Ecclesiasticas possint, si quidem eos tanquam superiores, adeundi periculum non sit in morâ. Hoc enim periculo gliscente, ad subeundas vigilias etiam attineri possent per Laicos, sed solo titulo justæ defensionis naturalis, quo hîc & nunc Patriæ & urbi Sæculares consulere possunt.

12. Præter hunc casum necessitatis, Innocentius allegatus à *Panormit. cit. c. pervenit.* addit etiam casum, & causam pietatis, quæ aliquando tam fortiter stringere in certis casibus Clericos possit, ut nec à personalibus, ut non dicam patrimonialibus, merè talibus, vel mixtis excusentur. Pro dictis superiùs, quantum ad stationes murorum in necessitate obeundas, efficax est text. *in c. penult. de homicidio.* ex quo probatur: quod Clerici tempore obsessæ civitatis, in qua degunt, possint arma movere, & pugnare, nec irregularitatem incurrere, ex eo, quòd aliqui occidantur ab alijs illorum commilitonibus, modò ipsi Clerici neminem occiderint, quod etiam tenet *Covarr. in Clement. furiosus p. 2. relectionis. §. 3. & p. 3. §. unico.*

13. Quantum igitur ad patrimonialia munera attinet, quæ principalis materia hujus capitis est, dicimus, ea, hoc nomen patrimonialium sortiri ex eo, quòd ibi sumptus controvertatur, atque in consideratione sit. per *L. munerum. ff. de munerib. & honoribus.*

14. Potest autem ex mente *Panormit. ubi suprà, cit. c. non minùs.* hoc munus patrimoniale triplici modo imponi: aliquando enim imponitur rebus, nulla habita consideratione personæ, ut si

ut si tali modo concipiatur: quodlibet prædium, vel domus teneatur pro steurâ annuâ florenum pendere: aliquando imponitur tantùm personæ, nulla habita contemplatione patrimonij. ut est census capitis, die Leib-Steur. Quatenus quilibet existens in territorio principis teneatur für sein Persohn oder Leib solvere quotannis medium florenum. Aliquando verò, & tertiò imponitur quidem personæ, sed habito respectu ad patrimonium: ut, si ita concipiatur: quilibet, qui in bonis annuis habet centum florenos, solvat singulis annis decem.

15. Et munus quidem primo modo consideratum nullo interveniente respectu ad personam, dicitur: merè patrimoniale. quod triplici quoque modo in considerationem venire potest. Aliquando enim indicitur Rei, de eo, quod fieri debet de ipsa re, ut, si indicatur equus, vel currus, vel navis, mittendi ad expeditionem belli. Aliquando imponitur hoc munus super eo, quod percipitur ex ipsa re, ut certa pars fructuum frumenti, vel vini, ex agris, vel vinea, territorio munus indicentis subjectis. Aliquando imponitur ipsi rei de eo, quod nō percipitur ex ipsa re, nec est in ipsa re, sed est omnino extra rem; ut sunt tributa pecuniaria vectigal, & similia, in pecunia tantum solvenda: ad quam triplicem hanc munerum merè patrimonialium partitionem vide *L. munerum. citatam. cum sequenti. & L. hactenus. ff. de usufructu.* & quæ notantur *in c. tributum. 23. q. 8. & c. 1. de censibus in fine & L. placet.* superiùs allegatam.

16. Quantùm verò ad mixta munera patrimonialia attinet, dicimus, illud munus patrimoniale mixtum esse, in quo cumulatur onus personæ cum sumptu faciendo. per. *cit. L. munerum. ff. de muner. & honor. §. mixta.* participat enim ex utroq; munere: ex personali scilicet, quatenus onus & laborem personæ annexum habet. & ex merè reali, sive patrimoniali; qua-

tenus est cum sumptu, qualia munera diximus esse perangarias.

19. Quo ad patrimonialia igitur, sive mixta sint, sive merè talia, vel patrimonialia simpliciter dicta, velut, per exempla, & acceptionem variam illa superiùs explicavimus. Ordiendò difficultatem primam, num res Ecclesiasticæ immunes à tributis & oneribus sint, jam antè ijsdem impositis, postquam semel in Ecclesiam, vel personas Ecclesiasticas transierunt?

18. Et dico: certum esse primò, tam res propriè sacras, id est Pontificum manibus Deo dicatas, & consecratas, quam etiam fundum, in quo construitur Ecclesia. item Cæmiterium, domos, areas, vel hortos juxta Ecclesias positos, ijsdem attinentes, sicut & mansum, ex quo secundum *Glossam. in c. secundum Canonicam.* 23. *q.* 8. conficitur panis & vinum pro Euchristia, immunes esse debere ab omni collecta, vel tributo; sive jam ante, quàm consecrarentur, vel in dotem Ecclesiæ cederent, hæ res tributariæ fuerint, sive de novo à Laicis imponendo titulo agatur, adeo, ut antè à Patrono Ecclesiæ fundandæ, eo onere tributi liberari debeant, quàm in dotem Ecclesiæ assignentur. per *textum express. in c.* 1. *de censibus. & c. comperimus.* 14. *q.* 6. & quæ notat *Suarez in suo tractatu de Religione. lib.* 1. *c.* 17 *num* 28.

19. Et ratio esse potest, quod, tametsi regula communis sit: rem cum onere transire, per ea, quæ notantur in *c. ex Litteris. de pignor. L. si convenerit. ff. de pignor. act. L. si debitor. Cod. de distract. pig.* solummodò tamen hoc verum esse intelligimus, quando res taliter transiens cum onere, adhuc in commercio hominum est, & non perdit esse suum naturale, vel politicum, quod in proposito secus est, eo ipso enim, quod fundus pro extruendâ Ecclesia, vel Cæmiterio translatus in Ecclesiam est, ponitur extra commercium hominum, & quasi transsubstan-

tiatur

tiatur, cùm per consecrationem, vel deputationem ritè ab Episcopo factam incipiat prius esse naturale, vel politicum perdere, & acquirere esse rei sacræ & spirituale.

20. Et confirmatur, quod de fundo, manso, areis, & hortis juxta Ecclesias positis, & ad easdem attinentibus diximus. Quia, cum hæc cedant in dotem necessariam Ecclesiæ, propterea exempta esse debent ab omni munere. per textum *allegati. c. 1. de censib.* quia aliàs non sufficienter provideretur necessitati Ecclesiæ, cùm, si obligata ad priores census, vel tributa remaneret, doti id decessurum foret, & Ecclesia contra præscriptum. SS. Canonum multis necessitatibus exponeretur, cum dedecore, & imminutione cultûs divini. Quòd si tamen ultrà, quàm sufficeret necessitatibus dotis, Ecclesiæ collatum esset à patrono, vel fundatoribus, non prohiberentur in eo, quod superabundat, certum sibi censum authoritate Episcopi reservare, vel, si aliàs ejusmodi prædium datum à patrono, ultrà quàm necessarium in dotem sit, annexa onera perpetua habeat. v. g. quia alicui ex pacto, vel conventione ad censum, antè, quàm transiret ad Ecclesiam, obligatum erat; vel quia id feudale, aut emphyteuticum est. Negari enim tunc non potest, quin ad ea onera præstanda obligetur. per *tex. in. c. solitæ. de major. & obed.* &, quæ notat *Panormit. in c. 1. de censib.* transit enim tunc res cum onere.

21. Certum est secundò. Oblationes, decimas, fructus beneficiorum. Item, quod Clerici ex Missis legendis, vel quotidianis distributionibus lucrantur, nullo onere, censu, vel tributo antè imposito, vel ex pòstfactò imponendo esse gravata posse. De decimis, & oblationibus *textus est clarus. in c. 1. de censib. cit.* cùm in esse decimarum sint Juris divini. De fructibus beneficiorum, &, quod lucrantur ex Missis, vel distributionibus quotidianis, inde patet, quia, cùm illi singulis annis,

materiâ difficultatem palmariam, distinguendo duplicem onus reale imponendi modum, Dico: primùm modum esse posse, quatenus onùs reale imponatur rei, antequàm in Ecclesiam, vel Ecclesiasticas personas translata esset, ex vi proprij dominij circa talem rem, interveniente pacto aliquo inter eum, cui pensio est solvenda, & inter dominum rei talis. Vel inter eum, qui priùs dominus fuit ejusmodi rei, & eum, in quem cum tali onere rem dominus transtulit. Exemplum prioris membri est, quo quis. v. g. censum emit super domum, vel prædium, quod posteà in Ecclesiam transfertur. Nam tunc domus, vel prædium manent onerata tali pensione, quâ dominus prædij vel domus tenetur quotannis solvere illi, qui eam super illius domum, vel prædium emit. Et hoc onus comitatur domum, vel prædium, ad quemcunque possessorem devenerint, ita, ut domus, vel prædium dictum alienari sine tali onere non possint. Exemplum posterioris membri est res, vel bona emphiteutica, vel feudalia, alteri in feudum vel emphiteusin eô onere, & conditione data, ut singulis annis certum Canonem, vel censum Vasallus, vel Emphiteuta solvant, vel totaliter donando rem aliquam alteri, ita tamen, ut ex re donatâ certum censum præstet, vel obligationem.

25. Secundum modum onus reale imponendi dicimus esse, quatenus imponatur onus prædio, non ex vi dominij, quod quis in illo prædio habet, sed ex vi supremæ jurisdictionis super tale prædium, in tali vel tali territorio ipsi subjectum existens: quô modô Principes supremam jurisdictionem in Provincijs sibi subjectis habentes non ex vi dominij in prædia & bona, quæ directè & immediatè hominum privatorum sunt, sed virtute, & potestate suæ supremæ jurisdictionis usi, tributa prædijs ac bonis jure dominij immediati ad homines privatos pertinentibus imponunt, ut quotidiana praxi expe-

riuntur subditi, aliquando cum gemitu, gravibus tributis super prædia sua impositis onerati.

26. Dico itaque primò. nostram, & communem sententiam esse, bona temporalia, quæ, antequam in Ecclesias, & Ecclesiasticas personas transferebantur, habebant annexum onus reale, seu pensionem solvendam alteri, ex vi Dominij, & pacto præcedenti, tametsi ea postmodum Ecclesiastica fiant, subjacere adhuc oneri, idque Ecclesias, Ecclesiasticasque personas solvere teneri, non obstante exemptionis & immunitatis realis privilegio, adeò, ut hic verificetur regula communis, de quâ suprà, quòd res transit cum onere. Et probatur hæc sententia communis, & nostra. ex *c. verùm .de condition. apposit. & c. cum dilecti. de donat.* ubi deciditur: quòd, quando bona aliqua donantur Ecclesiæ, certa interposita conditione, illa observari debeat, neque enim religionis ratio, & donatio ex titulo pietatis facta invertit justitiæ ordinem, quæ sine dubio lædenda foret, si quis ex hoc privaretur Jure suo, quod habet ad talem pensionem, propterea, quod res, in quâ Jus pensionis sibi præstandæ tenet, transierit in Ecclesiam.

27. Et confirmatur efficaci ratione, fabricata à *Suarezio* ubi suprà. *c.* 20. *num.* 7. vel enim res tali onere affecta postquam transit in Ecclesiam liberatur ex vi voluntatis illius, qui eam Ecclesiæ donavit, vel per legem aliquam positivam, vel ex natura rei? non primùm, supponitur enim non intervenire voluntatem illius remittendi Ecclesiæ pensionem. Non secundum, quia nulla Lex positiva, sive humana, sive divina, ostendi potest. Nam omnes leges, vel Canones, qui aliquid videntur invenire, loquuntur de tributis propriè dictis, sicut & de illis loquebatur Christus *Matth.* 17. Reges gentium à quibus accipiunt tributum? ut adeò neque in alium sensum SS.

Cano-

Canones & Leges statuisse intelligendi sint. Non etiam tertium, quia non est contra rationem, & decentiam Religionis, & Ecclesiasticæ libertatis, ut Ecclesia ad ejusmodi onera teneatur. Sicut patet *ex cit. c. cùm dilecti. de donat. &. c. verum. de condition. apposit.* quis enim dicat: servare contractus justos, & solvere debita legitimè contracta, repugnare Religioni & Ecclesiæ? quando teste *Baldo in L. 1. ff. de pactis.* Deus ipse obligatur ex pacto.

28. Atque hoc ampliando verum esse dicimus, sive tale onus bonis impositum sit, antequam in Ecclesiam transirent, à personâ privata, sive à Principe, modo ex simili pacto, & peculiari dominio talis rei interveniente onus natum sit, & non ex mera solùm potestate jurisdictionis. Potest enim utique Princeps habere dominium alicujus prædij, & ex vi dominij, & non solius jurisdictionis imponere eidem tale onus, ergo eodem jure servandum, ac præstandum erit, casu etiam, quo id in Ecclesiam transijsset, sicut eodem modo onus prædio ab aliquo privato vi dominij impositum, antequam juris Ecclesiastici fieret, solvendum ab Ecclesia diximus.

29. Advertendum autem, quantum ad censum, ex prædijs Ecclesiæ Principi debitum, in dubio attendendum esse (si quidem is in certâ, mensuratâ, ac invariabili quantitate de aliquibus prædijs, vel agris certis, Princpi solvatur) an olim illa prædia fuerint sub proprio dominio Principis, atque illa nominatim dederit in feudum, emphiteusin, vel simpliciter donando: reservatâ sibi tali pensione ex ijs præstanda. Quod non difficulter constare potest ex scripturis, & constanti traditione de hoc etiamnum durante. Imò præsumptioni violentæ tunc locus foret, si, cùm alia tributa propriè dicta, & imposita ab eodem Principe multipliciter hactenus variata

sint, talis interim pensio ab Ecclesiâ ex prædio præstanda, numquam immutata foret, vel aucta.

30. Dico secundò. Sententiam non minùs veram, & communem esse, quòd, si tributum, pensio, vel census prædio, antequàm ad Ecclesiam transiret, imposita solùm sint ex vi supremæ jurisdictionis, ad ea solvenda Ecclesiam, vel Ecclesiasticos post illorum bonorum ad eos translationem ampliùs non teneri. Et ita tenet *Abb. consil. 26. vol.* 1. & cum eo *Suarez, ubi suprà. num. 12. Gutierez lib. 1. pract. qq. quæst. 3. n.* 15. ubi ita loquitur: Quando prædia antè erant affecta onere tributorum, expresse, & specialiter ex conventione partium, transeunt cum onere, secus verò, si tantùm sint affecta, vel obnoxia tributis ex generali Lege; tunc enim, si talia bona perveniunt ad Clericum, non transeunt cum onere. Et ita tenent satis communiter Doctores nostri *in c. 1. de Immunit. Eccles. in 6.* & ibi maximè *Geminianus. Felin. fusè. consil.* 46. *dubio.* 4. *Anton. Niger. in repet. extravagant. unica. de vita & honest. Cler. n.* 247. *Cavallos communium contra communes. q. 899. num.* 106. & est expressa decisio Rotæ, allegata à *Barbos. in suo tract. jur. univers. Eccles. lib.* 1. *c. 39.* §. 5. *n. 8. in Brundusina gabella.* 13. *Febr.* 1604. *coram bonæ memoriæ Penia.* totam hanc insertam vide *eodem.* §. *n.* 8. *& in subsequent. n. 59.* Et probatur hæc assertio ex cit. loco *Matth. 17.* Ergo liberi sunt filij. non tantùm à tributis imposterum imponendis, sed etiam jam antè impositis.

31. Et ratio efficax, esse potest, quia tributa propriè dicta repugnant exemptioni bonorum, & personarum Ecclesiasticarum, quarum sunt hæc bona, cùm ea præstentur in vim, & indicium subjectionis. teste *Paulo ad Rom.* 13. cujus verba suprà allegavimus. Quod dici tamen non potest

de

de tributis impropriè dictis, vel censibus, & oneribus ex pacto & conventione à Domino rei suæ impositis. Et præter *text. c. non minùs. & c. adversus. hoc tit.* (ubi tamen potiùs videtur sermo de tributis noviter imponendis) allegamus *text. ex c. 1. hoc tit. in 6.* ibi: non licere &c. quascunque exactiones personis Ecclesiasticis imponere, vel exigere ab ijsdem pro prædijs de legitimè hactenus aquisitis, vel imposterum aquirendis. Ubi notabiliter Pontifex loquitur sub distinctione, reprobans tam exactiones de bonis, quæ jam possidebantur ab Ecclesia, quando impositum fuit tributum, quam de bonis, quæ postea aquirenda erant, etiamsi talia bona, cùm antè essent Sæcularia, tributis essent subjecta. Et patet ex contextu narrationis gravaminum, ubi Laici volebant cogere Ecclesiam, ut vel tributum solveret, quod antè ex prædijs perceperant, quàm ad Ecclesiam transferrentur, vel ejusmodi prædia dimitterent, sine dubio ex eo motivo, ne ipsi privarentur tributo, talibus bonis jam ante transitum ad Ecceſias annexo. Et bonus textus est *in authent. item nullas.* sæpius in antecedentibus allegatus. ubi *Fridericus* Imperator statuit, ut nulla communitas, persona publica, vel privata, collectas, vel exactiones imponere possit Ecclesijs. Et licet Imperator utatur ibi verbo: Imponere. per quod videtur solum intelligi: exactionem de novo faciendam esse prohibitam, quia tamen hæc *authentica* continet Privilegium supremi Principis, videtur amplè interpretandum, præsertim in causa Religionis. per *L. sunt personæ. ff. de Religios. & sumpt. funer.* consequenter, cùm hoc universale sit, ad præsentia & futura extendendum erit. per *c. quia circa. de Privileg.* & notat *Bartolus in L. placet. Cod. de SS. Ecclesijs. n. 8.* ut adeò tam exempta esse censeantur omnia bona Ecclesiarum, quæ tunc erant tem-

pore promulgati in authentica privilegij, quàm quæ posteà futura fuerant.

32. Et confirmatur hæc sententia etiam ex illo principio. Quòd, ubi dispositio ad eum casum venit, à quo incipere non putuisset, prior dispositio cessat (subsistente scilicet eâdem ratione in continuatione, quæ aderat in inceptione) sed impositio tributi à Sæcularibus non potuisset incipere in bonis Ecclesiasticis, ergo neque potest in ijsdem bonis, ubi semel Ecclesiastica facta sunt, continuari. ut adeò impositio tributi habere censeatur ab initio sui hanc conditionem inclusam: ut tam diu duret, quàm diu res illa non fuerit incapax talis tributi, urgente semper ratione superiùs datâ, quod tributa propriè dicta, Jure & intuitu subjectionis imponantur, & eodem Jure exigantur, ac solvantur. juxta sententiam *Pauli ad Rom*. 13. superiùs allegatam.

33. Textus & leges, quæ in Jure civili objici possunt contra nostram sententiam, dicimus, parum attendendos, cùm in materia pertinente ad forum Canonicum, disponere leges civiles non possint, neque statuere in præjudicium Ecclesiarum. vide illas brevitatis causa magnam partem allegatas apud *Suarez lib. 4 de Immunit. Eccles. c.* 20. *&* 21. ubi etiam aliquot Canones ex decreto Gratiani, qui aliud insinuare videntur, attexit, quos exaudiendos dicimus, quatenus permissivè, & quod tunc de facto obtinuerat, loquantur, atque secundùm statum & exigentiam illorũ temporum, quo Imperatores etiamnum erant Ethnici, vel adhuc Ethnicorum legibus & constitutionibus insistentes, à quibus Eccclesia suam libertatem de facto nondum vindicare poterat, quia posterioribus temporibus pace majori Ecclesiis redditâ per Constantinum, & alios magis pios Imperatores in melius emendata sunt; & hæc Immunitas

nitas ad Privilegium primævum, & de Jure divino competens, per apertas Ecclesiæ, & Pontificum decisiones revocata.

34. Quod autem res debeat transire cum onere secundum communem Juris regulam, verum est, si in terminis habilibus intelligatur, hinc, si res onere affecta transferatur in talem statum, qui ejusmodi oneris incapax sit, mirum non erit, onus non transire, cùm non versemur ampliùs in terminis habilibus. Exemplum potest esse in servo, qui si legitimè ordinetur, ab onere servitutis eximitur, & res consecrata, etsi antè, dum adhuc profana esset, sordidis & abjectis muneribus subjecta fuerit, vi consecrationis ab ijs eximitur, tanquam in alio jam statu posita. vide, quæ paulò superiùs circa idem axioma Juris diximus.

35. Ad unum adhuc animum advertimus, quod dubium objicit, an, quæ hoc capite circa bona Ecclesiarum, Ecclesiasticorumque dissertavimus, prorogare ad Clericorum patrimonialia, & ad eadem extendere, fas sit? Ratio dubitandi est, quod, tametsi Gloss. *in c. Ecclesia. de constit. verbo. personas Ecclesiasticas. & in c. ult. de vita & honest. Cler. verbo. facultatibus. c. quanquam. de censib. in 6. verbo. ipsarum.* censeat, quòd bona Clericorum propria, sive patrimonialia, & bona Ecclesiarum eodem Jure veniant, & pari gaudeant privilegio, contraria tamen Glossa sit in *Clement.* 1. *de in integ. rest. & Gloss. in c. possessiones.* 16. *q.* 4. cum quibus *Panormit.* & *Felin.* sentire videntur. quos cum alijs allegat. *Covarr. lib.* 1. *var. resolut. c.* 4. *n.* 4. qui expresè negant, bona Clericorum patrimonialia, quoad exemptionem æquiparari alijs Ecclesiarum bonis. Et ratio pro hac opinione esse potest, quòd Ecclesiarum bona absolutè inter res sacras computentur, tanquam quæ Deo oblata & dicata sint ad sacros & pios usus, quod dici sanè de bonis Clericorum patrimonialibus nequit.

36. Sed

36. Sed reſpondeo, ea, quæ ſuperiùs dixi quo ad Eccleſiæ, Eccleſiaſticorum bona, & eorum Immunitatem realem, etiam in patrimonialibus Clericorum locum ſibi vendicare; ratio manifeſta deſumitur in primis ex communi ſententia Canoniſtarum, & Theologorum teſte *Diana. tom. 1. tract. 2. de Immunit. Eccleſ. reſol.* 40. qui notant, patrimonialia Clericorum, eâdem cum alijs Eccleſiarum bonis Immunitate reali gaudere, ut ſupra vidimus. Deinde optimus, & luculentus *textus eſt in c. 1. de cenſib. in 6.* ubi Pontifex ita loquitur: Eccleſiaſticos ad pedagia, vel guidagia, omnino non teneri: NB. pro rebus ſuis proprijs, quæ non cauſa negotiationis deferunt, vel deferri faciunt. & citatæ authenticæ Privilegium *in Cod. de Epiſcop. & Cler. item nulla.* conceſſum à Friderico Imperatore, immunes indifferenter eſſe jubet perſonas Eccleſiaſticas à, tallijs collectis, & quibuscunque exactionibus, ſicut idem repetitur in *Clement. unica. hoc tit. de Immunitat. Eccleſ.*

37. Rationem pro noſtra ſententia eſſe poſſe dicimus, quòd, cum perſonæ Clericorum æquè principaliter ſint exemptæ à jurisdictione Laicorum ac Eccleſiæ, indictio autem tributorum, vel exactionum, munerum etiam realium, maximè fiat in ſignum ſubjectionis, cùm ea non niſi ſubditis imponantur, ſane ſequi videtur, ſicut Eccleſijs non poteſt imponi tributum, ita neque Clericis poſſe, cùm æque principaliter exempti ſint, ac Eccleſiæ; & propterea bene ait *Leyman lib. 4. tract. 6. num.* 10. Hanc Immunitatem realem bonis Patrimonialibus Clericorum tantum acceſſoriè conceſſam, principaliter autem ipſis Clericorum perſonis, ut adeo Jure acceſſorium ſequatur naturam, & exemptionem ſui Principalis. Et hoc volunt Gloſſæ à principio hujus dubij allegatæ, quatenus bona Cle-

na Clericorum patrimonialia & Ecclesiarum æquiparentur in privilegijs.

38 Hoc interim non negamus, *sicut & Suarez ubi suprà c 25. num. 6.* bene advertit, & *Leyman dicto loco.* Privilegia, quæ in favorem bonorum Ecclesiasticorum principaliter de Jure SS. Canonum concessa sunt, proprijs, seu patrimonialibus Clericorum bonis non competere, inter quæ concessa numeratur beneficium restitutionis in integrum, quod pro bonis Ecclesiarum de Jure indultum est. Item, ut res Ecclesiasticæ nonnisi 40. annor. spacio præscribi possint. quod tamen secus est, quo ad bona Clericorum patrimonialia. Et ut furtum rei ad Ecclesiam pertinentis tanquam sacrilegium puniatur. quæ tria Privilegia bonis Ecclesiasticis principaliter concessa nullo modo bonis Clericorum patrimonialibus competunt, neque ad ea prorogari, aut extendi possunt. per ea, quæ notat *Panormit. in. c. ultim. de vit. & honest. Cler.* & cum eo *Leyman.* & *Suarez* cit. loc. bona autem Clericorum patrimonialia collectari non posse, nobiscum in terminis tenet. *Diana.* allegato superiùs loco.

CAPUT V.

An Clerici teneantur contribuere ad communes civium expensas; & quid Juris in casu necessitatis publicæ?

SVMMARIVM.

Hac quæstio in præsenti materiá est celeberrima. n. 1.

Patitur hac Immunitas multos adversarios, maximè consiliarios Principum sæcularium. eod. n.

Triplex membrum quæstionis, primum, an, si communes Civium expensæ faciendæ sunt, vel incumbat necessitas publica, etiam Clerici obligentur ad contribuendum? 2.

Secundum. an haec contributio indici, & expediri per Laicos, etiam quantùm ad personas Ecclesiasticas possit? 3.

Tertium. an sufficiat consensus Ordinariorum, vel id fieri debeat cum authoritate sedis Apostolicae? 4.

I.

FAmosissimam hoc capite quaestionem ordimur, nostroque aevo, quo bellis & tumultibus publicis haud vulgariter conflictati sumus, non incelebrem, multis multorum consilijs, utinam non saepè cum suffragio proprij affectûs, & communi Principes adulandi malo, agitatam.

2. Cardo Quaestionis in hoc vertitur: an, si primò communes Civium expensae faciendae sint, vel incumbat necessitas publica, Clerici, aliaeque personae Ecclesiasticae ad contribuendum pro oneribus sublevandis communibus absolutè & indifferenter obligentur?

3. Secundò. an haec contributio indici, & expediri per Magistratus, vel Principes saeculares possit, aut personarum Ecclesiasticarum authoritate & interventu fieri necesse sit?

4. Tertiò. an sufficiat, intercedere arbitramentum, consensum, & authoritatem Episcopi, vel desuper consuli Romanus Pontifex debeat, ac consensum praestare?

§. I.

SVMMARIVM.

Clerici, ut contribuere teneantur, necesse est, ut sit communis necessitas; & quid haec sit? 1.

Quando aliquid dicatur commune, demonstratur per exempla. 2.

Quando necessitas Clericos tantùm remotè & indirectè respicit, Laicos verò proximè, & principaliter, non est locus dispositioni. c. non minus. & c. adversus. neq; tenentur contribuere Clerici. 3.

Allegantur exempla, quibus id demonstratur. n. 4. 5. 6.

Quando necessitas aeque principaliter respiciat Laicos & Clericos, docetur exemplis. 7.

1. An-

1

ANtequam difficilem hanc Quæstionem ex fundamento Juris decidamus, ſciendum eſt primò, ante omnia neceſſe eſſe, ut urgeat communis neceſſitas, vel utilitas Reipublicæ, aut civium, ita, ut illa æque principaliter tangat Clericos ac Laicos, in eâdem communitate degentes. per expreſſum *text. in c. non minùs, & c. adverſus. de Immunit. Eccleſ.* ibi: ad relevandas communes utilitates vel neceſſitates.

2. Commune enim de Jure duorum aliquid dicitur, quod æquè unus atque alter participat. Sic communis hæreditas duobus obvenire dicitur, quam uterque ex æquo ad ſe pertinere contendit. Communis duorum domus, quæ utriuſque eſt communis habitatio, ubi æquè mihi, ac tibi inquilinum agere fas eſt, commune ſupplicium, cujus pœna tam hunc, quam illum involvit; commune officium, quod tam huic, quam illi incumbit.

3. Hinc, ſi utilitas, vel neceſſitas Clericos reſpiciat tantùm remotè, indirectè, & ſolum per aliquam redundantiam, Laicos verò proximè, & principaliter, negamus locum eſſe diſpoſitioni. *c. non minùs & c. adverſus.* conſequenter Clericos ad contribuendum non obligari, cum communis utilitas, vel neceſſitas tunc non intercedat.

4. Hinc reparatio Theatrorum, ubi populus ſpectaculis vacat, gymnaſia palæſtritarum, domus, & tabernæ ſagittariorum, vel certantium bombardis ad metam pro donativis, ſi reficienda ſint, etſi facultates Laicorum non ſuppetant, Clerici tamen non tenentur ſubſidiari, cum eorundem reſtauratio proximè & principaliter tantùm Laicos reſpiciat.

5. Simile peti ex Jure civili posset, ubi res utilitatem publicam solùm in consequentiam concernere dicitur. v.g. ut dos mulieribus conservetur, ut ultra. 500. solidos donari non possit, dicitur interesse Reipublicæ, & tamen certum est, principaliter hæc in utilitatem privatorum statuta esse. Hinc & dotis alienatio facta à marito consensu mulieris jurato valet, & donatio ultra 500. solidos, si juramento firmetur, subsistit. per *ea, quæ notantur in c. cùm contingat. de Iur. Iurand. & c.2. eod. tit. in 6.* Licet de Jure civili ejusmodi alienationes nullæ sint. *per L. Iulianus. ff. de fund. dotal. authent. sive à me. Cod. ad Sc. Veleianum. L. in Donationibus. Cod. de donat. instit. eodem tit. §. alia autem donationes. ibi. usque ad* 500. *solidos.*

6. Exempla præsentem hanc materiam propius tangentia assignant Doctores nostri cum *Panormit. in cit. c. non minùs. & Azor tom.* 3. *lib.* 5. *c.* 19. *titulo. de personis à solutione gabell. exemptis. cum Sylvestro in summa. verbo. Immunitas.* 1. *q.* 5. v. g. si pensio aliqua imponatur solvenda ob adventum Imperatoris vel Principis in civitates, vel ex eo, quòd principi filius natus sit, vel ob filiam ejusdem nuptui traditam. ob stipendia, & salaria ministrorum publicorum, ob ornatum viarum publicarum, ob debita Reipublicæ solvenda. ad muros, fossas, & vallos urbis restaurandos, & similia. quibus omnibus casibus rectè concludunt, tametsi non suppetant Laicorum facultates, nihilominus Clericos ad subsidiandum non obligari, ex ratione fundamentali superiùs allegata, quia non est verum dicere; tunc communem Clericis & Laicis necessitatem vel utilitatem accidere, cùm proximè & principaliter sola Laicorum utilitas his casibus controvertatur, Clericorum autem solum remotè, & per redundantiam,

7. Debet itaque tanquam basis & fundamentum introducendæ obligationis, quâ Clerici cum Laicis teneantur in sub-

sidium

sidium concurrere, communis utilitas vel necessitas intervenire, quæ æque principaliter, proximè & immediate tangat Clericos, ac Laicos, & hoc certum est de Jure SS. Canonum. per *cit. c. non minùs. & c. adversus.* Exempla communis hujus necessitatis, vel utilitatis allegari possunt cum *Panormit. Azor, & Sylvestro. ubi suprà.* si v.g. hostilis exercitus, vel prædonum incursiones territorium civitatis, ubi communiter vivunt Clerici & cives, depopulantur, prædia vastant, pecora abigunt. item à fortiori, si hæretici provinciam catholicorum invadunt. item, si pons communis, per quem etiam Clerici frequentem ad sua prædia transitum habent, reficiendus sit, si communis viciniæ fons vel puteus, ex quo etiam Clerici aquam ad suos usus hauriunt, purgandus, vel restaurandus sit. Si bellum contra hostes patriæ gerendum, si tempore pestis providendum communitati per excubias, medicos, & chyrurgos, si via publica ante propriam cujusque domum mundanda. Si in nemora, & pascua communia Clericis & Laicis, sumptus faciendi. Et in his quidem & similibus exemplis indubium videtur, comunem utrisque Clericis & Laicis utilitatem controverti.

§. II.

SUMMARIUM.

Stante etiam communi necessitate tam Laicorum, quàm Clericorum, ut contribuere Clerici in subsidium teneantur, requiritur, ut Laicorum non suppetant facultates. n. 1.

Examinatur, quo usque sufficere Laicorũ facultates dicenda sint, & num singulorum, vel Universitatis solùm imputanda sint. n. 2.

Deciditur: primò, necessitatibus publicis ex ærario publico satisfaciendum. 3.

Deinde ad collectam singulorum deveniendum. tertiò subsidium Clericorum implorandum, modò, quô hoc. n. 4. percensetur.

Sententia Suarez rejicitur, rationibus ad hoc probandum allegatis. n. 5. 6. & 7.

I.

SCiendum est secundò. utut communis necessitas, vel utilitas tam Clericis quàm Laicis, casu aliquo accidat, necessariò quoque, tanquam conditionem sine quâ non, requiri, quatenus Clerici subsidium conferre communitati teneantur, ut Laicorum non suppetant facultates. per *express. text. c. non minùs. & c. adversus.*

2. Sed quousque suppetere, sive, quod in idem recidit, sufficere Laicorum facultates dicendæ sunt: & num singulorum etiam, vel Universitatis solum imputandæ? Istam quæstionem neque Glossæ tangunt, neque Interpretes, quæ tamen, meo quidem calculo, & præjudicio gravis, & consideratione singularis est. Ego censeo, neque tantum pecuniæ publicæ, sive Universitatis, neque singulorum Mathematicam, sive nimis rigorosam ineundam esse rationem. v. g. ut solum attendatur, quomodo ex ærario publico Principis (si quidem negotium Principem directè concernat: sicut videre est in allegatis casibus & exemplis, ubi aliqua Principem immediatè & principaliter tangunt) vel ex ærario Provinciæ, aut civitatis, vulgo auß der Landtschafft oder Statt Cassa: satis fiat, aut denique ex singulorum civium bonis, proportione habita ad eorum facultates, rigorosè succurri debeat.

3. Sed primò satisfaciendum esse dicimus ex ærario publico, quantum moraliter, & civiliter fieri potest.

4. Deinde ad collectam singulorum, si bona Universitatis non sufficiant deveniendum, ita tamen, ut non nimis rigorosa

exactio

exactio fiat, sed tolerabilis, ita, ut quando in nimium præjudicium, vel publici ærarij, vel singulorum de communitate vergeret, si tantùm ex illorum bonis satisfaciendum necessitatibus esset, tunc locus sit Clericorum subsidio implorando. Verum enim tunc erit, habito hoc respectu civili, Laicorum non suppetere facultates, ergo Clericorum subsidio succurrendum esse.

5. Quòd autem, si ex ærario publico satis fieri necessitatibus communibus non possit, statim ad Clericorum contributionem procedendum sit, ut videtur velle *Suarez. cit. c. 25. n. 35.* credo, aliqualiter iniquum, & contra SS. Canonum mentem.

6. Cur enim deterioris sint conditionis Clerici, jure divino Immunes ab oneribus communibus civium, ut ipsi singulariter ex proprijs bonis concurrere debeant ad sublevandas necessitates communes, & ad idem non teneantur, deficiente ærarij publici pecuniâ, ejusdem communitatis cives? quos æquè principaliter concernunt necessitates publicæ, neque ullo Immunitatis Privilegio quo ad hoc gaudeant?

7. Consequenter, proportione habitâ, semper in plus obligabuntur sæculares ad contribuendum, quàm Clerici, utpote cùm illis onera communia sint, neque aliqua Immunitate quo ad hæc privilegiati existant. Clericis verò propriè communia hæc onera de Jure esse non possint, eô ipsô, quod ab illis immunes sint. Communem enim esse in oneribus, ut cives sunt, & immunem ab ijs, quales Clerici, quis non videt sibi opponi? ut adeo tota Clericorum qualis qualis obligatio, ex sola aliquâ æquitate descendat, nullo autem Juris rigore.

8. Hinc rectè Pontifices in citatis capitulis rescripsêre: Laicos, si quid in subsidium ad relevandas necessitates communes Clerici contulerunt, humiliter,

liter, & devotè cum gratiarum actione accipere debere. quæ sanè verba non obligationem quo ad personas Clericorum, sed gratuitam collationem manifestè insinuant. Et hanc nostram sententiam tenet etiam *Megala. p. 2. lib. 2. c. 17. q. 6. num* 123. citatus apud *Dianam. tom. 3. tract. 2. de Immunit. Eccles. resol.* 134. ubi ita loquitur: *tunc primùm censendum est facultates Laicorum non suppetere, vel quod idem est, sufficere, quando Sæculares plus contribuendo cogerentur se illis privare, quæ quotannis eis necessaria sunt ad vivendum secundum convenientiam sui statûs.* consequenter sentit prædictus Doctor, non antè in communibus etiam necessitatibus Clericos ad subsidium teneri, quàm Laici, etiam ut singuli, eo usque contribuerint, quò se extenderint eorum facultates, ita tamen ut tantundem reliquum sit, quo secundum convenientiam sui statûs honestè vivere possint, quod & nos sentimus.

9. Sed objicis: si hæc sententia vera sit, eveniet, ut Clerici raro ad subsidium teneantur, quod tamen æquitati naturali adversatur, cùm eadem cum civibus emolumenta, ac favores publicos participent, ergo à ratione nullatenus alienum sit, ut communibus quoque oneribus subjiciantur, secundùm illud tritum Juris axioma ex ratione naturali derivatum: qui sentit commodum, sentiat & onus. Respòndeo, hoc non invidendum esse Clericis, cùm & Jus divinum, & Pontificum sanctiones eos esse à communibus immunes oneribus voluerint. Et aliundè non desint frequentes expensæ, ad quas illi obligantur. Velut est subsidium charitativum, cathedraticum, synodaticum, aliaque onera, quibus suis superioribus Ecclesiasticis non raro tenentur. ut taceam hospitalitatē, præsertim in monasterijs, quæ & magnorum sumptuum est, & propè quotidiana,

10. Dein-

10. Deinde, quisquis ex adverso instas, si te in tantùm æquitas naturalis afficit, quid respodebis ad hoc? nunquid & Nobiles, Doctores, aliæque personæ sæculares in communi societate viventes, & ut cives sentiunt communitatis commodum, & tamen, vel de Jure scripto, vel municipali ab ejusdem oneribus exempti sunt? si hic æquitas non obstat, quominus illi gaudere suâ Immunitate possint, & liberi esse ab oneribus, quæso, cur solis Clericis, quos conditio sui statûs potiori Jure exemit, & immunes esse à communibus oneribus voluit, hoc invideas? ut adeò potentius esse Jus civile non debeat, quod certas personas Laicas, non obstante æquitatis naturalis ratione, ac dictamine, eximere à communibus & publicis oneribus potuit, quàm SS. Canones, quibus & legum conditores Laici, si genuini filij Ecclesiæ esse volent, parere debent, & obtemperare.

11 Taceo, prorsus nihil concludi ex eo, quòd æquitas naturalis in genere aliud suadere videatur, cùm multa æquitati naturali in genere valde conformia sint, contra quæ tamen, si quæ à Jure in contrariũ statuta sunt, observari debent. Nunquid enim æquissimum est, ut nemo cum alterius damno locupletetur, & tamen quis nescit, aliud obtinere in præscriptionibus etiam de Jure, SS. Canonum? nunquid æquissimum est, ut, qui in aliquo contractu læsus fuit, ei à lædente satisfiat? & tamen si non sit læsus ultra dimidium, negatur actio illi, qui læsus est, contra lædentem: nunquid æquissimum est, ut, cùm tu abundes opibus, alter egestate prematur, ei succurras? & tamen Jura neminem cogunt taliter egenti necessariò succurrere. Et sæpissimè mihi aliquid prodesse potest, & tibi non nocere, ac, tametsi æquum sit, id te mihi non prohibere, tamen de Jure non teneris, ut notat *Gloss. dist.* 1. *c.* 1. Ut adeò rectè Glossa marginalis *in L.* 2. §. *item Varus. verbo. hac æquitas*, *ff. de*

ff. de aqua pluv. & c. ultimo. de transact. verbo. aquitate. dicat: Æquitatem tantùm in genere scriptam, vel omnino non scriptā, Juri in specie scripto non præferri, maximè, quando æquitate non attentâ, aliud de Jure, & quidem per modum Privilegij dispositum est, ut in nostro casu exemptionis Clericorum ab oneribus publicis. Hoc non nego, quando ex Jure scripto rigoroso, si secundum suos apices servaretur, injustitia manifesta sequeretur, tunc ex æquitate temperandum esse, tunc enim communi axiomati locus esset: Summum Jus, summa injustitia. Præsertim si illud pugnaret contra præcepta Juris naturalis in specie. vide citatos *à Barbos.* ad allegatum *c. final. de transaction.*

12. Ex quibus obiter intelligis, injustissimam esse Laicorum exactionem quâ non solum absque consensu Episcopi, & Summi Pontificis Clericos contributionibus pro communibus, ut prætendunt, necessitatibus subjiciunt, sed ad plus conferendum, etiam proportione habita, compellunt, quam ipsi Laici ex suo contribuant, in quo se peccato mortali, præter incursam excommunicationem Papæ in Bulla Cœnæ Domini reservatam innodare certissimum est.

§. *III.*

SUMMARIUM.

Stante etiam communi necessitate, nec sufficientibus bonis Laicorum, ante ad contribuendum Clerici non tenentur, quàm Episcopus cum suo Clero deliberârit, an & quantùm contribuendum sit. n. 1.

An sufficiat de jure deliberatio Episcopi cum suo Capitulo? n. 2.

Hoc, quod de Clero dicitur, non servatur modo in praxi. 3.

Consultum, ut in hac deliberatione instituendâ etiam Consiliarij Principis terræ antecedenter requirantur, ut sciatur, in quantùm suppetant, vel non, Laicorum facultates. 4.

1. Scien-

1. Sciendum est tertiò. quòd antecedenter, antequam Clerici subsidium conferant pro communi necessitate, Episcopus & Clerus deliberatione præmissâ, rem diligenter examinando, perpendere debeant, an, & quantum hîc & nunc sit contribuendum.

2. Et de Jure scripto indubitatum est, non sufficere consensum & deliberationẽ Episcopi cum suo Capitulo, quidquid dicat *Suarez, ubi suprà num.* 16. nomine enim Cleri non non veniunt soli Canonici Ecclesiæ cathedralis, ut per se notum est, & sine dubio vocandos esse vult Pontifex, quos tangit præstatio subsidij; tangit autem non tantum Canonicos cathedrales, sed totum Clerum, ergo Clerus vocandus erit.

3. Quod quidem non memini observari de consuetudine; nam cum frequenter ejusmodi necessitates communes subsidio Clericorum adjuvandæ obvenire possint, practicè admodum difficile foret, totum convocare Clerum. Posset itaque sustineri, ubi id usus ita obtinuit, etsi non de Jure scripto, ut Episcopus desuper cum suo Capitulo, vel consiliarijs ad hoc deputatis nomine suæ Diœceseos, & subditorum sibi Clericorum prudenter deliberet, quid agendum videatur.

4. Vocatis etiam legitima requisitione principum consiliarijs, & civium, vel Laicorum primoribus, ut exactiùs constare possit, in quantum suppetant, vel non, Laicorum facultates.

§. IV.

SUMMARIUM.

Præter omnia superiùs requisita, debet etiam desuper accedere consensus Summi Pontificis. n. 1. per text. ibid. allegatum.

Dispositio. c. cit. non fundatur in merâ præsumptione. n. 2.

Probatur à simili, ex Concil Trident. 3.

Sententia Panormitani tenentis, quando necessitas, vel utilitas communis æquè Clericos, & Laicos tangit, non necessariò recurrendum ad Summum Pontificem, nec in praxi, nec in puncto juris videtur sustinenda. 4. Allegantur ad hoc probandum aliquot rationes. n. 5.

1.

SCiendum est quartò, quòd hodie vi novæ dispositionis *c. adversus* Episcopi & Cleri consensus, & arbitramentum non sufficiat, sed necessariò desuper requirendus sit Romanus Pontifex. per expressa verba *textûs*. ibi: Propter imprudentiam tamen quorundam Romanus Pontifex priùs consulatur.

2. Ad quæ verba bene advertit *Suarez eod. c. num. 18.* hanc *c. adversus* dispositionem non fundari in merâ præsumptione: quatenus cessante eo, quod præsumitur, imprudentiâ scilicet quorundam, cesset dispositio Capituli. consequenter, si evidens foret causa, & justitia contribuendi manifesta, secundùm debitum prudentiæ dictamen, consuli Pontifex necessariò non debeat. Rectè igitur negat *Suarez*, allegata verba *c. adversus* supponere rem præsumptam, quâ quidem existente adiri Pontifex debeat, secus, si id, quod præsumitur, non subsit, recurrere ad Papam haud sit necesse. supponitur enim ex mente Suarezij, & bene, eo in capitulo morale periculum, & occasio frequentis mali, & læsionis, seu nocumenti, quod morale periculum sic in genere consideratum, cum semper subsit, nunquid omitti poterit, quin Pontifex consulatur?

3. Sic ex decreto *Concilij Trident. sess. 25. c. 15. de Regular.* professio irrita declaratur, quæ fit ante decimum sextum ætatis annum, eò quod Concilium se fundet in morali periculo, quod possent fieri professiones sine sufficienti deliberatione, judicio, & consilio, si ante decimum sextum ætatis annum profiteri

teri liceret, cùm ante hanc ætatem regulariter lubricum adolescentiæ sit consilium, & judicium imbecille: neque tamen minus irritam vult esse professionem, tametsi ante decimum sextum ætatis annũ aliquis eam emisisset cum sufficienti deliberatione, consilio & intelligentia ipsius status religiosi, & sic consequenter non subesset in aliquo casu particulari defectus sufficientis intelligentiæ, & judicij, cùm in hoc non se fundet Concilium, sed in morali periculo in genere, & abstrahendo à casibus particularibus, considerato, in quo Concilium suam fundat intentioné, quod periculum in genere semper subsistit.

4. Cæterùm non minima oritur hîc controversia, an sententia Panormitani, quæ à multis hodie tenetur, ut videre est per citatos *ab Azorio*, ubi suprà, indifferenter vera sit, maximè de Jure scripto, quæ dicit: toties non esse recurrendum ad Summum Pontificem, quoties utilitas, vel necessitas communis æqualiter Clericos & Laicos tangit, sive, ut loquitur *in cit. c, non minùs. Panormit.* quoties impensa facienda est non solùm propter utilitatem publicam, sed etiam propter utilitatem privatam bonorum Ecclesiæ, vel Clericorum.

5. Ego, etsi censeam, hanc sententiam propter authoritatem tanti Doctoris, & multorum sequacium, speculativè teneri posse, adeoque extrinsecâ saltem probabilitate, quæ ab authoritate desumitur, non destitui, in puncto tamen Juris & praxi vix subsistere existimo, tum quia contrarium observatur de stylo Curiæ Romanæ, ubi communiter nulliter factæ dicuntur impositiones tributorum Clericis, sine authoritate Sedis Apostolicæ. ut infrà videbimus. tum quia Pontifex indistinctè in casu communium Laicis & Clericis utilitatum, vel necessitatum vult, Romanum Pontificé desuper consuli. Quis autem non videt, verè adhuc communem esse utilitatem vel necessitatem, tametsi illa tam bona Clericorum, quam civium

privata concernat? nunquid enim fundus verè dicitur communis, etsi pro dimidio, meum & tuum tanquam hominum privatorum, illius sit dominium? pro dimidio mea & tua illius sit utilitas? neque ignota Juris peritorum est distinctio: Bona publica, & communia Universitatis esse, etsi alia pertineant ad cives Jure singulorum, alia Jure Universitatis. Tum, quia, licet Jure singulorum bona in communi, necessitate superveniente, pertineant ad cives & Clericos, idem tamen morale periculum subest, ne Clerici à Sæcularibus circumveniantur, ob imprudentiam quorundam. quorum tamen interesset vigilare, ne id fieret. quod periculum etiam hoc communis necessitatis vel utilitatis casu non minus subest, ergo eadem Juris dispositio locum sibi utrinque vendicabit. neque enim rationem disparitatis sufficientem video, cur, si bona in communitate aliqua possidentur Jure singulorum, non sit necessariò consulendus Pontifex, eundem verò adiri necesse sit, si possideantur Jure Universitatis, cùm utrinque verum sit, communem esse necessitatem, vel utilitatem, quod solum requirit textus capituli, ut desuper consulatur Pontifex. Atque hanc nostram sententiam quatenus Summus Pontifex indifferenter adeundus sit, sive communis utilitas vel necessitas versetur circa bona, quæ Clerici, & Laici possident Jure singulorum, sive Jure Universitatis, modò ad utrosque æquè principaliter pertineat, non pauci tenent allegati *à Diana tom. 1. tract. 2. de Immunit. Eccles. resolut. 133.* Casu tamen tantæ necessitatis semper excepto, quo periculum foret in morâ, aut absque scandalo recurri non posset ad Summum Pontificem, tunc enim indifferenter sufficeret Episcopi & Cleri consensus.

SVM-

§. V.

SVMMARIVM.

Plurimi tenent, existente communi necessitate aq; Clericos ac Laicos tangente, absolutè & indifferenter personas Ecclesiasticas obligari ad contribuendum. n. 1.

Probare nituntur textibus, authoritate DD. & communi praxi. num. 2.

Allegantur textus. num. 3.

Doctorum ita tenentium authoritas. num. 4

Præjudicia & praxis communis. 5.

Probatur eadem sententia ratione. 6

Communis Canonistarum sententia, quod Clerici hoc casu indifferenter non obligentur ad contribuendum, tenenda est: quæ ita ampliatur, ut, quando ipsis contribuendum est, non sufficiat consensus Ordinarij, sed requirenda sit authoritas Papæ, & solùm in casu, quo Laicorum facultates non sufficiunt. num 7.

Probatur quo ad omnia hac membra conclusio. 8 9. 13.

Sententia Henrici à Gandavo tantùm limitativè admittenda est. 10. & rarò in praxi locum habet. num. 11. Alia notabilis limitatio ad eandem sententiam. num. 12.

Rationes pro nostra conclusione communis Canonistarum sententia afferuntur. num. 14. 15. 16. 17. 18. 19.

Respondetur ad textus in contrarium adductos. num. 20.

Ad authoritatem Doctorum, maximè Bartholi. 21. 22.

Ad Decisiones imperiales. 23.

Ad objectionem: quòd nimis multa sint monasteria, & consequenter loci exempti à contribuendo. num. 24. 25. 26 27. 28 29.

Objectio ex S. Ambrosio diluitur. num. 30.

His ergo non observatis: Laici Clericos ad contribuendum compellentes sunt excommunicati, infames, Sacrilegi, & peccant mortaliter, tenenturq; ad restitutionem. 31.

Episcopi in conscientia obligati sunt, inquirere in eos, qui Clericos onere collectarum injustè gravant, atq; Excommunicationem Bullæ Cœnæ Domini, & alias censuras, & pœnas in eos de Iure vibratas, publicare. 32.

1. His

I.

HIs ita ad elucidandum utrumque Capitulum allegatum præmissis, restat, Quæstionem motam ex fundamento paulò fusiùs examinare.

2. Et pro affirmativa quidem sententia, quod Clerici pro sublevandis necessitatibus, vel utilitatibus publicis absolutè, & indifferenter obligentur ad contribuendum, triplici argumento pugnant adversarij. Textibus, authoritate Doctorum, & præjudicio communis praxeos, & antiquæ consuetudinis.

3. Quantùm ad textus, & leges attinet, manifestè pro hac sententiâ militare videtur *L. ad instructiones. Cod. de SS. Ecclesiis.* ubi ad instructiones pontium, & itinerum, Ecclesiam conferre, ac contribuere debere, dispositum est. Idem statuitur *in L. jubemus nullam navem. Cod. eod. tit.* quo in loco deciditur: etiam navem Ecclesiæ teneri ad onera Reipublicæ. *& L. nullus. Cod. de cursu publico & angarijs.* ubi expressè legitur constitutum, ut neque Ecclesiæ tempore expeditionis excusentur ab angarijs & perangarijs. Et, quæ notantur *in L. si divina domus. Cod. de exactorib. tribut. lib. 10. L. ad portus. Cod. de operibus publicis. L. nullus penitus. Cod. de cursoribus publicis. L. neminem. Cod. de SS. Ecclesijs L. cùm ad felicissimam. Cod. de quibus muneribus, & præstation. lib. 10. & L. absit. Cod. de Privileg. domus augustæ.*

4. Quantum ad authoritatem Doctorum attinet, manifestè pro hac sententia pugnat Bartholus, & communiter Interpretes in expositione *citatarum legum. & Salicetus in L. placet. Cod. de SS. Eccles. Antonius Butrius. in c. non minùs. sæpè cit. Alexander consilio. 68. lib. 2. Alciatus dicta L. ad instructiones. & Fulgosius ibidem.* ubi asserit, communem esse opinionem. Præsertim *Ægidius Thomatus in suo tractatu de collectis. folio mihi 88. num. 46. & sequent.*

& sequent. Maxime, cum comunis sit sententia Theologorum in materia de Legibus. teste *Leyman. lib.* 1. *tract.* 4. *c.* 13. qui unanimiter concludunt : Clericos saltem secundùm vim directivam Legibus civilibus obligari. Sunt enim, ut loquitur *Leyman*, & quos fusè allegat *Barbosa. sæpè dicto tract. jur. Eccles. univers. Lib.* 1. *c.* 39. §. 5. *num.* 52. ex communi sententia Doctorum passim recepta, Clerici communi vitæ societate gaudentes, cives & membra Reipublicæ, ergo naturali quoque ratione æquum est, illos ea etiam præstare, quæ ad communem Reipublicæ gubernationem pertinent. vide etiam, quæ fusè pro hac sententia disputat *Salgado de protec. regia. p.* 3. *c.* 5. *num.* 9. *Henriquez in summâ. lib.* 10. *c.* 15. *num.* 5. *Borellus. Vivaldus.* & alij apud *Dianam* allegati. *p.* 1. *tract.* 2. *de Immunit. Eccles. resol.* 39. *& sequenti*,

5. Quantum ad præjudicia communis praxeos, & antiquæ consuetudinis attinet, quibus tertio loco pugnant Antagonistæ pro affirmativâ sententiâ præterquàm, quòd hoc in Gallia teste *Rebuffo. tom.* 1. *de sent. provis. art* 3. *Gloss.* 6. & Hispaniâ eodem *Salgado* attestante ubi suprà, receptum est, passim in nostra quoque Germania audacter, & nimis animosè compelluntur Clerici, aliæque personæ Ecclesiasticæ à Sæcularibus contribuere, sive jam casus communium necessitatum urgeat, sive aliàs contribuendum videatur, atque ob hoc neque Pontifice, neque Laicorum Ordinarijs desuper consultis. Fitque communiter ejusmodi Clericorum exactio per status Provinciales, Principumque ministros. certè non una, sed plures Imperij decisiones sunt, quibus nituntur adversarij, ut videre est per *Recessus de anno.* 1500. *Augusta.* §. Daß die Geistliche allwegen von 40. Fl. einen Gülden geben sollen. &. §. Von der Steür der Stifft / Klöster / Ordens-Leuth. & anno 1544. Spiræ. §. Und zu diesem Christlichen milden Werck. quibus, alijsque

locis manifestum est, Ecclesiasticas Personas Laicorum exactionibus subditas fuisse, quem sane usum decisionum harum Imperialium hodieque observari notissimum est. cùm videamus, passim monasteria, præposituras, aliaque loca pia ad angarias, tributa, & collectas urgeri, ac easdem solvere debere.

6. Et suadere ultimò hanc sententiam videtur posse naturalis æquitas, & ipsa ratio homini indita à Deo, quæ sanè omni positivæ Legi, ac dispositioni prædominari debet. Nam cùm passim tot erecta sint Monasteria Religiosorum, pia loca, Clericorum Domus, ac collegia, sanè, si eos omnes, ac eorum bona, exemptos esse dicemus, cùm frequentia sint onera collectarum, ac tributorum, planè nimis inhumanum, durum, & contra naturalem æquitatem ac rationem, imò propè iniquum erit, ut soli Laici obligentur ad hæc onera, cùm & Cleri æquè sint Cives & membra Reipublicæ, & communitatis, gaudeantque communibus Universitatum commodis & Privilegijs, ergo & incommodis, quæ communiter Rempublicam, vel aliquam Universitatem tangunt, oneribusque subjiciendi videantur.

7. His tamen non obstantibus: Dico: Verissimam esse communem Canonistarum sententiam, Clericos, aliasque Personas Ecclesiasticas, ac eorum bona à Laicis, etiam in casibus specialis necessitatis, utilitatis, vel pietatis collectari non posse, imò regulariter neque Ordinarij loci authoritatem sufficere, sed necessarium esse consensum Romani Pontificis, Atque hoc procedere dicimus, sive loquamur de bonis propriè Deo dicatis, ut sunt vasa sacra, vestes, aliaque utensilia Ecclesiæ, Cæmiteria, velut superiùs ea adnumeravimus, sive loquamur de bonis etiam temporalibus Ecclesiarum, Ecclesiasticarumque Personarum mobilibus vel immobi-

mobi-

mobilibus, nulla quidem consecratione affectis, designatis tamen à fundatoribus, alijsque pijs fidelibus in dotem Ecclesiarum, vel sustentationem Ministrorum, vel pauperum, aut aliàs cultum divinum, & honorem Dei concernentibus. Vel tertiò nobis sermo sit de illis bonis, quæ ad singulas Personas Ecclesiasticas Dominij capaces spectant; maximè si ex titulo spirituali quæsita sint, veluti sunt fructus beneficiorum, stipendia Missarum &c. Imò, tametsi solummodò patrimonialia sint. v.g. ex arte aliqua honesta, vel hereditate, aut aliunde simili titulo quæsita.

8. Et quoad primum membrum, propria scilicet authoritate, etiam in casu communis necessitatis, vel utilitatis à Sæcularibus collectari non posse Clericos, textus clarissimi sunt *in c. non minùs. c. adversus. c. quanquam. de censib. in 6. c. 1. & 3. de Immunitate Eccles. eod. lib. Sexto. c. Ecclesia S. Mariæ de constit.* & alibi passim. Et tenet *Panormit. consil.* 3. *& 9. lib.* 1. *Thuscus littera. O. conclus.* 128. *Leyman cum communi. lib. 4. tract. 9. c. 6. Azor. tom. 3. lib. 5. c. 19. q. 10. cit.* Et ratio desumitur ex sæpe dictis in antecedentibus, tum *ex c.* modò allegato. *Ecclesia S. Mariæ.* quòd Laici careant jurisdictione quo ad Personas Clericorum, & eorum bona, Jure etiam divino exemptas, cùm, ut dicit Pontifex. *cit. c. Ecclesia.* Laicis super Ecclesijs, & Personis Ecclesiasticis nulla sit attributa facultas, quos obsequendi manet necessitas, non authoritas imperandi.

9. Quantum ad communem utilitatem, vel necessitatem attinet, jam suprà satis copiosè diximus, quæ, quanta, quando, & quomodo constringat Clericos ad subsidium conferendum, modò semper animadvertatur, etiam in casu, quo subsidium ab eis implorandum concessit Pontifex, coactio solutio-

nis non per Laicos, sed Personas Ecclesiasticas expediatur. Hoc verum est, si Ordinarij locorum consentire nullatenus vellent, posse Laicos, vel Principes Sæculares superioris Ecclesiastici officium implorare, ut compellat Clericos & locorum Ordinarios ad consentiendum, & contribuendum. Sicut in terminis docet *Panormit. cit. c. non minùs.* quem communiter sequuntur.

10. Neque aliter assentior *Henrico à Gandavo Theologo. quodlibeto. 9. q.* 31. allegato à *Leyman. dicto c. 6. num.* 7. qui tenet: quòd ad bona Clericorum Laici motu proprio principaliter ac directo manus apponere possint, quoties ipsâ facti notorietate liquet, æque communem esse necessitatem Clericorum & Laicorum, neque Ordinarij locorum, vel illorum superiores collectationi Clericorum consentire volunt; quasi hoc casu ipsis Jus naturale videatur hanc potestatem largiri, cùm aliter communi necessitati subveniri nequeat; & tamen opus sit, eandem adjuvare. Aliter inquam eidem non assentior, quàm si versemur in casu, quo summum consulendi Pontificem periculum in morâ sit, & tamen interim notorium, Clericos teneri ad subsidium. redigitur enim tunc hæc quæstio ad terminos Juris naturalis, de quo, ut jam suprà aliquoties meminimus, concessum est, ex titulo justæ defensionis boni communis, si alia Juris remedia haberi non possint, omni meliori modô secundum dictamen rectæ rationis Reipublicæ succurrere, eandemque defensare: imò tametsi Episcopi consentire vellent, si negotium eos adeundi ob id, non patiatur moram, & tamen collectatione Clericorum in præsenti opus sit, prohibendi in tali subitaria necessitate non sunt Laici, quò minùs per se à Clericis subsidium accipiant.

11. Et hoc speculativè videtur omnino probabile. an autem

tem practicè talis facilè casus emergat, vel contingere possit, valdè dubito. cùm enim etiam collectatio Clericorum à Laicis non fiat in instanti, ut loquimur, sed temporum spacio ad eam faciendam opus sit, & ad manum sint Episcopi, quæso quid impedit, cur per Personas Ecclesiasticas Clericorum collectatio secundum SS Canones non expediatur? & juvari sententia Henrici à Gandavo sua in hypothesi potest per *textum. L. tutor, qui repertorium. ff. de administr. tut.* Sicut notat *Abbas sæpè. dict. c. non minùs. num 19. & Consil. 3. tom. 1. cum Iasone. in L. placet. Cod. de SS. Ecclesijs. colum. 5.*

12. Et arbitrarer, etiam hoc casu ab Henrico à Gandavo supposito, saltem ex pòst facto rem ad Pontificem deferendam, quia oppidò notum est, à Sæcularibus sæpiuscule prætendi ejusmodi extremas necessitates, in quibus moræ periculum prætexitur, ut eò liberius in bona Clericorum involent, sicut exemplis id firmari abundè posset, nisi odij plena forent. Examinabit itaque ex pôst facto Romanus Pontifex eo in casu, an non quid nimis, & quidem contra SS. Canones, ac libertatem Ecclesiasticam à Sæcularibus auso temerario tentatum sit, ut causis Clericorum saltem post tempus debitis remedijs consulat, & in futurum compescat Immunitatis Ecclesiasticæ violatores.

13. Quantum ad id, quòd regulariter neque Ordinarij consensus sufficiat, sed consuli desuper Pontificem necesse sit, abunde superiùs per textus & rationes demonstravimus, etiam ubi communis necessitas æquè principaliter Clericos ac Laicos concernit. Etsi non nesciam, communiter contrarium cnm Panormitano teneri, quoties necessitas communis privatam utilitatem Ecclesiarum, Et Clericorum tangit. ut videre est per citatos à *Diana. tom. 1. tract. 2. de Immunit. Eccles. resolut. 41. & 131.*

14. Ra-

14. Rationem, quâ proximè hanc nostram sententiam stabiliamus, desumimus partim ex text. *c. non minùs. & c. adversus.* partim ex discursu Panormitani ad allegatum modò. *c. non minùs.* quæ mea opinione videtur admodum firma, si quidem verba text. bene ponderentur. Imprimis enim certum est, *textus citt. cc.* loqui de necessitate, vel utilitate communi tam Clericis, quàm Laicis. Adducitur enim ibi primò exemplum de fossis pro bono communi civitatis ducendis, & secundò exemplum de expeditionibus, quæ duo nemo sanus nescit, communem utrorumque, Clericorum & Laicorum utilitatem concernere.

15. Secundò, non minùs indubitatum est, ex *text. cc.* utut hæc onera communem Clericorum & Laicorum utilitatem vel necessitatem respiciant, tamen onera Laicorum solummodo propria esse. Per expressa verba. *c. non minùs, ibi.* onera sua (Laici) ferè universa imponunt Ecclesijs. consequenter, si sua (Laicorum) ergo propria, & non communia cum Clericis. quod luculenter probatur ex subsequentibus verbis. *c. adversus.* ubi sic loquitur Pontifex: subsidia, si qua Episcopi duxerint per Ecclesias conferenda, ea Laici cum gratiarum actione, humiliter & devotè recipiant. &c Sine dubio, quia charitativum solummodò subsidium est, ad quod nullo Jure Clerici, tanquam ab ejusmodi oneribus exempti, tenentur. Ad quod enim mihi aliquis obligatur, ad id eum cogere possum, & non teneor ei tanquam pro beneficio gratias agere.

16. Et confirmantur hoc ex verbis. *c. adversus.* ubi ait Pontifex: quod per decisionem *hujus c.* voluerit Imunitati Ecclesiasticæ, à Concilio Lateranensi Clericis hoc casu concessæ, pro-

videre.

videre. Ergo virtute utriusque capituli exemptæ sunt personæ Ecclesiasticæ, & liberæ ab his oneribus, communem etiam utilitatem, vel necessitatem attinentibus. Immunem enim esse ab oneribus, quod Pontifex in *cit. c.* dicit, & communem esse, sive communicare in ijsdem, quod dicunt adversarij, opposita sunt, ut suprà etiam vidimus.

17. Deinde, cum bona Ecclesiarum deputata sint usui publico spirituali, per *text. in c. videntes.* 12. *q.* 1. *c. quoniam.* 16. *q.* 1. *c. ratio. de prabend.* omne enim, quod Ecclesiæ (per oblationem fidelium) consecratur, sive sit ager, sive animal, ut dicitur in *c. nulli liceat.* 12. *q.* 2. Sanctum Sanctorum Deo efficitur, & ad Jus pertinet sacerdotum, ergo non debet ampliùs usui profano, etiam publico, deservire, eo ipso, quòd ea Juri publico superioris ordinis deputata sint, nimirum Sacerdotali. per text. *in c. Ius public. dist.* 1.

18. Consequenter, cùm Laicorum principaliter & per se sit, esse membra Reipublicæ profanæ & politicæ, sicut Clerici sunt membra sacræ sive Ecclesiasticæ, etiam principaliter, & per se continget eos utilitas Reipublicæ, igitur & per se subire debebunt onera ejusdem; sicut per se Clerici debent deservire Reipublicæ spirituali, & Ecclesiasticæ, & onera ejusdem portare. Et sicut milites sæculi militant sæculo, ita milites Christi militant Christo, ac sequuntur eos, & eorum bona, exemptio & Privilegia suæ cuilibet militiæ concessa. consequenter, cùm Clerici, & illorum bona non nisi deputata sint militiæ spirituali, & usui ejusdem, ad alium usum (maxime profanum) sine Pontificis consensu applicari non possunt. per expressum *text. in Clement. quia contingit. de Religios. domibus.* quod autem Clerici militent Deo, textus apertus est. *in c. reprehensibile.* 23. *q. ult.*

19. Ut

19. Ut adeò facilè videas ex allegatis hucusque, quare Pontifices tam aperta decisine *in c. non minùs. & c. adversus.* Clericos voluerint esse immunes à communibus publicis oneribus, & exactione, causa eorundem subeundâ, atque non nisi ex æquo, & gratuito, casu, quo Laicorum facultates non sufficerent, subsidium aliquod præstare consenserint.

20. Ad argumenta in contrarium allata respondeo, & quidem ad primum, quantum scilicet ad leges ex Jure civili allegatas attinet, quòd, licèt aliqui etiam ex Canonistis, ut est *Cardinalis* citatus ab *Abbate.* sæpè *dict. c. non minus.* teneant, prædictis legibus in casibus suis specialibus ex ea ratione locum esse, quod, quoties in SS. Canonibus contrarium non disponitur, leges civiles etiam observandæ sint in Foro Juris Canonici. per *text in c. 1. de novi oper. nunc.* Dico tamen cum *Abbate* ubi suprà, hoc eo casu nunquam procedere, quo lex imperialis damnosa est Ecclesijs, vel Ecclesiasticis Personis. non enim obligat ejusmodi lex, nisi specificè approbetur à SS. Canonibus. ut est communis doctrina Interpretum *in c. finali. de solut. c. Ecclesia. S. Mariæ. de constit. & c. si in adjutorium. distinct. 10. & deniq; c. ultim. de rebus Eccles. non alien.* Deinde, cum præfatæ leges in specie disponant super rebus, & personis Ecclesiasticis, nullæ ex defectu potestatis sunt, tametsi eas SS. Canones expressè & in specie non reprobent. ut bene notat idem *Abbas in repetitione. c. Ecclesia. S. Mariæ. cit. Calderinus in c. 1. de nov. oper. nunc.* imò, si quis *text. in c. non minùs. & c. adversus. hoc tit.* bene ponderet, deprehendet in specie aliquas ex allatis de Jure civili legibus impugnari. ut bene advertit. ad *cit. c. non minùs. Panormit. & cum eo Leyman. dicto c. 6. num.* 6.

21. Quantùm ad authoritatem *Bartholi*. & communiter *Iuris civilis Interpretum* attinet, Respondere possumus, illos vix aliter commentari potuisse, quàm in dictis legibus de Jure civili

vili ſtatutum eſſet, quidquid interim de *Iure SS. Canonum*. in contrarium ſit proviſum. ut adeò ſolùm communis eorum opinio eo collimet, aliudque nihil intendant, quàm, ita deciſum in prætactis Legibus eſſe, quod neque nos negamus. inficiamur autem, dictis Legibus conſtringi poſſe Clericos, & illorum bona, cùm de *Iure SS. Canonum* exempti ſint à Sæcularium Jurisdictione, & conſequenter poteſtate Legislativâ. imò, quidquid illæ in contrarium ſonent, & velint contra Clericos, ex pòſtfacto tamen abrogata eſſe per *Authent. item nulla. Cod. de Epiſcop. & Cler.* manifeſtum eſt. ut adeò Juris civilis ſanctiones in contrarium allegatæ, ab ipſo Jure civili, conceſſo illo Privilegio authenticæ modò citatæ jugulentur, & exſpirent. *Ægidius Thomatus dicto loco in ſuo tractatu* allegatus, loquitur in caſu manifeſtæ neceſſitatis, neque tamen etiam ibi probat, vel concedit, Clericos, tametſi teneri velit ad ſuccurrendum communibus neceſſitatibus, ſine conſenſu Summi Pontificis, vel ſaltem Ordinariorum collectari poſſe.

22. Theologorum ſententiam communem, dicimus omnino veram eſſe, quam tamen de illis Legibus civilibus intelligimus, quæ SS. Canonibus, & ſtatui, ac Privilegijs Clericorum non repugnant. ut in terminis aſſerit ibidem ex communi ſententiâ *Leyman*. Neque eſt conſequentia: Clerici tenentur Legibus civilibus ſecundum vim directivam, ut vocant, ergo poſſunt collectari, præſertim à Principe ſæculari per ſe, & authoritate propriâ, cùm taliter collectari à Principe ſæculari dicat vim coactivam, non directivam, quâ tamen Clerici non tenentur. Neque hoc ſuadet æquitas naturalis, ut tametſi Clerici membra Reipublicæ ſint, cogi à Magiſtratu ſæculari ad onera communia ſubeunda, à quibus exempti ſunt, poſſint. imò ſatis æquitati naturali ſatisfit, ſi Clerici, quatenus

 ſuo

suo modo membra Reipublicæ sunt, & tanta foret communis necessitas, ut eidem satisfieri Laicorum facultatibus nequeat, à suo Magistratu Ecclesiastico, ad humilem requisitionem sæcularium mandatum accipiant, quatenus subsidium contribuant ad sublevanda communia Reipublicæ onera: Neque Magistratûs civilis, vel Principum Sæcularium est determinare, quando, & an tanta necessitas sit, ut Clerici ad subsidia conferenda attineantur; cùm hoc munus & officium Summus Pontifex sibi reservarit ad informationem Ordinariorum loci. per text. *in c. adversus.* sæpè allegato, præsertim cum ipsa experientia constet, ac jam olim verum fuisse, testetur Pontifex. *in c. Clericis. hoc. tit. in* 6. Laicos Clericis plerumque infensos esse. ut adeò illorum Judicia in similibus meritò negligantur, & nullatenus attendi debeant, tanquam ab infensis concepta.

23 Decisiones Imperiales non semel constringere Clericos ad collectas, dubium non est. Sed hoc ob manifestam & inevitabilem necessitatem. & quia ejusmodi contributiones allegatis in casibus æque directò, imò principaliter utilitatem Ecclesiarum, & Ecclesiasticorũ concernebant, eo quod tunc immineret manifestum exeidium Religioni, à Turcâ tanquam juratissimo hoste Ecclesiæ intentatum. ut dicto loco ex iisdem recessibus legenti patet. Deinde, utut status Imperij, quo ad collectationem Clericorum ita definierint, qui tamen, ut per se notum est, æque ex Personis Ecclesiasticis, Archiepiscopis, Episcopis, alijsque inferioribus Prælatis, ac Sæcularibus constat, ex hoc tamen solummodo probatur, quid factum sit, non quid de Jure fieri oportuerit, imò utut determinata in Clerum, & Personas Ecclesiasticas ejusmodi contributio à statibus imperij fuerit, nunquam tamen actualis contributionis executio à Sæcularibus fieri jussa est. ut patet ex citatis

Comitijs

Comitijs Augustæ habitis. §. Wer die Steür der Geistlichen einbringen solle. ubi expressè provisum est, ejusmodi collectationem ab Archiepiscopis & Episcopis faciendam esse. & *in* §. *ibidem.* Was man mit dem Pabst handlen soll. Dicitur circa ejusmodi acta Pontificem informandum. Sicutetiam in *recessu Spiræ* habito, allegato *anno* 1544. expressa mentio Pontificis desuper consulendi fit. ibi: So wollen wir bey der Päbstlichen Heyligkeit/ꝛc. consequenter, ut neque status Imperij dictis locis vellent aliter, factam suam de collectatione Clericorum constitutionem sortiri vires, nisi Summi Pontificis authoritate quoque approbaretur. Et propterea hodieque cum ejusmodi contributiones Clericis ob obortas Imperij necessitates, & bellorum, ac hæreticorum incursus indicendæ sunt in Diætis Imperialibus, solent nuncij Apostolici interesse, ut de eorum consensu, tanquam cum potestate à Latere à Papa missorum ad Imperatorem, fiant, vel si lædi Immunitatem Ecclesiasticam exinde deprehenderent, maturè desuper Pontificem admonere possint, ut scimus in similibus casibus nostro tempore aliquoties factitatum, cum protestatione de non lædendo Ecclesiæ Immunitatem, & Jura.

24. Quod ultimò circa frequentiam Monasteriorum, personarumque Ecclesiasticarum objicitur, ex quorundam non malè sano stomacho ructatur. quibus orexin, & invidiam movent Clericorum bona. (nam pinguis est panis Christi) quasi verò olim plures Ecclesiæ monasteria, & Ecclesiasticæ Personæ non sint numeratæ quam hodie, & tamen immunes ab ejusmodi collectis extiterint. certè Religio nostra Benedictina, jam undecim sæculis coæva, historicis non incelebribus scriptis id suis vulgantibus, ultra triginta millia Cœnobiorum, atque id virorum duntaxat in numerum redegit. imò, ut referunt, tempore adhuc *Concilij Constantiensis*, *Papa*

Ioannes 21. ex libris antecessorum suorum computo, & rationibus initis, ibi locorum ad valvas Ecclesiæ Monasterij S. Petri scribi aureis littetis in palimpsesto jussit, quod quindecim millia, septuaginta quatuor Abbates sitorum hinc inde per orbem Monasteriorum ordinis S. Benedicti numerentur. & quot ex illis Principatuum titulis insignia? ut prætermittam Canonicorum Regularium, aliorumque celeberrimorum Ordinum integros exercitus, quibus sua stetit illibata Immunitas.

25. Ergóne Imperatorum, Principumque vires & potentia inde accisa, fracta, labefactata? *Leonardum VVurfbain in suâ relatione historicâ consule. qui fol. 65.* etiamnum circa *annum Christi 1150.* ubi passim Religiosorum Ecclesiasticarumque Personarum innumeri cætus & collegia exundabant sub Friderico primo, & secundo, adhuc Imperij Fiscus ita locuples erat, ut decem auri tonnas, sicut vocant, quotannis in ærarium Imperator redegerit. Fridericus secundus, primi nepos, integros septem exercitus, diversis locis, ex reditibus Imperij aluerit. cui otium est, historiographorum volumina excutiat, mentiar, nisi scoriam, & vacuos pulveres post tot ingentes Imperij Thesauros, aurique acervos jam nunc solùm relictos exclamet, etiam ubi tot Monasteria, & Ecclesiæ ab Hæreticis directa, communis, & profani juris reddita sunt. certe si fidem *Lansio* damus, in *oratione pro Gallia*, reditus Imperij nostro tempore ita exiles & angustos cum *Schneidevvino* asseverat, ut disponendis, alendisque imperij cursoribus, vulgo Reichs-Posten vix sufficiant. Addit idem *Lansius*, Maximilianum Imperatorem initis rationibus testatum, se ex bonis patrimonialibus ad 100. auri tonnas pro bono imperij erogâsse, cum toto eo tempore ab Imperij Ordinibus vix 40000. Fl. in accepti tabulas retulerit. sciscitâre ex memorato *Leonardo VVurfbain* in di-

in dictâ sua relatione historicâ, sanè causas imminutæ Imperij potentiæ longè alias ex vero pertexit, quam quod id Ecclesijs, Ecclesiasticisque hucusque abundaverit. Cultus sanè Religionis, sincera in Deum pietas, & Ecclesiasticorum reverentia, ac honor, firmamenta Imperij semper inconcussa fuêre.

26. Unum suggero Carolum Magnum, potentissimum Imperatorem. quis Cleri reverentior, amantior Numinis, effusior in Ecclesias, Ecclesiasticosque? & quod consequitur, Cæsarum major? testem tibi do *Michaelem Mauclerum, qui tom. 1. p. 4. lib. 7. c. 6. & 7. de Monarchia*, graphicè emolumenta Carolo inde hausta perorat, & de *Monarchiâ Ecclesiasticâ. p. 2. lib. 8. c. 10.* quem eundem brevitatis causa per te videre potes. Audi ipsum Carolum Magnum apud *Sigonium. libro 4. de regno Italiæ*, ubi ita loquitur: Si Ecclesiarum Dei servis munificentiam nostram impartimus, eorumque studijs libenter obsequimur, id nobis ad augustalis excellentiæ culmen proficere credimus, &, quod cunctis preciosius est dignitatibus, æternæ retributionis præmium capessere non diffidimus. hæc *Carolus* ibidem.

27. Et certè nunquam facilè alijs Ecclesiarum, Ecclesiasticorumque bona in rapinæ & furti voto sunt, nisi sacrilegis. Refert *Surius in commentario suo ad annum Domini. 1523.* Lutherum, postquam cum cucullo omnem pietatem deposuit, jam novæ hæreseos faber, libellum edidisse de communi fisco, in quem omnia ferè Clericorum bona redacta voluit, palpum Principibus, quos fædè adulabatur, facturus. utinam nemo posteriorum æmuletur! Audi *Henricum* Angliæ Regem jam

schismaticum, & Pontifici rebellem apud *Suarez lib. 5. de Immunitate Eccles.* ab initio in idem argumentum impiè perorantem, ubi impudenter Principes Christianos adoritur incitatum adversus Pontificem. In Apologia sua ita loquitur: Quod si potentissimus quisque vestrum altè, serioque recogitet, pænè tertiam populi, solique vestri partem Ecclesiæ esse dicatam, nonnè quæso illius jacturæ sensus animos vestros percutiet? quæ tantum hominum, fundorumque vestro Juri subtrahat, ut ubique Pontifici Coloniæ provinciæque constituantur &c, ô si in nostri ævi pseupoliticorum mentibus hæc postliminiò non identidem malè gliscant! utinam nonnemo id consilijs haud ausus sit, ut de numero Monachorum per Monasteria expungendo imminuendóve author non fuerit, quo ærarium Principis reditibus Ecclesiasticis locupletaret.

O vanas hominum curas! ô pectora cæca!

28. Sit nervus belli pecunia, authore *Tacito*, at Pietas & Religio Christiana non tam in curribus & equis, quàm in nomine Domini hostem profligat. non regero exempla Bibliorum, ubi duo Moysis extenti ad orationem pugni pugnarunt feliciùs, quam tota hebræorum castra. Historiæ passim redundant, quàm fortunatè sæpènumerò exiguo milite pietas, & fidens Deo causa ingentes exercitus occidione deleverit. Carolos, Ottones, Henricos memorare, & miraberis, *Saxonum, & Hunnorum*, integras cadaverum strues per campos aggeratas jacuisse, pietate Principum victoriam merente. ut taceam, nostrâ quoque ætate instructissimos exercitus, utut sumptus bello suffecerint, ambitione Ducum, perfidiâ, & æmulatione pessumivisse. Sed revoco calamum ad solitam materiæ nostræ telam. Suggerant ista qui auricularij Principum sunt. & finio cum epiphonemate *Surij*,

quo

quo *cit. loco.* sermonem claudit: ubi hæc ait: Reverâ ex hujusmodi rerum Ecclesiasticarum occupatione non solùm nihil locupletati sunt, sed magis suis etiam opibus plerique exuti videntur. Hæc *Surius.*

29. Neque Clerici, Ecclesiasticæque Personæ tam pervicaces unquam Principibus erunt, ut necessitatum publicarum incurij ex suo non libenter suppetientur; id unum deprecati; ne soli illi, dum Laicorum facultatibus contra Jus parcitur, à Magistratu civili, ad cutem, ut ajunt, tondeantur, deglubanturque, neglectâ interim Episcoporum, Summique Pontificis authoritate & consensu, atque inversâ orbis hujus & justitiæ rotâ qui tot Imperatorum, Pontificumque censuris immunes, ac liberi à collectis esse jubentur, plus conferre in bella, aliasque necessitates publicas cogantur, quam sæculares, quos hæc onera de Jure proximè contingunt.

30. Quod postremò aliqui objicere solent ex *S. Ambrosio. in c. aurum. 12. q. 2.* cujus sententiâ Ecclesia non habet aurum, ut servet, sed ut eroget in necessitatibus, facilè diluimus ex ipso *Ambrosio*, assentiendo, Ecclesiam teneri, sed illis solùm casibus, quos in specie idem Ecclesiæ Doctor ibi percenset. v. g. cum urget necessitas pauperum, redemptio captivorum, templorum exædificatio, cæmeteriorum constructio. hæc enim pietatis opera proxmè ad Clericos attinent. & concludo cum *Panormit. cit. sæpe c. non minùs. in fine,* qui ait: Ex quo Laici potentiores sunt, debent ipsi hoc facere (alijs scilicet communibus necessitatibus & principaliter bonum commune politicum concernentibus, si quando in Republicâ obveniunt) & non detrahere de cultu divino, pauperibus & religiosis sumptus, & necessaria, ut expensa fiat in communi non necessario. hæc *Panormit.*

31. Exi-

31. Exigentes igitur à Clericis alijsque Personis Ecclesiasticis, quoties Laicorum facultates suppetunt, tributa, gabellas, vectigalia, collectas, aut decimas, aliáve onera ijsdem imponentes ratione bonorum, aut redituum ad ipsos pertinentium, absque Summi Pontificis, & Ordinariorum authoritate & consensu speciali, atque expressâ licentiâ desuper à Sede Apostolicâ impetratâ, aut illa de novo imponentes, imo imposita jam pridem etiam à sponte dantibus recipientes, aut quomodocunque vel per se, vel per alios exequi vel procurare facientes, vel in ijsdem consilium, aut auxilium, vel favorem præstantes, cujuscunque præeminentiæ sint, Excommunicationem Summo Pontifici in *Bulla Cænæ Domini* reservatam incurrunt, ut fusiùs explicatur ibidem in clausula, vel Excommunicatione. 18. & quæ notat *Sayrus, Bonac.* & alij ad eandem. Et præter hanc in aliam quoque Excommunicationem, etsi Summo Pontifici non reservatam, ipso facto incidunt. per textum. *in c. quamquam. de censib. in 6.* cujus meminit *Barbos. in suo tract. de offic. & pot. Episc. p. 3. alleg.* 50. *num.* 213. Sunt insuper infames, sacrilegi, & peccant mortaliter, tenenturque ad restitutionem. Et valde placet, quod idem *Barbos. in suo tract. jur. univers. Eccles. lib. 1. c.* 39. §. 5. *num.* 13. *ex Carolo de Grassis. num.* 121. *& num.* 142. *in tract. de effectib. Clericat. effectu.* 30. tradit: Episcopos in conscientia obligatos esse, inquirere in eos, qui Clericos onere gabellarum, aut collectarum gravant; Sicut enim ad Legislatorem pertinet, attendere, quatenus leges, quas promulgavit, diligenter observentur, si quidem in hanc curam per se intendere possit, ita pertinebit ad ejusdem substitutos, quoties ipse per se nequit, utpote in partem sollicitudinis vocatos, hæc eadem curare. Hinc cum certum sit, Summum Pontificem, utut etiam velit, ubivis

ubivis Locorum ad hæc attendere non posse, sanè Episcopi, cum ejusdem substituti sint, ac, ut diximus, specialiter vocati in partem sollicitudinis, ad hæc sedulò attendere in conscientia obligabuntur. Atque hoc procedit Clericis etiam tacentibus, & non querelantibus, poteritque loci Ordinarius, præsertim Metropolitanus, in eo, quo Clerici taliter gravantur, requirere vicinos Episcopos, ut publicent excommunicatos, gravantes Ecclesiasticas Personas. quod tamen in nostrâ Germaniâ, propter periculum contemnendæ Excommunicationis, sine præviâ admonitione, & requisitione Summo Pontifici desuper factâ, vix præsumendum existimo. quantum ad hanc Clericorum collectationem Laicis hoc casu prohibitam. vide etiam *Cavallos. fusè. q. 899.*

CAPUT VI.

Corollaria Quæstionum practicarum circa hanc materiam.

SUMMARIUM.

Proponitur aliquod consilium magno Principi suggestum, quod quia materiam Immunitatis directè concernit quo ad exemptionem personarum Ecclesiasticarum à steuris eisdem per Laicos non imponendis, & multò minus jurisdictionaliter à Laicis compulsivè exigendis, illud in antecessum aliarum qq. practicarum examinatur. n. 1.

Argumentum Consulentis primum: quia Ecclesiæ tenentur contribuere, quando casus communis necessitatis æquè tangit Clericos & Laicos. 2.

Secundò non necessariò in præsenti casu requiri consensum Papæ, quia Persona Ecclesiastica ad præstandum subsidium pro sua parte consenserunt, neq; ipsis impositum est per modum tributi. 3.

Tertiò Prælati saltem Ecclesiastici possunt cogi à potestate sæculari, quia

quia illi ad alia etiam debita coguntur à consilio Principis aulico. 4.

Quantum ad alios Clericos dicit consulens: aliquos negare, aliquos affirmare eos cogi posse à Laicis ad contribuendum. Pro affirmativâ aliquos citat DD. & unam Glossam. 5.

Probat rationibus, prima petitur ex dictamine L. naturalis id in præsenti casu exigentis. 6.

Secunda: quia Lex de Immunitate Ecclesiastica proximè est tantùm Iuris positivi, ergo debet cedere juri naturali defensionis status proprij. 7.

Tertia: quia Principes sæculares habent jus ad protegendum suum statum etiam contra Ecclesiasticos, quando id Iudex Eccles. renuit, & est periculum in morâ. 8.

Ultima: quia experientiâ constat: Ecclesiasticos, qui Principibus modicum subsidium petentibus restiterunt, postea hostibus irruentibus totum perdidisse. 9.

Concludit denique: cogi posse Ecclesiasticas personas a Principe Laico coactionem hanc facere renuentibus Episcopis ad id requisitis. 10.

I.

ANtequam ad alias quæstiones practicas hîc loci discutiendas gressum faciamus, examinabimus consultum aliquod concinnatum in causa, quâ pro conscribendo milite paucis hinc annis, vacante imperio, nonnemo Principum collectam Provinciæ, indifferenter à Clericis & Laicis præstandâ indixerat, in quam etiam status Provinciales, qui tam ex Sæcularibus, quam Personis Ecclesiasticis Conflati sunt, consenserant. Et quærebatur, an obligarentur Clerici ad communem collectam, absque eo quod expressè consensisset Summus Pontifex, & utrum renuentes cogi à Principe præfato possent.

Argumenta consulentis hæc sunt.

2. Primò ut videre apud *Molin. de just. disput.* 672. *Sanchez. consil. moral. lib.* 2. *c.* 4. *dub.* 55. *num.* 5. *Leyman. de just. disput.* 36. *sect.* 8. consentiunt Doctores, quando id, pro quo contributio petitur, æque Immediatè tangit Ecclesiasticos ac Laicos (nimi-

(nimirum quando æque in particulari agitur de conſervatione bonorum, Eccleſiaſticorum, ac Laicorum) Eccleſias teneri contribuere. An autem hoc caſu requiratur Summi Pontificis conſenſus, juxta communem reſolvit *Lugo diſput.* 36. *ſect.* 8. requiri. citatque *pro ſe Molin. Sylveſt. Angel. Panormit. Tabiens.* & plures alios. quos citat, & ſequitur *Sanchez. dub.* 55. *citato.*

3. Et hæc ſententia juxta Cardinal. de Lugo tunc ad minus vera eſt, quando ſubſidium ab ipſis Eccleſiaſticis dandum, ipſis non imponitur per modum tributi, ſed ipſi Eccleſiaſtici ad præſtandum ſubſidium pro ſuâ parte conſenſerunt. Hoc autem in caſu noſtro factum eſt, eò quòd Deputati commune ſubſidium præſtandum eſſe conſenſerint, & per conſequens juxta communem DD. ſententiam etiam non expectato Summi Pontificis conſenſu ad contributionem tenentur. Imò, ut docet *de di caſtillo. lib. 2. de juſt. tract.* 20. *diſp.* 4. *dub.* 5. *num.* 107. Lethale peccatum eſſet, tunc exſpectare Summi Pontificis conſenſum, quando ex eâ morâ commune bonum notabile pateretur detrimentum, quia Eccleſiaſtici tenentur ſub mortali contribuere, ſubveniendo communi bono, quando illud omnino periclitaretur, ſi Eccleſiaſtici non contribuerent.

4. Secundum vero, quod attinet, an ſcilicet renuentes cogi poſſint à poteſtate Sæcularium, quantum ad Prælatos res videtur extra controverſiam, cùm enim illi à conſilio aulico ad ſolvenda alia debita cogi poſſint, cogi poterunt à fortiori ad ſatisfaciendum huic contributioni.

5. Quantum ad alios Clericos variant DD. plerique enim negant, eò quod Eccleſiaſtici; & quò ad perſonas, & quò ad bona, ſint exempti à poteſtate ſæculari. Affirmant nihilominus nonnulli alij, in dandis contributionibus Eccleſiaſticos à Judice Laico cogi poſſe. Pro quorum ſententiâ *Sanchez* citat *Azevedo, Avendanno, Gulielmum, Mariam, Baldum, Olandum*

Richardum, Quæsad. Avil. & pro eadem *Diana* adducit *Salgado, Lasente. &c.* imò pro hac sententiâ facit expresse *Gloss. causâ 23. q. 5. §. principes sæculi.* ubi inter alios casus, in quibus Princeps sæcularis potest procedere contra Ecclesiasticos, ponit hoc contingere, ubicunque deficit Ecclesiastica potestas. Idem cùm tributum petitur ab Ecclesia pendendum, intelligendo tamen juxta consilium Baldi, ut non contra personas, sed contra bona tunc procedatur. *Glossa* accedit *Sanchez lib. 2. c. 4. dub. 55.* docens, quod ubi esset periculum magnum in morâ, & Judex Ecclesiasticus recusaret, vel plus debito differret, possent authoritate Judicis sæcularis occupari bona Clericorum pro ratâ onerum. Idem tenet *Bellizarius tract. 8. c. 7. sect. 3.* asserens in casu à Sanchez relato posse principem sæcularem facere illud totum, quod recta ratio dictat, hîc & nunc faciendum, non quidem per modum Jurisdictionis, quam aquirit in Personas Ecclesiasticas, sed per modum justæ ac rationabilis defensionis. Hæc enim cùm unicuique viro privato Jure naturæ competat contra injustam aggressionem, non debet Reipublicæ, ac Principi Laico negari.

6. Probatur dein ratione hæc sententia, Primò, qui vult finem, vult omnia media necessaria ad finem, sed Lex ac ratio naturalis dictat in causa publicæ necessitatis æque principaliter tangentis Clericos, seu Ecclesiasticos, ac Laicos, illos debere contribuere, ergo eadem Lex naturalis etiam dictat, si aliter sine damno fieri nequeat, eos à potestate sæculari ad contributionem dandam cogi posse.

7. Probatur secundo. Lex de Immunitate Ecclesiastica ad minus proximè est Juris positivi, Ergo debet cedere Juri naturali defensionis status proprij, maximè cum hæc defensio æque principaliter, imò principaliùs tangat Ecclesiasticos,

nam-

nam prævalentibus hæreticis (quod Deus avertat) ipsi præ cæteris bona sua perderent.

8. Confirmatur ex eo (ut bene notat *Sanch suprà cit.*) quòd Princeps sæcularis jus habeat ad protegendum suum statum, etiam contra Ecclesiasticos, ubi Judex Ecclesiasticus id renuit, & periculum est in morâ.

9. Demum experientia constat, Ecclesiasticos, qui principibus modicum subsidium petentibus restiterunt, postmodum irruentibus hostibus totum perdidisse.

10. Quare sententiæ asserenti in casu proposito Ecclesiasticos ad contributionem pro communi subsidio provinciæ dandam à Principe sæculari cogi posse, coactionem hanc facere renuentibus Episcopis, ad id requisitis, salvo aliorum rectiùs sentientium judicio subscribo. Hucusque consilium.

Antequam consulenti respondeamus, tres quæstiones occasione consilij movendas examinabimus.

QUÆSTIO I.

An præfatus Princeps dicto Consilio stare tutâ conscientiâ potuerit, tametsi alia consulta super eâdem controversiâ, & de Jure SS. Canonum firmiora ad manum habuerit?

SUMMARIUM.

Licet secundum sententiam multorum dimissâ opinione probabiliori tutâ conscientiâ sequi minùs probabilem. n. 1 per cit. à Diana allegato loco.

Ratio prima pro hac opinione. n. 2.

 Ratio

Respon-

1.

QUantum ad primum hocquæsitum attinet, videtur potenter juvare Principem multorum modò sententia, quæ admodum invaluit apud Recentiores, qui docent, quod omissâ probabiliori opinione, tuto in conscientiâ sequi possimus minùs probabilem. per plures citatos. à *Diana. tom. 1. toto tract. 13. de opinione probabili.*

2. Rationem assignant communiter hanc, quòd, si teneremur probabiliorem, & tutiorem eligere sententiam, maximis angeremur stimulis in inquirendâ, & indagandâ opinione probabiliori & tutiori, non est autem verisimile, Deum hominibus onus tam grave imposuisse.

3. Tum quia, qui consilium sequitur hominum prudentum, satis prudenter & rationabiliter agit, qui autem rationabiliter & prudenter agit, non peccat, ergo.

4. Tum

4. Tum quia sequens probabilem, non potest judicari temerarius, aut imprudens, habet enim pro se rationes alicujus momenti, ergo non tenetur sequi probabiliorem.

5. Tum quia, licet opinio tutior, perfectior sit, & securior, nemo tamen tenetur sequi, quod perfectius est, dummodo sequatur perfectum.

6. Tum quia, cùm in rebus agendis omnimoda certitudo haberi non possit, sufficit, ut operemur cum certitudine probabili, atqui opinio etiam minùs probabilis sufficiens est ad bene operandum moraliter, ergo.

Hæc potissimum argumenta sunt, quibus sententia de opinione minùs probabili stabilitur.

7. Respondeo tamen, his non obstantibus cum *Bonac. tract. de LL. disput. 2. q. 4. punct. 9. num. 5. & de missæ sacrif. disp. 4 q. ult. punct. 7. §. 2. Sayro. in Clavi regia. lib. 3. c. 6. Emanuel. Sa. Vasquez, Sanchez, Valentia, Beccano, Reginaldo* & communiter alijs ab eodem *Bonac.* citatis, minùs probabilem omissâ probabiliori & tutiori sequi, saltem tunc, fas non esse, quando imminet aliquod periculum, ad quod evitandum Prudentia, Justitia, vel Charitas dictat, oppositam sententiam probabiliorem eligi debere, maximè si hæc ipsa efficaci ratione, pluribus, & evidentioribus jurium textibus, Concilijs, decisionibus Rotæ, vel SS. congregationis ad ejusmodi dubia resolvenda Romæ institutæ, decretis, aut consuetudine rationabili fulciatur.

9. His igitur concurrentibus, atque hoc casu in præfato consilio discusso. Dicimus: sententiam communem sententiæ nón communi, sed quæ tantum aliquorum sit, & minùs probabilis, semper præferendam. optimo argumento *ex c. placuit. dist. 16.* ducto, ubi ita legitur: Canones, qui dicuntur Apostoorum, præferuntur cæteris consilijs, quoniam, licet à quibu-

dam

dam dicantur Apogryphi, plures tamen. NB. receperunt. & in *c. Canonicus. dist.* 15. deciditur: in illis Scripturis, quæ non ab omnibus recipiuntur, præponendas esse eas, quas plures, gravioresque recipiunt

10. Addo expressum textum *in c. prudentiam. de offic. & pot. judic. deleg* ubi ita loquitur Pontifex: Integrum autem est judicium., quod plurimorum sententijs confirmatur. ad quod. *c. Barbos.* in allegationibus dicit: colligi communiter ex hoc loco: illam opinionem esse veriorem, & in judicando sequendam, quæ à majori parte Doctorum recepta est.

11. Nam ut bene notat *Gloss. ibidem. verbo. plurimorum*, quod à pluribus quæritur sapientibus, faciliùs invenitur. per *text. in c. de quibus. dist.* 20.

12. Et ut dicitur *in L. ultima ad finem. Cod. de fideic. & c. extra conscientiam. dist.* 64. per plures homines perfectissima veritas revelatur.

13. Et bonus textus est *in L. Athletas. ff. de his qui notantur infam.* ubi deciditur: Athletas non notari infamiâ, qui gratis depugnant cum bestijs, sed de Jure haberi pro ijs, qui virtutis gratiâ hoc faciunt, quia, ut textus ibidem loquitur, generaliter ita omnes opinantur. ad quem locum Interpretes communi ore dicunt, & tenent, eam prævalere debere in judicando opinionem, quæ majores & plures authores habet.

14. Ita sentit etiam *Menochius cons.* 33. *num.* 28. *& cons.* 60. *num.* 51. *cons.* 59. *num.* 8. *ubi* assertis verbis pronunciat: Sententiam contra communem in judicando non attendi: Sed quis nescit, in re forum externum concernente stari sententiæ Jurisconsultorum?

Hhh 15. Ac-

15. Accedit non inefficax argumentum, sumptum de Jure SS. Canonum *ex c. Capellanus. de ferijs.* ubi ex duabus opinionibus allatis posteriorem tenendam definit Pontifex ex eo motivo, quia meliori utitur ratione. ergo aliquis niti & uti nequit opinione minus probabili, dimissâ probabiliori. Et si viri sunt contrariæ sententiæ authores, tot producant textus, vel unum saltem evidentem, ex quibus probent, quod fas sit, tenere opinionem minus probabilem, neglectâ probabiliori vel communi. ut adeò eorum rationes fabricatæ contra satis expressos juris textus, & definitionem, nihil, saltem in præsenti facti specie, attendi debeant, cum non, quod privati Doctores aliquando frivolè ratiocinando concludunt, necessariò tenendum sit, sed quod authoritate publicâ per leges & SS. Canones definitum est.

15. Et confirmari potest hæc nostra sententia ex eo, quod, cum communis sententia maximâ ex parte conflетur & oriatur ab ijs, qui in praxi versantur, certè nemo non videt, eum, qui dimissâ communi sententia, sequitur unius vel paucorum opinionem minùs probabilem, se manifestò exponere periculo (suppositis terminis habilibus) alterum offendendi injuriâ, vel si Judex est, injustitiam committendi. Debet enim Judex secundum veritatem, quantum potest fieri, judicare: quomodo auten secundum veritatem judicare dicendus est, qui sciens, & volens amplectitur id, quod falsitati est conformius, scilicet minus probabilem sequendo? per *L. rem novam. Cod. de judicijs.* communem autem sententiam haberi pro veritate, suprà vidimus.

16. Accedit, quod qui scit ex duabus opinionibus unam esse minus probabilem, alterã verò communẽ, & multò probabiliorẽ, habet judicium practicũ, quod tutius sit, & securius, secundum illam judicare, ergo aliter judicans secundum minus

nus probabilem vel unius tantùm ſententiam, agit contra conſcientiam, & ædificat, ut loquitur Pontifex; ad gehennam.

17. Deinde nunquid Judex debet ſecundum merita cauſæ judicare? ut notum eſt ex utroque Jure, ergo non poteſt dimiſsâ communi & probabiliori ſententiâ, judicando minùs probabilem ſequi, meliori enim Jure cauſa illius fundatur, qui pro ſe habet opinionem communiter receptam, quam quæ ab uno, vel paucis defenditur. ſicut non poteſt rem controverſam adjudicare illi, qui ſuam eſſe probat ſolùm per unum vel duos teſtes, contra alterum, qui rem eſſe ſuam per duodecim ejusdem qualitatis teſtes probavit, qui enim probabilius (quando evidens veritas haberi non poteſt) ſecundum Jura rem ſuam eſſe defendit, potiori Jure victoriam mereri videtur (nam talis veriùs defendit, & probat Jus ſuum evidentiùs) ſed qui teſtimonio communi Doctorum rem ſibi deberi defendit, probabiliùs & veriùs defendit. ergo victoriam mereri præ illo quoque debere videbitur, qui tantùm unius, vel paucorum teſtimonio rem ſibi deberi probavit.

18. Et ſanè cùm Judex reſpectum perſonarum habere in judicando non poſſit. per *regulam duodecimam. in* 6. videtur planè ex mente authorum contrariæ ſententiæ contra Jura ſequi, reſpectum illum prohibitum non eſſe. Si enim una; etſi minus probabilis opinio ſit pro amico judicis, communis verò contra amicum, poterit ex ſententiâ adverſariorum Judex (eſt enim ſecundum illos tunc tutus in conſcientia) ſtare minus probabili, & ſecundum illam pro amico judicare. ſed quis non videt hoc authoritati S. Scripturæ & SS. Canonum repugnare?

19. Imò ſi tutâ conſcientiâ, dimiſsâ communi, & probabiliori Judex poteſt ſecundum minùs probabilem judicare, videtur ſequi, quod & pecuniâ ad hoc oblatâ à litigantibus

induci Judex possit, & sic jam mercari sententias, ex opinione adversariorum illicitum non erit. cùm enim ex mente adversariorum possit vel hanc, vel illam amplecti opinionem Judex, cur pars litigans non possit pecuniâ oblatâ, vel muneribus, favorabilem sibi reddere Judicem? sed quam hoc absurdum sit, judicent, qui saniora sapiunt.

20. Addo luculentum ex materiâ Canonici Fori exemplũ, ex quo appareat, quæ absurda, & inconvenientiæ ex hac opinione nascantur. Est sententia minùs probabilis, Abbatem solum irrequisito Conventu posse Novitium ad professionem admittere & incorporare monasterio, communis & probabilior id negat fieri posse. Abbas ergo secutus minus probabilem solus Novitiũ admittit ad professionem, reclamante Conventu. Medio jam anno post admissionem professionis incipit scrupulis agi Abbas, & ut contradictioni Conventus satisfaciat, apprehendit modò sententiam probabiliorem (sicut ex postfacto taliter & posse, concedit *Caramuel loc. inferius cit.*) & ejicit Novitium noviter professum tanquam illegitimè Monasterio incorporatum, ejectus appellat ad Episcopum, qui primam secutus sententiam restituit monasterio Novitium, tanquam validè professum, Abbas non obedit dicens: se non teneri in hoc obedire, cum habeat pro se opinionem probabilem, quam tuta conscientia sequi potest, appellatque ad Metropolitanum, qui judicat secundum probabiliorem, declaratque professionem fuisse nullam. Ejicitur ergo denuo Novitius professus, & facit sponsalia. eligitur interim novus Abbas, qui pro revocando Novitio ad Monasterium suâ opinione inique ejecto appellat Romam, dato jam quòd Romæ sequatur Congregatio super causis regulariũ minus probabilem, tenebitur regredi jam inchoato matrimonio. Et quid si noviter profes-

sus

ſus ſecundum opinionem minus probabilem, poſt tres vel quatuor annos ipſe apprehendat ſententiam probabiliorem, & invito etiam Abbate ac Conventu redire ad ſæculum velit? poteſt enim quis ex mente adverſariorum, ut videre eſt dicto loco *apud Caramuel. in comment. in regul. S. Benedicti diſp. 6. art. 1.* & *Dianam*, jam hanc, jam illam amplecti opinionem, quæ, niſi fallor, admodum abſurda ſunt, & confuſione pleniſſima.

21. Cæterum ſententiam noſtram aliquot congruentijs non inutiliter firmari poſſe videtur. Et primò quidem ſicut regulariter Judex unius teſtimonium vel duorum etiam tantùm in judicando ſequi non poteſt, neglectis 5. vel 6. virorum omni exceptione majorum teſtimonijs vel atteſtationibus, ita non videtur æquum, ut ſi unius tantùm vel ſaltem paucorum opinio in contrarium ſit, communis autem pro me, quomodo Judex ſine periculo injuſtitiæ committendæ judicet contra me, ſecutus unius opinionem, neglectâ communi DD. ſententia.

22. Secundò, ſicut temerè judicarem aliquem, furem eſſe, eò quòd duo aliàs honeſti viri id de eo depoſuerint, cùm ſciam totam interim viciniam teſtari in contrarium, ita videtur à ſimili temerè judicaturus Prætor, ſi neglectâ communi ſentientium opinione, unius vel paucorum in judicando ſequatur.

23. Tertiò, caſu quo aliquis probat ſibi competere ſervitutem in fundo Titij per duos teſtes, Titio libertatem ſui prædij per 20. teſtes probante, nunquid iniquè Judex faceret ſequendo teſtimonium. 2. cæteris paribus, contra depoſitionem 20? ergo à ſimili non videtur poſſe in judicando amplecti opinionem 2. neglecta communi opinione 20. vel plurium.

24. Quartò, ponamus unam unius vel paucorum eſſe opinionem: hoc caſu depoſitarium commiſiſſe dolum, alte-

ram & communem ſententiam id negare, poterítne Judex primam unius vel paucorum ſequi, dimiſsâ communi, absque periculo inferendi injuriam parti?

25. Quintò, una paucorum ſententia dicit: proximum pubertati, id eſt, ante completum in maſculo 14. annum poſſe capitali ſupplicio affici, communis ſententia DD. contrarium ſtatuit, poterítne Judex ſequi minùs communem, & probabilem, dimiſsâ probabiliori?

26. Sextò, aliquis ſuperior Judex delegat cauſam ad ſe deductam (reſervatâ tamen ſibi ſententiâ) quinque viris tanquam ſubdelegatis in hac lite Judicibus futuris diſcutiendam unius, vel alterius votum eſt pro negativâ, reliquorum omnia pro affirmativâ, prudentérne aget Judex ſuperior, cæteris paribus, ſequendo unius vel alterius votum, & rejiciendo communiter votantium calculos? Et certè hoc ipſe uſus conſiliorum, ac capitulorum, & ratio naturalis obtinuit, ut cæteris paribus, ſemper ſequamur commune votum.

27. Denique allego communem ſententiam, etiam Theologorum, quæ dicit: quod Medicus curaturus infirmum, teneatur magis probabilem ſequi in curando Medicorum opinionem, cùm enim ob curationem accipiat ſalarium, tum ex juſtitiâ, tum charitate proximi tenetur cavere, ne damnum ægro ex ſua curatione ſequatur. Hinc bene negant communiter Theologi, quòd, in caſu, quo unus vel duo dicerent, venæ ſectionem adhibendam, reliqui verò authores communiter tenerent, ex eo, ſi adhiberetur, infirmum moriturum, poſſit communem ſententiam in tanto periculo vitæ ægroti dimittere, & amplecti illam unius minùs probabilem. ergo cum à pari inferri poſſe videatur, argumentando in idem, ad judicem (nam fama & vita pari paſſu in jure ambulant) non video, quomodo poſſit dimiſsâ communi, & probabiliori ſententiâ,

unius,

unius, vel paucorum in judicando cum evidenti periculo committendæ injustitiæ opinionem minùs probabilem ſequi. tenetur enim ritè, rectè, & justè fungi ſuo officio, quod tunc demum fit, quando cum minimo, quantum fieri poteſt, damno, vel damni periculo ſententiam pronunciat, ſicut Medicus, qui curat.

28. Et tametſi hæc directè procedant in caſu, quo Judex dimiſsâ probabiliori vellet in judicando minus probabilem ſequi, rationes tamen, congruentiæ, & allegata videntur etiam toties ſtringere, quoties controvertitur periculum læſionis proximi, vel injuſtitiæ committendæ, utut extra judicium in alijs caſibus verſemur. Quis autem neſcit in præſenti caſu à conſulentibus propoſito, juſtitiam periclitari? dum ad unius, vel paucorum in favorem Principis conſulentium, & circumſtantijs non admodum exactè conſideratis, vel verificatis, Clerici ſubjiciuntur contributionibus cum tanto diſpendio facultatum ſuarum ad congruam vitæ ſuſtentationem neceſſariariarum? præſertim, cum in exemptionis ad ejusmodi collectis poſſeſſione, vel quaſi, de *Iure SS. Canonum* ſint, & præſumptio Juris ſit contra Principem & conſulentes? ut adeò nullus videam, quomodo ex hac ſententiâ ſic illimitate intellectâ, opinionem unius etiam Doctoris, contra communiſſimam aliorũ ſequi quis tutâ conſcientiâ poſſit, tametſi juſtitia vel pietas interim periclitetur. ſicut in ejuſmodi caſibus ſequi poſſe audacter concedit *Diana. ubi ſuprà*, & noviſſimè *Caramuel in dict. comment. ſuper regul. S. Benedicti. diſp. 6. art.* 1. eſt enim hæc unius Doctoris opinio ex mente illorũ probabilis, ergo ſequi poſſumus.

29. Sed quis neſcit, nullam eſſe tam abſurdam ſententiam, quæ non habeat patronum? teſte *Suarez. de cenſur. tom. 5. diſp. 40. ſect. 6. num. 5.* præſertim, ſi ſectando unius Doctoris opinionem ſola probabilitate extrinſecâ, quæ ab authoritate DD.

deſu-

desumitur, niti velimus. Et inauditum mihi sit, unius testis omni etiam exceptione majoris, & juratò deponentis de eo quod sensu corporeo percepit, dictis in judicio non credi, nec fidem mereri, etiam ubi aliquando de solo. v. g. debito non magnæ summæ controvertitur, & unius Doctoris sententiam tantummodò opinantis de eo, quod sæpe falsum est, vel esse potest, & cum formidine oppositi mentem suam aperientis, atque de quo neque jurare quidem potest, verum esse, quod opinatur, valere, & sequi tutum esse in ijs, quæ animæ salutē æternam concernunt, ita, ut dimittere salvâ conscientiá possimus, quæ probabiliora & certiora sunt, & amplecti minùs certa & probabilia.

30. Et propterea meâ opinione ante biennium ab Illustrissimo & Reverendissimo Archiepiscopo Senonensi, Domino Domino *Ludovico Henrico de Gondrin.* Galliarum, & Germaniæ Primate, non malè damnata esse videtur hæc sententia, sic generaliter sumpta & intellecta, in synodo suâ Provinciali. 3. *Septemb.* ubi hac censurâ perstringitur.

31. Hæc doctrina, quatenus omnes opiniones probabiles, quæ falsæ utique esse possunt, & sæpè sunt, in conscientia tamen tutas esse, asserit, ac proinde cæcis, id est falsam & æternæ Legi contrariam regulam sequentibus immunitatem à peccato, & securitatem spondet, falsa & erronea est, Scripturæ contraria, summam actionum humanarum regulam, Legem scilicet æternam destruit, divinæ Legis, & Evangelicæ veritatis amorem & studium extinguit, utriusque

necess-

necessitatem evacuat, & perniciosam in hominum mentibus securitatem ingenerat. Et statim sequenti censura.

32. Hæc doctrina, quâ author fas esse censet, neglectâ probabiliore, & tutiore, sequi opinionem minùs probabilem, & minus tutam (id est id amplecti, & exequi id, quod illicitum esse, quàm licitum probabiliùs putes) atque ad probabilitatem opinionis, unius scriptoris authoritatem sufficere affirmat, falsa & periculosa est; innumeris corruptelis viam aperit, bonam conscientiam, quæ secunda est humanarum actionum regula, prorsus extinguit, ac proinde erronea est, & B. Paulo contraria, & Christianos ad certam salutis perniciem inducit.

Et dum apologiæ author, quam Archiepiscopus dictâ synodo damnandam sibi proposuerat pag. 40. hanc suam sententiam confirmatvrus hæc subnectit: transeamus ad reges. quæro, utrum in politicis habeant rationes evidentes suarum prætensionum, & Jurium, dum bella movent, & novis exactionibus subditos gravant? & pagina 41. Quibusnam fundamentis nituntur Curiæ, & Parlamenta Principum, nisi probabilibus? Hanc tertiam censuram synodus subjecit.

33. Hæc doctrina Regibus, & Judicibus injuriosa est, pacis ac tranquillitatis publicæ perturbativa atque ad injustitias & seditiones viam aperiens. Hucusque synodus, Et vidi ejusmodi plures propo-

sitiones typo vulgatas, ac ab Archiepiscopo Mechliniensi paucis ab hinc annis damnatas in suâ Archidiæcesi, adeò, ut nullum ad curam animarum admitteret, nisi spospondisset, se ijs abstenturum.

Confirmatur hæc nostra sententia: quatenus dimissâ probabiliori, & in conscientiâ tutiori opinione, non liceat sequi minùs probabilem. Censurâ & condemnatione 26. Conclusionum ab Recentioribus probabilitatum conflatoribus productarum, quas modernus Pontifex *Alexander VII.* primùm elapso ab hinc *anno* 166.. *die* 2. *mensis Octob.* fecit, ac promulgatas etiam in alijs Provincijs publicari jussit. Quarum tamen sententiarum pleræque, non unius tantùm Doctoris calculo comprobatæ, & typis vulgatæ sunt, sed plurium etiam consensu firmatæ. Rejicitque Summus Pontifex, ac easdem opiniones damnat ad minimum ut scandalosas. Ubi statim ab initio sui Brevis ita loquitur inter alia: *Non sine magno animi mœrore se audivisse, complures opiniones* Christianæ disciplinæ relaxativas & NB. animarum perniciem inferentes, *partim antiquitus iterum suscitari, partim noviter prodire, & summam illam luxuriantium ingeniorum licentiam indies magis crescere, per quam in rebus ad conscientiam pertinentibus modus opinandi irrepsit.* NB. alienus omninò ab Evangelicâ simplicitate, & SS. Patrum doctrinâ. *quam si pro rectâ regulâ fideles sequerentur*, (& hoc licitum esse, & tutâ conscientiâ fieri posse contendunt Probabilistæ) *ingens* eruptura esset Christianæ vitæ corruptela. *Quare* (pergit Summus Pontifex) *ne ullo unquam tempore viam salutis, quam suprema Veritas Deus, cujus verba in æternum permanent,*

permanent, arctā esse definivit, in animarum perniciem dilatari, seu veriùs perverti contingeret, Idem sanctissimus Dominus noster, ut oves sibi creditas ab ejusmodi NB. spaciosâ latâque, per quam itur ad perditionem, viâ, *pro Pastorali sollicitudine in rectam semitam* (id est, à minus probabilibus, & laxis opinionibus ad evidentes probabiliores, & tutiores sententias) *revocaret*, earundem opinionum examen pluribus &c. commisit & quæ in Brevi Apostolico sequuntur.

Quæro ergo ex his minoris probabilitatis opinionum tutâ conscientiâ sequendarum novis architectis, si tutâ conscientiâ sequi possum minus probabilem, etiam unius Doctoris sententiam, dimissâ evidenter probabiliori, & quæ à pluribus ut tutior tenetur, quâ ratione Pontifex potuit damnare id, quod me facit in conscientia tutum? id, secundum quod ex illorum sensu ego prudenter, & sine læsione conscientiæ operor? id, quod fidelibus Christianis, etsi ego aliter sentiam, suadere ut tutum in conscientiâ possum?

Secundò, si, ut docent hi minoris probabilitatis opinionum tuto sequi possibilium artifices, secundum rectam rationem operor, secutus etiam minùs probabilem, dimissâ probabiliori, quomodo Papa potuit damnare id, quod quis secundum rectam rationem operatur? cùm lumen rectæ rationis damnari vel improbari à nulla potestate positivâ & humanâ possit, eò quod sit altioris ordinis, & divini vel naturalis Juris; *descendens à patre luminum, apud quem non est mutatio, nec vicissitudinis obumbratio*? ergo vel male damnavit Pontifex ejusmodi sententias minus probabiles, ut scandalosas, & laxativas disciplinæ Christianæ, quod blasphemum est dicere, vel falsum est, quòd sequens minùs probabilem, dimissâ evi-

denter probabiliori & tutiori, sit tutus in conscientiâ, & operetur secundum rectam rationem.

Consequenter etiam colliges: ex hoc Brevi Apostolico, sententias laxiores, quales magnam partem sunt istæ noviter inductæ minùs probabiles, eô ipsô à Pontifice in genere damnatas esse, quod Christianam disciplinam corrumpant, arctam ad Cælum viam, contra Christi æternæ veritatis sententiam, amplient, dilatentque, & pugnent, suis putatitiis, scrabrisque ac perniciosis subtilitatibus, abstractionibusque Metaphisicis directè contra Evangelicam simplicitatem & SS. Patrum doctrinam.

Ex his hucusque ex Brevi Apostolico deductis, & animadversis, hunc facio Syllogismum: Ille, qui sequitur opinionem, quæ est aliena à simplicitate Evangelicâ, à SS. Patrum doctrinâ, & quæ est laxativa disciplinæ Christianæ, nec non quæ pugnat æternæ veritati dicenti: arctam esse viam, quæ ducit ad Cælum, non est tutus in conscientia. Major est Pontificis, ita inpræsentiarum circa opiniones minùs probabiles definientis.

Sed hoc faciunt Probabilistæ docentes: tutâ aliquem conscientia posse sequi minùs probabilem, etiam unius Doctoris sententiam, dimissâ probabiliori & magis tutâ. Minor est ejusdem Pontificis. (propterea enim ejusmodi opiniones in eodem Brevi Apostolico damnantur, tanquam pandentes spaciosam, latamque viam, per quam itur ad damnationem, teste eodem Pontifice.) Ergo non est tutus in conscientia, qui sequitur opinionem minùs probabilem dimissâ probabiliori, & magis tutâ in conscientia.

Consequenter ex dictis colliges manifestam contradictionem harum propositionum:

Prima

Prima est: Qui sequitur opinionem minùs probabilem dimissâ evidenter probabiliori & veriori, est tutus in conscientiâ, quod docent Probabilistæ.

Secunda est: Qui sequitur opinionem minùs probabilem, dimissâ evidenter probabiliori, & veriori, non est tutus in conscientiâ, quod definit & docet Summus Pontifex in hoc suo Brevi Apostolico.

Tuum jam modò erit Amice Lector judicare, quæ sententia præferenda sit, num Pontificis apertè definientis, vel Probabilistæ falso opinantis.

34. Quantum verò ad præsentem casum attinet, sicut ex responsione ad argumenta consulentis manifestum evadet, tantum abest, ut sequi Princeps opinionem minus probabilem consulentis possit, ut sentiamus, consilium illud contra luculentos SS. Canonũ textus esse, circumstantias, quæ inconsideratè supponuntur, non subesse, & Doctores in contrarium allegatos, stante earundem circumstantiarum veritate, id ne somniare quidem, adeoque omni probabilitate etiam extrinsecâ destitui.

35. Cæterum quantum ad authoritatem DD. pro sententia minus probabili tutâ conscientiâ amplectendâ, in contrarium allegatam attinet, Respondeo cum *Azorio tom. 1. lib. 2. de conscient. probab.* etsi plures sint, maxime neoterici, qui hoc dicant, eo tamen ipso parum movere debere, quod notum sit, sæpe unius etiam non optimè fundatam opinionem, maximè si favorabilis sit, alios indifferenter sectari, ut avis avem, ovis ovem sequitur.

36. Respondeo secundò, hoc ex allegatis DD. nimis indistinctè & sine discrimine casuum particularium, aliud sæpè dictante justitiâ & ratione naturali exigentium, pro confirmandâ hac sententiâ assumi. Respondeo tertiò, cum manifestam

injustitiam in non raris casibus (ut suprà vidimus) hæc sententia inferat, & quidem contra expressos tam Juris, quam *SS. Canonum* textus, ut aliquos adduximus, explodenda videtur.

37. Quantum ad rationes in contrarium allegatas attinet, Respondeo quo ad primam rationem, eam tam efficacem non esse, ut stringere videatur. quasi verò Viri docti, qui in dubijs ab Imperatoribus consulendi sunt, nesciant, probabiliter hanc, vel illam sententiam esse communem, istam vel alteram non esse communem, vel minus probabilem, cum de sententijs communibus passim integri existant Codices, & nihil usitatius in authoribus, etiam impressis, legere est, quam hæc verba: ista sententia est communiter recepta. Hanc sententiam communiter tenent. Quomodo ergo maximis angi stimulis in inquirenda sententia probabiliori (quæ secundum præsumptionem communis est) quis poterit, cui plerumque probabiliores tam obviæ sunt sententiæ? hoc non inficior, si quando ad eas redigamur angustias, præsertim in casibus raro emergentibus, ut constare non possit de sententia magis probabili, posse tunc nos absolutè probabilem amplecti, nullo autem modo minus probabilem dimissa evidenter probabiliori & tutiori, quod tamen raro evenire credimus.

38. Quo ad alteram Dianæ rationem Dico: omninò verum esse, rationabiliter eum, & prudenter agere, qui sequitur consilium hominum prudentum, si illud consilium sit secundum Jura, & communiter ita sentientium opinionem. ut autem dicatur prudenter agere, qui unius capitis sensum contra plurimorum receptam, & magis in Jure & ratione fundatam sententiam sectatur, ego non video, præsertim cum secundum Jura quoque communis opinio tam favorabilis sit, ut errorem etiam communem Jus facere statuatur, nunquam alicujus hominis privati. *per textum in L. Barbarius. ff. de offic. Prætoris.*

teriæ. non eſt ergo ratio, cur relictâ communi & probabiliori ſententiâ, alicujus privati Doctoris opinionem minus probabilem nos tuta conſcientiâ indifferenter, ut volunt adverſarij, amplecti poſſe credamus.

39. Quod autem ſequens opinionem unius, quod pro tertiâ ratione in contrarium allegatur, non poſſit dici temerarius, negamus, ſi notoriè communem & probabiliorem de ea re ſententiam aliorum negligat, uni privatim adhærendo, præſertim, ſi ratione evidenter meliori & efficaciori, quam quâ communis opinio nititur, non fundetur.

40. Quod quartò pro ratione indiſtinctè affertur, neminem teneri ſequi, quod eſt tutius & perfectius, abſolute verum non eſt, cùm ex communi & receptâ DD. ſententia certum ſit, quoties de valore Sacramentorum agitur, opinionem magis tutam ſequi neceſſe eſſe. Hinc tametſi ab aliquibus teneatur, aquam ex roſis diſtillatam æque naturalem, ac eam, quæ habetur ex glacie calore ſoluta, eſſe, quoties tamen aqua indubitanter naturalis. v. g. ex fonte vel flumine haberi poteſt, nunquam licitum foret, aquâ ex Roſis diſtillatâ uti. Hinc etiam in præſenti caſu noſtro negamus, tutum vel perfectum eſſe, dimiſsâ probabiliori, & magis in Jure fundatâ opinione, unius, vel paucorum ſententiam amplecti, aliud hîc & nunc exigente juſtitiâ, ne ſcilicet indebitè gravati collectis Clerici bonorum ſuorum jacturam patiantur. ut taceam: falſum eſſe, illum ſequi, quod perfectum eſt, qui ſequitur id, quod probabilius falſum eſt, quam verum.

41. Ad id, quod quinto pro ratione allegatur: minus probabilem ſententiam dimiſsâ evidenter probabiliori ſufficientē eſſe ad bene operandum moraliter, negamus (maximè indifferenter, & in omni caſu paticulari,) verum eſſe; & abſurdum videtur afferre pro ratione id, quod eſt in quæſtione. Quærebatur

batur enim, an minus probabilis sufficiat ad bene operandum moraliter, sive quod idem est, an tuta conscientiâ illam sequi possimus: & respondent: rationem esse, quod possimus, quia sufficit ad benè operandum moraliter, quod est in quæstione.

42. Ad ultimam rationem dico; etsi inficiari non possimus, in rebus agendis omnimodam certitudinem haberi non posse, negamus tamen consequentiam, ergo minus probabilis opinio ad benè operandum sufficit, dimissâ communi & probabiliori. Imò videtur ex facto hoc ab adversarijs antecedente: omnimoda certitudo in rebus agendis haberi non potest, hoc inferendum: ergo conari debemus, quantum fieri potest, ut certiora teneamus, & dimittamus incertiora, ut loquitur S. Augustinus. Sed quis ita cæcus est, ut non videat, certius & tutius longè esse illud, quod plures viri docti & pij communiter & probabilius testantur, quam quod unus vel pauci? & si plures halucinari & errare possunt etiam post diligenter inquisitam veritatem, quomodò unus contra plurimorum opinionem audebit sibi arrogare, se minus errasse?

43. Si dicis: unus potest habere meliorem, & efficaciorem rationem suæ opinionis pro se, quam alij plures. Respondeo: si verum est, tunc non tam creditur, quia unus dixit, quam quia ratio vincit, quamvis, ut non dissimulem, sæpè videatur esse ratio, cum sit mera imaginatio, & sæpè videatur uni illa sua ratio inexpugnabilis, quæ ab alijs nullo negotio refellitur. quoties ergo evidenter ratio unius melior non est, quæso quare potiori jure non accedamus illi, quod plures senserunt bonis & efficacibus rationibus ad id sentiendum inducti?

44. Deinde si in rebus etiam profanis, & politicis ita natura comparati sumus, ut certiora semper quæramus potius, quàm, quæ incerta sunt. v. g. prudens mercator certum lucrum

crum pro incerto, viator certiorem viam pro dubiâ, Princeps certiora & saniora consilia pro incertioribus & dubijs magis. cur nos, dum agitur de salute animæ, non certiora eligamus, cùm sine dubio opinio minus probabilis proximior sit falsitati; quàm quæ communiter tenetur. Et plus videntur videre, & accuratius penetrare plures, quam unus vel pauci: ut taceam, intellectum opinioni uç minùs probabili vix assentiri posse. si enim assentiretur quatenus formaliter minus probabili, assentiri deberet, quatenus formaliter minus veræ, & sic sub-& cum defectu veritatis, cum tamen bonum intellectûs nonnisi verum absolutè propositum esse videatur; præsertim si interim videat pro communi sententia rationes magis præponderantes.

45. Et numquid sectari sententiam minus probabilem, est laxiora quærere? cum tamen Paulus moneat, ut sectemur charismata meliora. Et Christus in Evangelio adhortetur: ut per angustam portam contendamus introire. Et quia, ut dicitur in devoto libello, *de imitatione Christi lib. 1. c. 25.* qui laxiora quærit, semper in angustijs est, an non majoribus ergo angetur stimulis, qui opiniones ejusmodi laxas, à paucioribus plerumque traditas consectatur, quàm, qui quantum potuit, communiores, & ita plerumque tutiores sententias sedulo inquirit, & pro bono salutis animæ suæ sequitur?

46. Scio quidem casus esse, in quibus tutior opinio non semper communior, sicut per *Azorium* videre est, ubi exemplis id luculentum facit, adeòque non necessariò etiam amplectenda. Sed hæc sunt de non ita frequenter contingentibus. Hoc interim etiam non nescio, quod communiorem & evidenter probabiliorem sectando opinionem minori periculo conscientiæ & deceptionis exponamur. Nam quod multis

prudentia, pietate, & judicio viris excellentibus placuit, quis non videt paucorum non accuratissimo semper Judicio prææditorum prævalere debere, atque hoc naturali ratione æquissimum esse?

47. Neque etiam distinguimus, ut aliqui volunt, veluti videre est apud *Sayrum. cit. loc. & Suarez in 1. secunda. disp. 12. sect. 6. n.* 8. ac alios, attendendo, num ejusmodi opiniones versentur circa Jus ipsum. An v. g. hoc sit prohibitum, præceptum, necnè, vel circa facta, extra, & intra Judiciū, vocanturque tunc, post controversiam apud Judicem, merita causæ. v. g. an hoc legitimè factum sit, an v. g. aliquis emerit, vendiderit, occiderit, &c. voluntque dicti authores primò casu sententiam etiam minus probabilem teneri posse, secus in secundo, ubi dubium facti, vel causæ meritorum in Judicio controvertitur. Non inquam distinguimus, sed utrinque magis probabilem sententiam sequendam esse dicimus, cum non minus in uno, quàm altero casu, sive dubium Juris, sive facti sit, præjudicium tertij, læsio, & periculum injustitiæ controvertatur. & consequenter prudentia, pietas, & justitia dictet, probabiliorem nos sequi oportere. Et ratio esse potest, quod distinctio hæc à præfatis Doctoribus adinventa nullo textu Juris vel sufficienti ratione adjuvetur, cum eædem rationes militent in utroque, quas suprà de apprehendendâ magis probabili opinione indistinctim assignavimus, cum in utroque hoc dubio, sive facti, sive Juris sit, prudentia, charitas vel justitia videantur dictare, magis probabilem sententiam eligi oportere.

48. Et quis ignorat, nostro hoc sæculo eam ingeniorum pruriginem passim incubuisse, ut novis opinionibus in scholis contra receptissimas S. Thomæ Aquinatis, & antiquorum etiam sanctitate celeberrimorum Patrum, & Ecclesiæ Docto-

rum

rum ſententias ſtudeatur? utinam non ſæpe fucatis rationibus, & quæ ætatem non ferant. Exempla allegare, haud opus eſt, nam paſſim ſe recentium opinionum prioribus ſæculis inauditarum denſa ſeges ingerit. ô ſi ſemper ad majorem Dei gloriam, & citra periculum ſalutis animarum!

49. Quibus illud cum *Gloſſa in c. finali de conſuetudine.* & c. quis neſciat. *diſtinct. 11.* ſuggerendum arbitror: Reprehendendos eſſe qui novitates inducunt.

50. Cenſeo igituur, ex hucusque ſatis fusè allegatis, & probatis, dictum Principem neglecta probabiliori, & luculenter in Jure fundata opinione minus probabilem conſulentis ſententiam ſequi tutâ conſcientia hoc caſu non potuiſſe. Verſamur enim in ea facti ſpecie, in quâ prudentia, charitas proximi, & juſtitia dictat magis probabilem, & communem opinionem, neglecta minus probabili, amplectendam eſſe.

APPENDIX AD QUÆSTIONEM. I.

DE SENTENTIA MINUS PROBABILI

Undecim Regulæ, quæ attendi debent, ad hoc; ut opinio magis probabilis à minus probabili diſcernatur.

SUMMARIUM.

Primò, inter 2. opiniones illa magis probabilis eſt, quæ concordat cum S. Scripturâ, traditionibus Eccleſiæ, & Concilijs Æcumenicis. ſive id directo ex textu eruatur, ſive per deductionem, & Syllogiſmum Theologicum n. 1.

Damnata eſt Sententia, quæ docet, licere privatâ authoritate occidere falſum accuſatorem, teſtes, vel Iudicem à quo certè imminet iniqua ſententia, ſi quis aliâ viâ non poſſit damnum ſuperventuram evitare. 2.

Sicut non minùs damnata est opinio, quæ docet idem licere, quo ad calumniatorem, si Religioni, vel privato etiam Religioso gravia crimina, coram viris gravissimis paratus sit impingere, nisi occidatur. 3.

Secundo illa opinio habenda est pro magis probabili in concursu duarum, quæ SS. Patrum doctrina conformior est, & vel maximè ijs, quæ à S. Thoma scriptis tradita sunt, in quantum habet ejus doctrina approbationem ab Ecclesia. 4.

Tertio, illa opinio in concursu opinionum est magis probabilis, quæ cum SS. Canonibus & decisionibus Sedis Apostolicæ, ac ejus ad ejusmodi dubia delegatorum Iudicium concordat. 5.

Damnata est opinio, quæ docet: licitum esse Sacerdoti duplicatum stipendium pro unâ & eadem missâ uni tantùm applicanda accipere, tametsi juraverit danti stipendiū, quod pro nullo alio missæ sacrificium sit oblaturus. 6.

Quartò, illa non minùs, in concursu opinionum, sententia pro probabiliori habenda est, quæ Iuri civili, quatenus illud contra SS. Canones non militat, neq; in sola præsumptione fundatur, &c. sed ut etiam in conscientiâ obligationem parit, innititur. per ea, quæ tradunt communiter Theologi in materia de Legibus in conscientia obligantibus. 7.

Clancularia compensationes, secundum aliquos in foro conscientiæ licitæ, sunt contra Ius civile. 8.

Sicut etiam, si quis rem suam propriâ authoritate alteri invito, apud quem est, violenter auferat. eod. num. 8.

Quintò, opinio quæ opponitur laxis aliorum Recentiorum sententijs, probabilior est 9. *non pauca ejusmodi laxarum opinionum damnata sunt nuper ab Alexandro VII. n.* 10.

Sextò, illa opinio, in conflictu opinionum, est probabilior, quæ Sanctorum vita & moribus conformior est. 11.

Septimò, illa opinio videtur probabilior inter alias, quæ non nititur meris abstractionibus Metaphisicis, & subtilitate quæsitâ, sed simpliciter docet: quid secundum sinceritatem Evangelicam faciendum vel omittendum sit. 12.

Abstractiones, & variæ considerabilitates, quantum ad usuras, mutuum, & similia, videntur in conscientia satis periculosæ. 13.

Post lapsum Adami multùm in naturâ humanâ invaluit ignorantia mentis, malitia cordis, & facillimum est nos decipi in faciendorum deliberatione. 14.

Octavò

Octavò, illa inter alias opiniones, etiam anteferenda, ut probabilior, videtur, quam communiter boni Christiani ex lumine fidei, & naturæ alijs præferunt, ut plerumq; à quibus abhorrent, primo velut aspectu, etsi subtilitate nitantur, ut minus probabiles habenda sint, vel omnino rejicienda. 15.

Nonò, quæ antiquorum. DD. sententijs accedit, cæteris paribus pro magis probabili habenda. ratio ibidem. 16.

Decimò, inter probabiliores illa computabitur, quæ tutior in conscientia est. vide rationẽ eod. n. 17.

Allegantur aliquot exempla novarum opinionum, quæ vehementer absurdæ videntur, cum directè pugnent contra regulas huc usq; à nobis traditas. 18.

Vndecimò, illa opinio videtur etiam merito tanquam probabilior amplectenda, quæ conformis consilijs Evangelicis est, & quo maximè casu sit, traditur. n. 19.

Affertur exemplum, ex quo videtur luculentum, quomodo aliquando probabilius, & tutissimum in conscientiâ sit, sequi consilia Evangelica, quam Ius strictum. 20.

CUm igitur sententiam magis probabilem anteferendam minus probabili esse, pluribus argumentis, textibus Juris tam Canon. quàm civilis, atque congruentijs practicis demonstrare laboraverimus, eo potissimum fundamento nixi, quod opinio minus probabilis, hoc ipso, quod minus probabilis sit, fasitati proximior existat quam veritati, consequenter probabilius falsa quam vera sit:

Quæri hoc loco potest, unde & ex quibus principijs magis probabilis à minus probabili internoscenda veniat, ut pluribus conscientiæ scrupulis consulatur? Respondeo: instar Cynosuræ in hoc mari opinionum velificantibus, esse potest, ac velut amussis ædificantium ad conscientiam, certas ponere Regulas, ad quas inconnixè respiciant, & quasi ad lapidem Lydium sua examinent, opinionum Magistri, & DD. eorumque sequaces.

1. Prima igitur regula esse potest: ut illa opinio probabilior habeatur, quæ cum textibus SS. Scripturæ, tam veteris quam novi testamenti, concordat, etiamsi id fiat solummodò per deductionem, & Syllogismum Theologicum, vel probabilem ratiocinationem ex principijs utriusque Testamenti concinnatam; quò etiam revocamus, quæ per Æcumenica Concilia decisa sunt, & tradita à Christo per Apostolos, Ecclesia recepit. Cum enim illa à Spiritu S. velut ex fonte æternæ Veritatis hausta nobis communicata sint, sanè quam longissimè aberit ab errore, falsitateque is, qui ejusmodi principijs innixus opiniones suas accurabit. Verba enim, quæ ego loquor, ait æterna veritas, Spiritus & vita sunt.

2. Hinc intelligis, quàm meritò damnata sit ab *Alexandro VII.* illa opinio aliquot Recentium, qui docere ausi sunt, quod liceat interficere falsum accusatorem, falsos testes, ac etiam Judicem, (v. g. veneno clam porrecto, vel etiam gladio) à quo iniqua certò imminet sententia, si alia via non potest damnum superventurum evitare. Sicut idem de Calumniatore licitè occidendo statuunt, si paratus sit, v. g. Religioni, vel privato tantùm Religioso, coram Viris gravissimis crimina gravia impingere, nisi occidatur.

3. Est enim contra veteris & novi Testamenti sanctissimum præceptum: De non occidendo. Quod intellige, privatâ & propriâ authoritate. Et *Christus Petro* illum ab iniquissimâ Judæorum invasione aliàs justissimè defendenti. *Matth.* 26. dixit: Omnes, qui acceperint gladium, gladio peribunt.

4. Secunda Regula, ut illa opinio sit magis probabilis, quæ SS. *Patrum* doctrinæ conformior est, si quidem illa aliàs ab Ecclesia reprobata non sit, sed communiter teneatur: & vel

vel maximè quo ad ea, quæ *à S. Thoma*, tanquam *quinto Ecclesiæ Doctore* scriptis edita sunt, cùm sciamus illius doctrinam à Sede Apostolica approbatam esse, & consequenter tutam in conscientiâ. Unde intelligis, quam plurimas opiniones rejiciendas esse, quæ vel directò, vel in consequentiam *SS. Patrum*, præsertim *Ecclesiæ Doctorum*, & *S. Thomæ* doctrinæ in moralibus adversantur.

5. Tertia Regula: ut illa opinio sit magis probabilis, quæ cum SS Canonibus, & decisionibus Sedis Apostolicæ, ac ejus ad ejusmodi dubia resolvenda delegatorum judicium concordat.

6. Unde non minus intelligis: falsam esse doctrinam aliquorum Recentiorum, qui præsumunt docere, licitum esse sacerdoti duplicatum stipendium accipere pro unâ & eâdem missâ uni tantùm applicandâ, neque esse contra fidelitatem (ut ipsi quoque docent) etsi promiserit talis Sacerdos etiam promissione Juramento firmatâ danti stipendium, quod pro nullo alio missæ Sacrificium sit oblaturus.

7. Quarta Regula: ut illa opinio sit magis probabilis, quæ Juri etiam Civili, quatenus illud contra SS. Canones non militat, neque in sola præsumptione fundatur &c. sed ut etiam in Conscientiâ obligationem parit, secundum communem Theologorum sententiam, per ea, quæ scribunt in materia de Legibus etiam in conscientiâ obligantibus, conformis est. Habet enim Jus Civile in his casibus approbationem à Jure Canonico, quod cum non dedignetur leges Civiles sequi, & amplecti, ubi aliud de Jure SS. Canonum decisum, statutumque non est, ut deciditur in *c. de novi op. nunciat.* cur non & privati Doctores idem faciant?

8. Unde intelligis falsum esse, quod communiter & indifferenter de clancularijs compensationibus, secundum eorum

rum opinionem in Foro conscientiæ licitis, tradunt Recentiores; cùm nemo in facto proprio de Jure authorizare debeat, & solutio ejus, quod debetur secundum Jura, authore Prætore facienda sit, vel dum eorum aliqui sentiunt, licere tollere rem alteri invito, apud eum existentem, si scit suam esse; quod tamen non nisi authoritate Judicis ob gravia inconvenientia, quæ inde emergere possent, & propter bonum tranquillitatis Reipublicæ, faciendum statuitur in *L. si quis in tantum. Cod. unde vi.*

Quinta Regula: ut illa sententia sit probabilior, quæ opponitur laxitati in doctrina morum, Evangelij, & præceptorum, ex certissimâ doctrinâ Christi, qui dicit: Arcta via est quæ ducit ad vitam. & iterum, contendite intrare per angustam portam.

10. Unde luculenter intelligis, quam directò plurimæ Recentiorum opiniones tendant contra hanc Regulam, & expressa Christi Legislatoris nostri verba, & doctrinam, qui in id unum videntur collimare, ut viam ad Cælum amplient novis suis & laxis opinionibus contra Evangelicam veritatem passim traditis, atque sic disciplinam Christianam enervent; sicut vel obiter scrutanti libros Recentiorum, ubique se exempla laxissimarum opinionum contra veterem Christianorum, & Ecclesiæ doctrinam offerent, quarum non paucæ justissimâ censurâ à moderno *Pontifice Alexandro VII.* damnatæ sunt, atque sub Excommunicatione latæ sententiæ prohibitæ.

11. Sexta Regula: ut illa opinio tanquam probabilior habenda, alijsque præferenda sit, quæ Sanctorum olim in Ecclesiâ degentium exemplis, vitæ, ac moribus conformior est. Sunt enim hi duces nostri quantum ad mores, & vitam rectè instituen-

instituendam, quasi infallibiles, qui cum ex ijs, quæ gesserunt, scripserunt, feceruntque in Ecclesia adhuc in vivis existentes, æternam beatitudinem consecuti sint, certè tutissimo tramite eos consequentur, qui idem faciendum docebunt, quod illi tot miraculis celebres laudabilissimè secundum Evangelij doctrinam egerunt.

Septima Regula: cum simplicitas amica sit Legibus, & SS. Canonibus, atque Evangelicæ sinceritati, illa opinio erit probabilior, quæ non nititur meris abstractionibus Metaphisicis, & affectatâ speculationum subtilitate.

13. Ex quibus hodie oriuntur totæ novæ & insolitæ opiniones, circa usuras, contractum mutui, æquivocationes, ex eorum sententia, licitas ad tegendam veritatem, etiam in judicio, aliaque propè innumera solis ferme abstractionibus Metaphisicis innixa, & periculosè suffulta.

14. Nam nimis quam notum est, *ex epist. S. Pauli.* 1. *ad Corinth.* 2. 2. *ad Corinth.* 3. *Genes.* 8. *& ad Rom.* 3. *& 8.* quantum post lapsum Adami in nobis invaluerit Ignorantia mentis, malitia cordis, & contumacia reliquarum virium, ut adeò rectè scripserit *Conanus in Comment. jur. civil. lib.* 1. *c.* 7. *num.* 5. post prævaricationem primorum parentum naturam humanam admodùm corruptè, & hæsitanter circa verum judicare, atque in rectè, aut secùs faciendorum, factorumque deliberatione decipi, facillimum esse.

15. Octava Regula: ut illa opinio probabilior sit, quæ omnibus Christianis ita communiter, & piè sentientibus, quasi primo intuitu, ex lumine naturæ, & ductu Evangelicæ doctrinæ amplectenda videtur in concursu opinionum; cùm

Deus in necessarijs ad salutem non desit, post Evangelij,& doctrinæ Christi promulgationem, homini, ad dignoscendum malum à bono, & plerumque nimiæ subtilitates in moralibus à recto tramite conscientiarum devient. Hinc quod aliqui ausi sunt docere, excusari à jejunio, etiam defatigatum ex fornicariâ copula sæpius eodem die vel nocte habitâ, Christianæ aures quamprimum abhorrent.

16. Nona Regula: illa opinio videtur tanquam probabilior amplectenda, quæ antiquorum DD. sententijs, ubi illa laxitas morum, & sententiarum, nondum in tantum prævaluit, magis concordat, nisi aliud ex ratione pro novâ sententiâ adductâ manifestè persuadeatur. præsertim, si illi antiqui DD. etiam sanctitate in Ecclesiâ celebres sint. ut: *S. Bernardus, Anselmus, Antoninus, Bonaventura, Vincentius Bellavacens, &c.* qui presse institêre SS. Canonibus, & doctrinæ Christi, & non philosophicis tantùm subtilitatibus & abstractionibus; sicut hodie multi Recentiores, ut videre passim est apud *Dianam, & Caramuel in sua Theologia fundamentali.*

17. Decima Regula: illa etiam opinio probabilior regulariter videtur, quæ est tutior in conscientia. cùm enim opiniones in moralibus ad actiones nostras dirigendas eò tendere debeant, ut æternam beatitudinem rectè & bene operando consequamur, certè videtur ille, multo probabilius conscientiæ suæ consulturus, qui sequitur, quod magis tutum est, certiusque, & minus dubiè, ad scopum sempiternæ salutis ducit, quàm qui minùs probabilibus, & consequenter verisimiliùs falsis opinionibus nititur; nam ut suprà meminimus, hoc ipso, quod minus probabiles opiniones sunt, propiores falso existunt: consequenter verisimiliter aberrant à scopo consequendæ Beatitudinis æternæ. præsertim cum non pauci hodie sint, qui doceant, etiam minus probabilem speculativè, in praxi tutâ con-

tâ conſcientia aliquem ſequi poſſe, modo unius etiam tantùm Doctoris ſit, qui ſcribendo, vel docendo eam teneat. ut videre eſt apud *Caramuel. in Reg. S. Benedicti.* & *in ſuâ*, ut ipſe quidem nominat, *Theologia fundamentali.*

18. Hinc illa monſtra quarundam opinionum emersère, ut nonnulli audeant docere, quemvis in ſuâ Religione ſalvari poſſe. Sufficere, ut Deum in fine vitæ diligamus, vel ad minimum ut odio non habeatur. Licere in aquâ ex roſis diſtillata baptizare. & centenæ aliæ prodigioſæ opiniones, quarum aliquæ ne caſtis quidem auribus memorandæ ſint. ut adeò in hac farragine tot hodie graſſantium in moralibus ſententiarū illud *S. P. Auguſtini* neceſſariò ſuggerendum, amplectendumq; cenſeam, quod prudentiſſimus Doctor ad vitam piè inſtituendam ſuaſit dicendo: Tene certum, & dimitte incertum.

19. Ultimò putarem etiam pro Regula tenendum eſſe, ut illa opinio pro magis probabili habeatur, & alijs anteferenda ſit, quæ minùs à Conſilijs Evangelicis abludit, in ijs præſertim caſibus, in quibus præjudicium tertij, juſtitiæ, vel Charitatis controvertitur. ita, ut ſi una ex duabus opinionibus dubijs multùm recedat ab Evangelicis conſilijs, altera verò illis conformior ſit, hæc amplectenda, illa dimittenda videatur. Etſi enim ad conſilia Chriſti ſub peccato ſervanda nemo per ſe teneatur, ſi tamen in dubio verſemur, an non opinio noſtra etiam indirectè læſiva Charitatis, & juſtitiæ ſit, videtur probabiliſſimè, & prudentiſſimè ille operaturus, qui in tali dubio ſententiam Conſilijs Chriſti conformiorem eligeret. Sicut etiam in actionibus noſtris meram temporalitatem, & negotia politica concernentibus evenire ſolet, ut, licèt non teneamur ſequi conſilium alterius, ſi tamen in dubio verſemur,

 & pe-

& periculum sit, ne ex actu, negotio, vel contractu aliquo ineundo lædamur, ultrò consilio alterius accedamus, & amplectamur, quanto magis ergo Consilijs Christi in casu ejusmodi dubio actionum nostrarum moralium standum erit? quæ nullo modò fallere possunt, vel esse minus tuta, aut aberrantia à veritate.

20. Hinc si tuum. v. g. de Jure consequi possis actionem furti, etiam cum dives sis, si tamen videas, ex eo proximum tuum, contra quem experiri actione intendis, inde gravissimam infamiam, periculum vitæ, uxoris, liberorum, & familiæ præjudicium esse incursurum, cur non videaris probabilius, rationabiliusque acturus, si secutus in hoc casu Consilium Christi; ubi ait: Auferenti tunicam, dimitte & pallium, omittas actione furti contra ejusmodi hominem rem tuam auferentem experiri? ut ex Christianâ charitate, & pietate inductus miserum furem cum familiâ, liberis, & conjuge, in tantas angustias, & damna, furto triplò majora non conjicias. Multa enim de Jure stricto possumus, à quibus tamen nos Christi doctrina, & Consilia dehortantur, & passim Exempla Sanctorum, & maxime *S. Pauli*, aliorumque Apostolorum doctrina, praxis, & vita aliud, quam Jure permissum, ac statutum est, præsertim si proximum inde etiam indirectè lædi graviter contingat, fortiter persuadent.

QUÆ-

QUÆSTIO II.

An sufficiat in præsenti casu consultum esse Summum Pontificem, absque eô, ut expresſè consenserit ad hoc, ut Clerici contributioni indictæ subjici potuerint?

SUMMARIUM.

Extra casum periculi in morâ, vel repentini incursûs hostium, non sufficit tantum consuli Pontificem, sed exspectandus est ejusdem consensus. n. 1.

Allegatur textus id luculenter probans. n. 2.

Demonstratur hujus sententiæ veritas syllogismo ex Iure formato, n 3.

I.

QUantum ad secundum, breviter me expedio, & dico, abstrahendo à circumstantijs excusantibus, ut est periculum in morâ, vel casus repentini incursûs hostium, de quibus in responsione ad consilium fusiùs loquemur, certum, & indubitatum esse, non sufficere tantum consuli Papam, sed solummodo de expressâ Sedis Apostolicæ licentia fieri posse ejusmodi collectationem Clericorum. per ipsissima superiùs relata verba Excommunicationis decimæ octavæ, ex Bulla Cænæ Domini: Et comprobatur luculento textu. *c. adversus, hoc tit.* ibi: Romanus Pontifex priùs consulatur, cujus interest communibus utilitatibus providere.

2. Ex quibus verbis manifestum evadit, non tantùm consulendum esse Pontificem, ut præcise sciat, quid, & quantum Sæculares intendant circa collectam Clericorum, sed ut con-

sensum præstet, datâ desuper expressâ licentiâ, Clericos collectandi; ipsius enim interest, ut testatur *in cit. c. adversus.* communibus utilitatibus providere.

3. Ex quibus verbis hunc formo Syllogismum: cujus interest communibus utilitatibus providere, illius est consentire, sed Summi Pontificis est communibus utilitatibus providere, ergo Summi Pontificis est consentire, consequenter ante obtentum formalem consensum Pontificis, Principi Laico Clerici ad contribuendum non tenentur.

QUÆSTIO III.

An manu Laicâ Clerici ad Collectam faciendam cogi potuerint, abstrahendo à periculo moræ, & repentini incursûs hostium.

SUMMARIUM.

Respondetur negativè. si enim ante consensum Papæ hoc casu Clerici contribuere non obligantur, ergo etiam ante consensum ejusdem ad hoc faciendum per Laicos cogi non possunt. 1.

Allegatur textus ad hoc demonstrandum. 2.

Cogere ad contribuendum, est actus Iurisdictionis. 3.

Periculum an sit in morâ (nisi hoc sit notorium) non est in dubio, Laici de hoc judicare, cum id concernat personas Ecclesiasticas. num. 4.

I.

QUantum ad tertium hoc quæsitum, an manu Laicâ Clerici ad Collectam faciendam cogi possint, abstrahendo à periculo moræ, & repentini incursus hostium, etiam facilis est responsio. ex *c. non minus. juncto. c. adversus. hoc tit.* sequiturque

turq; neceſſariò ex præcedenti quæſtionis motæ reſolutione. Si enim abſque conſenſu & expreſsâ Pontificis licentiâ deſuper habitâ, ut vidimus, ad contribuendum Clerici non tenentur, ergò de Jure ad hoc præſtandum, etiam cogi à Laicis non poſſunt.

2. Inconceſſo enim antecedente, etiam quod ex eo neceſſariò conſequens eſt, inconceſſum videtur. argumento. *L. 2. ff. de Iurisdict. à contrario ſenſu, & L. illud. ff. de aquirend. hæred. c. ſi quis objecerit. 1. q. 3.* de connexis enim idem eſt Judicium. *L. ſi libertam. C. de nuptijs.* Et expreſsè ſtatutum in *c. non minus.* eſt, id per Epiſcopum & Clerum, ſi quidem tantam neceſſitatem aſpexerint, expediendum. Et additur in terminis *in c. adverſus.* ut abſque ulla coactione factâ Laici ſubſidium humiliter & devotè recipiant cum gratiarum actione, quod Epiſcopus & Clerici. NB. (ſi quidem Laicorum non ſuppetant facultates) duxerint conferendum. Atque indubitatum redditur ex ijs, quæ hucuſque diſputavimus, eò quod Laici non habent Jurisdictionem in Clericos.

3. Quis autem neſcit, cogi ad contribuendum, eſſe actum Jurisdictionis? ergo cogi à Laicis non poſſunt.

4. Atque hoc extra caſum, quo periculum in morâ eſt. Quod tamen periculum, an ſubſit, (niſi ſit notorium, ut aliqua tergiverſatione negari prudenter non poſſit) haud eſt penes Laicam poteſtatem judicare, cùm id concernat perſonas Eccleſiaſticas, circa quarum bona, & perſonas, nulla competit Sæcularibus Jurisdictio, utpote exemptas etiam, ut vidimus in præcedentibus, de Jure divino.

Reſpon-

RESPONSIO AD CONSILIUM IN CAUSA CONTRIBUENDI, CONTRA PERSONAS ECCLESIASTICAS CONFECTUM.

SUMMARIUM.

Consulens ad fundandum suum consilium, ne unicum quidem textum ex Iure allegavit, usus tantùm privatorum DD. conclusionibus, plerumq; malè ad præsentem facti speciem applicatis. n. 1.

Unus textus Iuris indubitatus plus probat, quàm sexcenti DD. privati in contrarium. 2.

In materia Iuris Canon. textibus Iuris, & Canonistarum opinionibus potiùs standum est, quam Theologorum. 3.

Respondetur objectioni. 4.

Consulens, pro more omnium Consulentium aliàs usitato, non utitur ullis rationibus dubitandi in contrarium, cum tamen contrariys juxta se positis secundum Aristotelem magis elucescat veritas. n. 5.

Primum argumentum Consulentis: quòd data communi necessitate æquè Clericos ac Laico tangente, teneantur Clerici contribuere, sic illimitate sumptum refutatur. 6. 7.

Quatuor Requisita necessaria, ut Clerici teneantur contribuere. 8. quorum pleraq; tacuit consulens, unum vel alterum allegâsse contentus. 9.

Respondetur ad 2. argumentum suprà. n. 3. formatum, & redactum in formam Syllogismi, ubi neq; major absolutè, ut ponitur, vera est, & minor prorsus falsa, qualis ergo consequentia? 10. & 11.

Status certa alicujus Provinciæ Laico Principi subjecta, etsi inter illos pauca aliquot Personæ Ecclesiasticæ numerentur, non repræsentant statum & Hierarchiam Ecclesiasticam, sed politicam & Sæcularem. 12.

Doctrina Patris de Castillo in sua Hypothesi vera est, sed ineptè applicatur ad speciem facti. 13.

Respondetur ad id, quod dicit: Prælatos cogi à Laico Magistratu ad contribuendum posse, extra Controversiam esse: formatur Syllogismus, & ostenditur, Consulentem graviter hallucinatum

fuisse.

fuisse. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. *& 21. quantum ad Clericos.*
Respondetur ad Gloss. allegatam, & Sanchezium, ac alios citatos. 22.
Ostenditur, nullam fuisse extremam necessitatem. 23.
Examinatur ratio, quæ talis est: qui vult finem, vult media necessaria ad finem. num. 24. 25. *&* 26.
Refutatur ultima ratio, & ostenditur Error non distinguentis inter Ius naturale & æquitatem. 27.
Respondetur experientiæ à Consulente allatæ. 28. 29.
Conclusio responsionum ad argumenta Consulentis, & resolutio casus. 30.
Allegatur Decisio in causâ Cleri ad contribuendum compulsi. 31.
Adhortatio ad Consulentem. n. 32.

I.

SEd modò consilium ad trutinam Juris & veritatis revocemus.

Antequam autem illud proximè discutiamus. Mirum mihi oppido visum est, consulentem vix unum, vel ne unicum quidem Juris textum allegare ad corroborandam suam opinionem, quod tamen, utpote in materia Jus concernente omnino oportuit, sed solis usum esse testimonijs Doctorum privatorum.

2. Cùm scire debuisset, nihil valere etiam sexcentorum DD. opiniones, contra id quod Jure definitum est. penes illos enim est interpretari Jura, non sententiam ferre Juri contrariam, cùm nullâ potestate Ecclesiasticâ polleant. Deinde cùm præsens casus principaliter concernat materiâ Juris Canonici, oportuerat consulentem textibus suam firmare opinionem, & si quid in contrarium Jura insinuare viderentur, solvere & explicare; ut adeò Theologi, qui hic citantur, nihil efficaciter ratiocinando concludant, quod per textus, si quid in hac materiâ decidunt, non probaverint:

3. Præsertim cùm teste Azorio ubi suprà, & ijs, quos in superioribus allegavimus, in materiâ *Iuris Canonici*, si haberi

possint Canonistæ, Theologis præferendi sint, utpote. *SS. Canonum* magis gnari, & practicè peritiores. Neque dicas: hic quæsitum à Principe, quid facere in proposito casu tutâ conscientiâ possit, ergo Theologorum potiùs esse, hic respondere.

4. Quasi verò qui ex mente. *SS. Canonum* respondet, non respondeat, quid tutâ conscientiâ sequi possis? quasi verò *SS. Canones* salutem animiarum non æquè intendant? cùm in materijs practicis plerasque resolutiones Theologi ex *SS. Canonibus & consilijs* mutuò accipere debeant, ut notissimum Theologorum libros scrutantibus est. Et quis emendat Jura civilia, si quid contra conscientiam tradidère, nunquid. SS. Canones? patet ex *tit. de Præscript. & usur.* ac alibi passim. Deinde si tantundem placuit Theologos præferre, præferantur illi, qui utriusque facultatis, & Theologiæ & *SS. Canonum.* exactam peritiam habent. quorum utinam multi sint! vel conficiatur priùs consilium in ejusmodi casibus à *Iuris & SS. Canonum* peritis, & examinetur postmodò à Theologis, num aliquid contra conscientiam decisum sit.

5. Alterum est, quod admirationem mihi movit, consulentem contra stylum eorum, qui consilia conflare solent, ut videre est per integra Volumina Menochij, Pauli Castrensis, Alexandri, Decij, & aliorum more veteri consulentium, pro, & contra, textibus, & rationibus non pugnare. Scire poterat ex Aristotelis dogmate: contrarijs juxta se positis magis veritatem elucescere. Ut adeò non vane credam, bonum consulentem parum in foro & praxi versatum esse. Sed consilium discutiamus.

6. Prima conclusio, quam consulens facit ex allegatâ quorundam Theologorum opinione, est: Clericos tunc teneri ad contribuendum, quando necessitas æque immediatè tangit

Eccle-

Ecclesiasticos ac Laicos, requirique Summi Pontificis consensum juxta communem ex mente *Cardinalis de Lugo* sententiam, ubi inter alios DD. hoc asseverantes citatur etiam *Panormit.* qui tamen, ut supra vidimus, in terminis *cit. c. non minùs.* contrarium docet.

7. Prima hæc conclusio, sic in terminis, ut loquimur, terminantibus illimitatè, & ut sonat, fabricata, falsa est, neque credo citatos Authores ita nudè & præcisè eam tenere, quasi infallibilis sit consequentia: Est communis necessitas, quæ æque principaliter concernit Ecclesiasticos, & eorum bona in particulari, ac Laicos, ergo tenentur contribuere. Quæro ex Consulente per quam regulam? ubi Jura & Canones ita statuerunt? citetur textus, & credimus ei. At dicet: Theologos ita tenere. Respondeo: non credo. deinde si tenent, tam potentes non sunt, ut Pontificem ad aliud cogant, quam ipse definiverit, & quidem in Concilio generali, quibus parere Pontifici incumbit, non imperare. Audi textum in *c. adversus. hoc tit.* ubi Pontifex ita loquitur: Verum si quando fortè Episcopus cum Clericis tantam necessitatem, vel utilitatem perspexerit, ut absque ulla coactione ad relevandas necessitates, vel utilitates communes. NB. ubi Laicorum non suppetunt facultates, subsidia duxerint per Ecclesias conferenda, prædicti Laici humiliter &c. recipiant. propter imprudentiam tamen quorundam Romanus Pontifex prius consulatur, cujus interest, communibus utilitatibus providere. Hucusque Pontifex.

8. Ecce quatuor ponit neceſſaria Pontifex, ut Clerici ad ſubſidia conferenda teneantur. Primò, communes neceſſitates tam Clericos, quàm Laicos æque principaliter tangentes, ſicut ſuprà per aliquot exempla demonſtravimus. Secundò, ut Epiſcopi & Clerici diſpiciant, & arbitrentur, an tanta ſit communis neceſſitas. Tertiò, ut Laicorum non ſuppetant facultates. Quartò, ut Epiſcopi, & Clerici conſentiant, & Summus Pontifex deſuper ad præſtandam authoritatem conſulatur.

9. Quomodo ergo cum veritate conſulens abſolutè inferre potuit: eſt communis neceſſitas æque principaliter concernens Clericos ac Laicos, ergo tenentur contribuere Eccleſiaſtici. Limitata enim cauſa limitatum producit effectum, & limitata licentia limitatam conceſſionem collectandi. Hallucinatus ergo non vulgariter eſt conſulens, quòd ſaltem de ea clauſula (ubi Laicorum non ſuppetunt facultates) ne verbulo quidem mentionem fecerit, cùm notum ſit, multos Laicorum, ut Comites, Barones, Nobiles, Mercatores, Miniſtros Prinpum potentiores, & Conſiliarios ſatis pollere opibus ac bonis, unde, ſi Principis ærarium non ſufficiat, communibus neceſſitatibus conſulatur. Quamvis neque Clerici tam inhumani ſint futuri, ut ex ſuis bonis & reditibus tolerabili ſubſidio non ſubveniant, ſi modo debito & Juris ſolennitate præſcriptâ requirantur. Sed ut ipſi in plus teneantur, etiam ſervatâ proportione bonorum utriuſque ſtatûs, tam Eccleſiaſtici quàm Sæcularis, quæro à conſulente, quo Jure factum probabit? ſtante præſertim tantâ egeſtate plerorumque Eccleſiaſticorum, ut monaſteria quoque & collegia majori ex parte ære alieno preſſa ſint. ut taceam de paupertate inferiorum Clericorum. Sed:

10. Per-

10. Pergit consulens alio effugio, & ratione viam sibi parare ad indifferenter obligandos, propter communes necessitates ad contribuendum Clericos, & ait: *Quatenus ad minus tunc verum sit, teneri ad collectas Clericos, quando subsidium ab ipsis Ecclesiasticis dandum ipsis non imponitur per modum tributi; sed ipsi Ecclesiastici ad præstandum subsidium pro suâ parte consenserunt. Et hoc in casu nostro factum ait, eò, quod Deputati Provinciæ commune subsidium præstandum esse consenserint, & per consequens juxta communem DD. sententiam etiam non exspectato consensu Summi Pontificis, ad contribuendum teneantur.* Hucusque consulens.

Redigamus discursum consulentis in brevem Syllogismum. Tunc ex communi DD. sententiâ non est opus Summi Pontificis consensu, quando in subsidium præstandum ob communes necessitates ipsi Ecclesiastici pro suâ parte consenserunt, hoc factum est in præsenti casu. probat hanc minorem, quia deputati Provinciæ ad id præstandum consenserunt, ergo non est opus consensu Summi Pontificis. Major hujus propositionis, casu, quo Episcopi cum Clero tantam necessitatem arbitrati, non sufficientibus ad hoc Laicorum facultatibus, consenserunt juxta Panormit. *in c. non minus.* & alios, adeò improbabilis non est, quamvis non ex mente *text. c. adversus.* ubi indifferenter vult Pontifex consensum ad hoc ab ipso requirendum esse, & nos paulò superiùs conclusimus, quandocunque Clerici ad contribuendum in simili casu vocandi sunt, desuper consensum Papæ sollicitari debere.

11. Minor cum sua probatione omninò deficit, quia secundum capitula. *non minus. & c. adversus.* tunc juridicè dicuntur Clerici consensisse, quando unà cum Episcopo consideratâ tantâ necessitate communi assentiuntur sponte, & sine ullâ coactione, ut loquitur *text. in c. adversus.* subsidio per Ecclesias conferendo. atqui hoc nullo modo factum est, sed irre-

quisitis locorum Ordinarijs, status Provinciales illicò processerunt ad onerandos Clericos, ita ut etiam in plus quàm Laici proportione bonorum servatâ contribuere tenerentur.

12. Et quis unquam ausus ante Consulentem est, dicere: status Provinciales, ex eo, quod pauci aliqui Prælatorum inter multo plures Laicos ibi conveniant, repræsentare statum Ecclesiasticum, & non potius Provinciam? Deinde ubi mandatum ostendent illi sibi ab Episcopis & Clero datum, ut eorum nomine consentirent in tam inæqualem, & damnosam Clericis statuendam contributionem? Et quis nescit, statuum Provincialium solummodo munus, & officium esse, communia, & solita Provinciæ negotia, tractare? ad extra ordinarias verò contributiones, irrequisito Summo Pontifice, & locorum Ordinarijs neminem ex allegato DD. numero teneri Clericos, prudenter somniare potuisse? nam omnes loquuntur de consensu Cleri, secundum *SS. Canones* præstito, qui fit interventu Episcoporum, consulto desuper, & consentiente Summo Pontifice. Consequenter nulla est prorsus illatio facta à consulente: status Provinciales, quorum pauci aliqui Ecclesiastici sunt, consenserunt ad contribuendum, ergo status Clericalis sponte dicendus est consensisse in ejusmodi collectam, præsertim cùm Episcopi, quorum vel maximè interest assentiri faciendæ contributioni, hic loci membra statuum provincialium non sint, neque inter illos computentur.

13. Pergit Consulens urgere ex sententia *Patris de Castillo*, eò quod peccatum lethale sit, exspectare consensum Pontificis, quando ex mora notabile damnum pateretur commune bonum, vel, ut veriùs ait *Pater de Castillo*, quando commune bonum omninò periclitaretur, si Ecclesiastici non contribuerent.

Quæso

Quæso mi Consulens, accuratiori limâ verba Doctorum trutina, ut aliquid ex ijs apposité, & ad rem dicas. sententia *Patris de Castillo* vera est, in eo casu, quo eam ponit, extremæ scilicet necessitatis instante periculo moræ, ac impediente, ne consuli desuper Pontifex, Ordinariorumque requiri consensus possit. Sed quid hæc Doctrina *Patris de Castillo* ad rhombum? quid ad præsentem facti speciem? quid ad casum controversum? Pax erat Germaniæ publica, cùm incipit morte Augusti Imperatoris Ferdinandi vacare Imperium. Proponit in omnem eventum, ut inde occursuræ qualicunque turbationi, & securitati Patriæ consulat, Princeps militem conscribere. atque hæc prætensa majori ex parte necessitas est, quæ secundum consulentem extrema audit, atque tanta, ut commune bonum omninò periclitetur, nisi Ecclesiastici contribuant, & ut Pontificis consensus non expectetur, prætenditur periculum in morâ. mi Consulens dubitare ante omnia debebas, an conscribere militem in omnem eventum, extra præsens, vel certò imminens, & denunciatum hostis periculum, ita inter communes necessitates recenseatur, quod æque principaliter Clericos tangat, ac Laicos, præsertim si conscriptio militum merè ob respectum aliquem politicum principaliter solius Principis interesse, & reputationem, concernentem, fiat. Ergo cùm in dubio simus, vel maximè oportuit, præsertim renuentibus Ordinarijs Locorum contribuere, desuper Pontificem consulere. Deindè quomodo periculum in morâ fuit, quando hodieque inpræsentiarum nullius belli, vel hostis proximum periculum est? & etiam tunc nullus militum usus verè necessarius? quos scimus esse passim in hibernaculis otiatos. Poterat ergo supersedere consulens allegatione doctrinæ *Patris de Castillo*, quæ ad usum casûs propositi nec hilum quadrat.

14. Quan-

14. Quantum ad alterum præsentis casûs principale membrum: an cogi Ecclesiastici, renuentes hic & nunc, per manum Laicam ad contribuendum possint, ait Consulens *extra controversiam esse quantum ad Prælatos.* Et addit rationem: *quia illi ad solvenda alia debita à Consilio aulico cogi possunt, ergo à fortiori* (ita loquitur Consulens) *cogi poterunt ad satisfaciendum huic contributioni.*

15. *Quantum ad alios Clericos,* asserit *plerosq; negare, cogi posse, eo quod,* NB. *Ecclesiastici & quo ad bona, & quo ad personas sint exempti à potestate sæculari.* Suspendo meum hic Judicium de doctrina Consulentis, & intra me consepelio. hoc tantum à me voverim Consulenti, ut dictorum suorum paulò accuratiùs meminerit, ne tam fœdè unum alteri collidatur. Ecce quid inquit? Clerici inferiores cogi non possunt à Laicis ad contribuendum. Quia NB. sunt Personæ Ecclesiasticæ, Ecclesiastici autem, tam quo ad Personas, quam quo ad bona exempti sunt à potestate sæculari. Et tamen paulò antè ait: extra controversiam esse, prælatos cogi à potestate sæculari posse ad contribuendum.

16. Cudamus Syllogismum ut ore proprio judicemus consulentem. Personæ Ecclesiasticæ cogi non possunt ad contribuendum à Laicis. Hæc propositio est Consulentis. & rectè probat: quia Ecclesiastici tam quo ad personas, quam quo ad bona eorum sint exempti. Jam subsumamus minorem, sed Prælati Ecclesiarum sunt Personæ Ecclesiasticæ. non negabit Consulens, si pauxillum Juris & SS. Canonum degustavit. & notius est, quàm ut probationis egeat. Ergo cogi non possunt. Ergo cogi possunt. utrumque dicit Consulens, & quidem de eodem, in ijsdem circumstantijs. Alterum hoc formaliter, & explicitè, primum consecutivè, ex ratione assignatâ. Si enim Ecclesiastici cogi non possunt ad contribuendum à Sæcu-

lari-

laribus, Prælati autem ſunt Eccleſiaſtici, ergo cogi non poſſunt. Hoc ſcilicet turbaverat caput conſulentis, quod ſciret, Prælatos Eccleſiarum ad debita ſolvenda per Conſilium aulicum cogi, hinc credebat ſe concludere conſequenter, cogi etiam ad contribuendum poſſe. ſed more ſuo etiam in hac illatione graviter hallucinatur.

17. Poſito enim, non conceſſo, ad debita cogi Prælatos à Conſilio aulico poſſe, quæ eſt conſequentia neceſſaria: Ergo ad contributionem præſtandã & quidem, ut ait, à fortiori cogi poterunt. videamus in formâ. Prælati cogi poſſunt ad debita ſolvenda à Laicis. Tranſeat major. Sed hæc contributio eſt debitum ſolvendum, falſa eſt minor, neque unquam probanda. Debent enim Laici ſubſidia, etiam ubi ea Clericis ab Epiſcopo indicuntur, ſine coactione, humiliter, & cum gratiarum actione accipere, quomodo ergo eſt debitum? cùm ad debitum ſolvendum pars à parte cogi in Judicio poſſit. ut ſileam, in noſtro caſu nunquam Ordinarios, vel Pontificem ad ſubſidium à Clericis conferendum conſenſiſſe. Deinde cum hic ex diverſis, à debito ſcilicet ad ſubſidium ex Charitate, & ſponte impenſum, fiat illatio, conſequentia eſt nulla. per *L. Papinianus. ff. de minorib.*

18. Dixi autem pauló ſuperius: Poſito non conceſſo, Prælatos ad debita ſolvenda à Conſilio aulico cogi poſſe, quia manifeſtè hoc ſecundum SS. Canones falſum eſt, immò etiam ex mente ipſius conſulentis. Illi enim qui tam quo ad perſonas, quam bona exempti ſunt, ſicut ſunt Eccleſiaſtici, ex ſententia Conſulentis, & verè, cogi ad aliquid ſolvendum à Laicis non poſſunt, coactio enim dicit aliquam Juriſdictionem in eum, quem quis cogit, ſed prælati Eccleſiarum ſunt Perſonæ Eccleſiaſticæ, ergo cogi non poſſunt. Sicut etiam demonſtravimus fusè, *tota diſput. 2. hujus Tractatûs.* Atque hoc de Jure *SS. Canonum*, veriſſimum eſt.

Nam 19. Quod

19. Quod autem de facto cogantur contra Privilegium suæ Immunitatis personalis, illis de Jure quoque divino competens, & tot censuris a Sede Apostolica munitum, nihil ad responsum Juris facit, neque attendi à consulente debebat. facta enim non probant Jus, sed ex Jure facta justificari debent. Et propè tantundem dicere est: de facto à multis non servantur pleraque Decalogi Præcepta, ergo Jure non servantur. Atque jam suprà largè disservimus, neq; consuetudine, quæ corruptela potiùs est, se Laicos, quantum ad hanc Clericorum coactionem defendere posse. Immò probabiliter neque vi Concordatorum excusandos, ut superiùs quoque vidimus.

20. Cæterum consulens, qui ex Jure probare debuerat, quantùm, & quo casu cogi à Laicis Cleri ad contribuendum possent, ad privatam aliquorum Doctorum authoritatem confugit, etsi admodum perfunctoriè allegatam, quando ne verbo quidem mentionem facit, quo casu id Laicis liceat. Quod si indistinctè sensit, licere Laicis, cogere Clericos, nimis graviter in *SS. Canones* impingit, neque credo ullum ex allegatis Authoribus esse, qui id illimitatè concedat, cùm tam ignari *SS. Canonum* non sint, illud prohiberi.

21. Glossam, *causâ. 23. q. 5. c. Principes sæculi.* verè quidem citat, asserentem: tunc locum esse Laicæ potestati, cùm Ecclesiastica deficit. Sed quæso quid ad rem? nunquid Ecclesiastici cum Ordinarijs locorum protestati sunt? nunquid Pontifex non consensit? ergo in eô, quod sui officij erat, non defecerunt. Quòd si Consulens intelligit per verba: quando deficit Ecclesiastica Potestas, id est facere non vult, quod petunt Laici, ut tunc Laici possint ipsi facere, quod volunt, & ad id cogere Ecclesiasticos, nimis crassa interpretatio est, & ab omni Jure aliena. quando notum ex *Panormitano*, & communi

Docto-

Doctorum sententiâ ad *cit. c. non minùs.* est, renuentibus Clericis cum Episcopo, ad Metropolitanum appellandum esse. Idem asserit Consulens, authoritate *cit. Glossa* fultus, obtinere, cùm tributum petitur ab Ecclesia, quod æque verum non est. & miror tam inconsideratè *Baldi* consilium admittere, quatenus scilicet tunc procedatur à Laicis, non quidem contra Personas, sed contra bona Clericorum, qui paulò antè assertis verbis pronunciavit: Ecclesiasticos, tam quo ad suas personas quàm eorum bona, exemptos esse, adeòque quo ad neutra Jurisdictionem Laicis in eos, vel illorum bona competere.

22. Deinde refert *Sanchezium, & Bellizarium* accedere *Glossa.* qui, tantum abest, ut opinionem Consulentis tueantur, ut fortissimè impugnent. Uterque enim loquitur in casu, quô periculum est in morâ, & quoties ratio naturalis dictat subveniendum extremæ necessitati. Consequenter extra hos casus, sentiunt, ut sentire debent, conformiter Juri *SS. Canonum*, quatenus Clerici à Laicis ad contribuendum cogi non possint, cùm nulla eis competat Jurisdictio in Ecclesiasticos. Exceptio enim à Regula, firmat Regulam in alijs casibus non exceptis. per text. *L. cum Prætor. ff. de Judicijs. & L. nam quod si liquidæ. §. si cui. ff. de penu. leg.*

23. Sed quæso, quæ extrema necessitas in facti specie allata imminet? quod periculum in morâ est? Et miror ausum esse allegare periculum in morâ, quando ipse audacter refert: desuper consultum esse Romanum Pontificem. at ubi tantum periculum est in morâ, neque Pontifex consuli potest. & si Pontifex consuli interim potuit, quare Ordinarij, antequam collecta imponeretur à statibus Provinciæ, ut fieri de Jure debuit, desuper requisiti non sunt? Gerræ meræ, & diverticula veritatis.

24. Ratio, quam penultimò fabricat Consulens, ad hoc,

ut persuadeat, Clericos à Laicis cogi posse, talis est: Qui vult finem, vult etiam media necessaria ad finem, sed ratio naturalis dictat in communi necessitate æquè Clericos ac Laicos tangente illos debere contribuere, ergo vult etiam media, debebat inferre, ut contributio fiat, ubi tamen saltum facit Consulens, & quia id, quod necessariò in conclusione infertur, non videbat ad scopum suum collimare, recipit se ad asylum extremæ necessitatis, quò fas sit Clericos à Laicis cogi, quæ tamen extrema necessitas in proposito casu, ut vidimus, non subest.

25. Sed exenteremus bellam hanc ratiocinationem. Qui vult finem, vult etiam media necessaria ad finem. transeat major. sed Lex naturalis dictat, in communi necessitate æquè Clericos ac Laicos tangente, Ecclesiasticas personas non minus teneri, & cogi posse à Laicis ad contribuendum. Falsa est minor, quia est contra *SS. Canones*, qui tantummodo tunc volunt Clericos subsidium aliquod porrigere, cum gratiarum actione à Laicis recipiendum, quando Laicorum non suppetunt facultates.

26. Deinde, si ex mente Consulentis Lex naturalis dictat, æquè teneri Clericos, ac Laicos, in casu communis necessitatis, consequenter ea ab omnibus servanda est; cùm contra Legem naturalem nulla Lex positiva, vel humana contrarium statuere possit. Ergo Consulens injurius est in Ecclesiam, & Pontificem, quos consequenter redarguit, quod contra legem naturalem statuerint, sentientes: non æque obligari tunc Clericos, sed eô primùm in casu, quo Laicorum non sufficiunt facultates, & quidem tantum ad subsidium, non ad æqualem contributionem cum Laicis faciendam. Cautius dixisset Consulens: Dictare hoc æquitatem naturalem. Sed quia non illicò justum, sive Juris est, quod æquum est, cùm multa contra æquitatem naturalem, etiam de Jure SS. Canonum, statuta

statuta sint, nihil efficaciter ex solo dictamine æquitatis naturalis (præsertim ubi aliud de Jure provisum est) conclusisset, ut suprà vidimus, quod consulens attendere debuisset.

27. Ultima probatio consulentis fundatur quoque in Jure naturali, illo malè confundente, ut modo notavimus, Jus naturale, & æquitatem naturalem. Utrùm autem Immunitas Ecclesiastica sit proximè solùm Juris positivi, & humani. jam suprà *disput. 2. c. 1.* expedivimus. ut adeò non sit necesse repetere.

Quod verò asseverat causam contribuendi, principalius tangere Ecclesiasticos, casu quo prævalerent Hæretici, nihil facit ad rem præsentis facti speciei; cùm hic non subsit periculum incursûs Hæreticorum, sed tunc sola ratio Vicariatûs Imperij vacantis fuerit controversa. Deinde nunquid idem periculum est fidei Catholicis, prævalentibus Hæreticis, quod Personis Clericorum? Exempla sunt obvia apud Hollandos, Suecos, & alios hæresum sectatores, ubi passim Catholici in exilium acti sunt, confiscatis illorum bonis, quotquot Religionem non mutavêre. Quod autem Consulens ex Sanchezio notat pro confirmatione, fundatur non minus in prætenso periculo moræ, quale tamen periculum non subesse, superiùs ostendimus.

28. Coronidis loco catapultam experientiæ vibrat, ex quâ constare vult, Clericos modicum principibus subsidium negantes postmodum irruentibus inimicis totum perdidisse. Cui è diametro, si audire lubet, oppositam intendo experientiam: multos Clericos, & Prælatos, multa contribuisse Principibus, non minùs tamen indefensos ob incursus hostiles, omnia perdidisse. Ergo nulla est instantia. non ingero exempla, quæ passim per Imperium & Germaniam sunt obvia, & odiosa. ut taceam hoc casu, non de modico subsidio ab Ecclesiasti-

cis præstando agi, quando attenta proportione bonorum, in plus contribuere compulsi sunt, Ecclesiastici quam ipsi Laici pependerint, cum interim non improbabiliter constet, unum vel alterum Prælatum plus pecuniarum contribuere in prætensam necessitatem communem debuisse, quam tota nobilitas Provinciæ impenderit. Atque demonstrari nullo fortè negotio possit, hunc, aut illum ex nobilitate dynastam, plus bonorum possidere, quàm aliquot Monasteria teneant in bonis.

29. Et si necessitas tanta est, ut communiter omnes illimitatè tangat, quæro, si condolere membra capiti debent, nunquid ratione naturali justissimum erit, ut & caput membris compatiatur? Teneri itaque non minùs existimo Principem, in casu tantæ necessitatis, sumptus superfluos, expensásque non admodum necessarias incidere, thesauros, si quos habet, impendere, effusam famulitij, & ministrorum multitudinem constringere, pompam & paratus nimios frænare, sicut nonnullibi pio boni Principis exemplo, necessitatibus bellorum præteritis gliscentibus comprobare possem.

Atque hæc fusiùs Consulenti respondenda videbantur, & si quid acriùs, quàm mallet, dictum putat, pro libertate Ecclesiasticâ pugnandum fuisse noverit.

30. Concludo igitur, cùm pleraque quæ Consulens dicit, & Jure & facto deficiant, ut vidimus, & ne unô quidem textu opinionem suam stabilire valuerit. (non attentis, quæ improbabiliter intulit) Personas Ecclesiasticas, non aliter ad subsidia præstanda teneri, quam Jure in *c. non minùs.* & *c. adversus.* provisum est, neque in casu proposito citra peccatum mortale, & certò incurrendam excommunicationem Summo Pontifici reservatam, easdem ad contribuendum à Laicis de Jure SS. Canonum cogi potuisse.

Manum

Manum de tabulâ, ut ajunt, dum refero, ecce in eandem obvenit Breve Apostolicum, Romæ controversæ huic quæstioni, ceu alexopharmacum applicatum. Expende Lector, & calculum nullo negotio pro nostrâ sententiâ pones, cui gratulor tam opportunò Romam succollâsse.

Copia Decisionis Cardinalium super impositâ Ecclesiasticis extraordinariâ contributione in Ducatu. N.

31. Sacra Congregatio Eminentissimorum, & Reverendissimorum Dominorum Cardinalium Immunitati Ecclesiasticæ, & controversijs jurisdictionalibus præposita censuit: collectam impositam per ministros Laicos in Ducatu N. super bonis Ecclesiasticis pro expeditione, & manutentione militum ad prætensam necessariam defensionem ejusdem Ducatûs, & exactionem ejusdem collectæ subsecutam, esse contrariam Immunitati, & libertati Ecclesiæ, & improbatam à SS. Canonibus, & Conciliorum generalium Ordinationibus, tanquam factam, non servatâ formâ in illis præscriptâ, & præsertim non obtenta NB. priùs Sedis Apostolicæ licentiâ, Ideoque esse nullam, & invalidam, eamque imponi, & exigi non licuisse, quamlibetque summam forsitan jam exactam, restitui debere. Hâc die. 22. Aprilis. 1659.

Et factâ relatione Sanctissimo Domino, Domino. die 21. Maji. 1659. Sanctitas sua annuit.

L. S.

Martius Cardinalis Ginettus.

gratis, etiam quoad Scripturam.

D. Deccius Congreg. Secret.

32. Hic tibi Consulens aurem vellico, ut, qui ausus contra communem Doctorum sententiam, & expressos *SS. Canonum* textus fundato malè Consilio accisæ Libertatis & Immunitatis Ecclesiasticæ Principi author esse, videre possis, quo te vinculo Excommunicationis innexus, circumagas, & qui instigare Magnates ad iniquam exactionem, parum religiosè, contra Religiosos, & Clericos consulendo machinatus es, eosdem animosè, quos ad restitutionem Breve Apostolicum teneri expressim denunciat, ut errorem exfrices, exhortâre; & facto tuo docearis: Consilium malum Consultori pessimum, Jure suo evenire.

BREVIS ELUCIDATIO HISTORICA.

Quanto Reipublicæ Christianæ damno ejusmodi Ecclesiarum, Ecclesiasticorumque iniquæ exactiones usurpatæ sint?

SUMMARIUM.

Quarta bonorum priori sæculo in bello Turcico Ecclesiasticis extorta nullo bellantium commodo cessit. 1.

Pari modo sacra suppellex tempore belli Suecici usurpata, nullo levamento militibus fuit. 2.

Antiquis jam in paræmiam vertit aurum Tholosanum. 3.

Veneti dicuntur ob eandem Clericorum exactionem Regno Cypri à Deo in vindictam mulctati. 4.

Ludovicus Sfortia Insubrum Princeps potentissimus, quamdiu intactam Ecclesiasticorum libertatem habuit? 5.

Ob Sacellum Oettingense direptum pœnas dat Bavaria. 6.

Matthias Ungariæ Rex ex eadem causa ultimis annis infelix. 7.

Ante ruinam Bohemia in quanto contemptu Ecclesiastici & illorum Immunitas? 8.

Francia Northmannorum prædæ & ferro subjecta ex oppressione Clericorum. 9.

Applicatur ad nostra tempora, & suggeritur exemplum Caroli

Magni

Magni pientissimi Imperatoris. 10. & 11. imitandum.
Martellus passim ob eandem causam malè audit apud Historicos. 12.
Etiam Ecclesiastici viri injuriij in Ecclesias malè mulctati à Numine, teste Brunero, hîc citato loco. 13.
Annectitur declaratio SS. Congregationis Cardinalium super eo, quod Clerici simplices, etsi careant requisitis Concil. Trident. nihilominus gaudeant Immunitate, quantum ad impositionem & exactionem gabellarum, sicut suprà conclusimus, ex quâ nostra sententia confirmatur. 14. 15.

CÆterum si lubet per historicos vagari, in promptu sunt, quæ conferamus, docturi infelices eventus, quoties in Ecclesiasticorum bona, citra Pontificis consensum grassati sunt Principes.

Quandoquidem Exemplis, quam Verbis major inest Vis.

1. In comperto hodieque est per Austriacorum provincias, quando altero ab hinc sæculo Turcarum Imperator ingenti exercitu succinctus Viennam circumsedit, populante passim urbes & oppida milite. tunc, velut in viciniâ mortis ageret res Christiana, Quarta bonorum Ecclesiasticis indicta, & extorta est. Sed quo belli emolumento? cui bono? Major pecuniarum vis ex ijs redacta, in manus hostiles, justo Dei judicio, illata prædæ cessit, plerasque villas, ac pagos Ecclesiasticorum sibi magnates vendicavêre, nihil inde urbi, nihil Provinciis, nihil militi; nihil nervo belli, adminiculo fuit; justissimo Numine iniquam Ecclesiarum rapinam execrante. Ut adeò jure merito Augustissimus Imperator *Ferdinandus II.* & ante ipsum aliquot Cæsares, bonorum eô bellô distractorum evictioni, publico rescripto in favorem Ecclesiasticorum evulgato clementissime assenserint: velut scio non infrequentes villas, pagos, ac Toparchias magno Religionis bono postliminiò ad Ecclesias ac Monasteria redijsse, quæ uiduata Religiosorum

numero magnam ob egestatem, helluantibus in bonis eorum Laicis, & plerumque Acatholicis, denique pietate Imperatorum ex ærumnis respirârunt.

2. Et quid nostro ævo? nunquid cum passim sacra suppellex inconsulto Summo Pontifice bello Suecico à Laicis invaderetur injustè causantibus extremam sortis necessitatem, levamento belli fuit? nec hilum. & utinam sacrilegâ manu Sæculares, quod ex auro vel argento calicum, reliquæque supellectilis fuit, non involâssent! justâ exinde vindictâ Numinis, provincias nostras tot annis flagellante.

3. Si vetera in mentem revocamus, quid auro Tholosano veriverbium fecit, quam quod illud ex delubro diripientibus fatali malo cessisset?

4. Et si quidem *Christophoro Scheyrlino I. V. Doctori*, sua in oratione, altero jam hinc sæculo, *in Vniversitate VVittenbergicâ* fidem damus, quid Venetos Cypro, quid alijs quàm plurimis ditionibus potentissimis exuit? famam ingentium virium, quam toto pæne orbe circumferebant, miserè attrivit, quam manus illatæ in Ecclesiasticorum bona? scribit certè citatus author, Venetos quotannis decem viros creâsse, qui universum ordinem Ecclesiasticum ad sua subsellia in urbem evocarent, bis singulis annis decimâsse, tam in exigendo inhumanos, ut nisi ad condictum diem census imperatos penderent, bona eorum sub hastam mitterentur. taceo convitia, sannas, sarcasmos, qnibus impune has inter auctiones vapulabant. lusus erat, illudere Ecclesiarum libertati. donec gravi manu Numinis perculsis, & accisis Venetorum rebus, redituri ad frugem magis seria meditarentur.

5. Ludovicum Sfortiam Insubrium Principem, Italorum tunc potentissimum, fama super Æthera extulit, quamdiu

quamdiu intactam Ecclesiasticorum libertatem habuit; communi vulgi verbo celebris: Unum Deum in Cælis esse, unum Ludovicum in terris. At ubi Clericos mutuari sibi invitos adegit, in bona Ecclesiasticorum involavit, exactionibus Clerum pressit, proditus à militibus, quibus post tantas rapinas, ne stipendia quidem solvendo erat, opulentissimo principatu excidit, in Galliâ carceri mancipatus vitam ærumnis saturam abrupit.

6. Altero ab hinc sæculo, *eodem notante Scheyrlino*, utraque Bajoaria ferro flammaque crudelissimè vastata fataliter ingemuit ultra duodecies centena millia in id bellum expensis. Et cujus malo in has ea calamitates supinata? nisi quòd Ducum Bavariæ alter è fratribus, etsi turrim pecuniâ oppletam haberet. (ita avaro nunquam satis) Sacellum Oettingense diripuisset.

7. Quid Mathiam Regem Ungariæ, famosissimum, quamdiu pietatem coluit, denique attrivit? Viennæ inglorium in ultima fata involvit? Depeculabatur Ecclesias, Clericos tributis onerabat, in Episcopatum Uratislaviensem, vulgo aureum, inhiabat. non poterat tam iniqua sitis aliter sedari, quàm exhaustâ mortalitate.

7. Lubet *Boëmorum* fastos rimari, quid florentissimum sub *Primislao* regnum depavit, quam Ecclesiasticorum oppressio, vectigalia, census, tributa? Lege *VVenceslaum Hagecium ad annum. 1221.* & penthicè deplorantem audies Cleri ruinas; susque deque Ecclesias vertente *Primislao*. Inde subjecta interdicto Boëmia est, anathemate percussi proceres, & quamvis multis exhortationibus Summi Pontificis *Primislaus* quadantenus ad frugem redigeretur, tam abominandis tamen vectigalibus etiamnum Ecclesiasticos torquebat, ut præ Judæis premerentur: nam tametsi ad portas civitatum, & strata pon-

tium illi pallia & pileos duobus obolis redimere adigerentur, tam abjectum, tam vile, tam odiosum tunc Sacerdotium fuit, ut corona capitis (tonsuram vocant) triginta nummis ad portas, & pontes vectigalis esset. Non ingero ruinas Ecclesiarum in Boëmia posterioris sæculi, quæ etiamnum recentes sunt, non alio certe incentore ijsdem prælusum, quam præambulâ Ecclesiasticorum fatali oppressione.

9. Attexo quæ *Spondanus ad annum. 846. de Carolo Rege Franciæ* memorat, quo authore, cum passim bona Ecclesiarum & Monasteriorum regni Proceres deprædarentur, Synodo coactâ obviare huic malo totis viribus Episcopi nitebantur, sed surdis fabula, donec justissimum Numen Ecclesias & Ecclesiasticos vindicaturum, *Northmannorum* effusis populationibus Franciam ita attrivit, ut iniquissimis eorum stare legibus, & conditionibus adacti, qui mollia sacræ Synodi decreta impiè sugillaverant, totâ pene provinciâ exuti vitam precariam inter Barbarorum grassationes miserè tolerarent

10. Ecce si vertere ad nostra tempora, comparando tristem hanc næniam licet, adhuc inter suspiria gemimus, quibus conditionibus, quantâ Ecclesiarum ruinâ, & multa depauperatione malè preciosam à Suecis pacem emerimus, frustra toties fatigatis, & magnam partem exhaustis Ecclesiarum, Ecclesiasticorumque bonis.

11 Longè satiùs pientissimus *Imperator Carolus Magnus*, qui quoties bella in hostes moverat, antè providere politico, Ecclesiasticoque statui, justitiam, mores, pietatemque firmaturus, indictis comitijs, ac Concilijs provincialibus, eodem *authore Spondano* attestante, consueverat, quàm arma capesseret; inde toties victor, Ecclesias potius ditare largissimus Cultor malebat, quam easdem bellicarum necessitatum specie deglubere. quod contrà nostro ævo, ubi:

Proxima

Proxima de censu, de moribus ultima fiet
Quaestio.

12. Martellum Regem Galliæ non regero, notissimum apud Historicos, & famosum Ecclesiarum depeculatorem. quem non uno loco Surius in Sanctorum fastis ob id tartaro datum asserit, longa torsione, & verendâ morte, ut loquitur *Spondanus* ad annum *Christi. 741.* consumptum. ita Deum, & Deo consecratos Sacerdotes, atque eorum bona, nemo impune diu lacessivit. nam

Sequitur à tergo ultor Deus,
Hoc graviore manu, quo gravioré pede.

13. Et si in sacris quoque Antistitibus ejusmodi deprædationes Numen tam luculenter vindicavit, quibus Jus aliquod in Ecclesias est, quid Laicis obventurum non metuamus? *Brunerum in annalibus boicis* audiamus. Hoc anno (erat post nongentesimum vigesimus sextus) inquit, avaritia tumultuata est Principis viri; sed, quod dictu fædum est, ex ordine sanctiori. *Dracolphus* is fuit, *Fruxinensis Ecclesia* Episcopus, quam *VValdonis, Vttonisq;* studio ex flammâ & ruinis extractam, respirantemque, tanto graviùs, quam incendium afflixit, quod viginti annos ad eam depopulandam nactus, etiam remotiora corripuit; cùm *Frisinga* cupiditati non sufficeret, *Mosburgenses* quoque, *Isnenses, Schöffilarienses* opes depeculatus, quadringentas denariorum libras, ut tabulæ loquuntur, infamibus spolijs corrasit: at enim cum sacrilega sitis neque sic sedaretur, hoc demum anno Danubius improbam voraginem si non explevit, certe obruit, & sepelivit. hæc Brunerus.

Sed nos, quæ reliqua sunt Quæstionum practicarum, ordine pertexamus.

14. Cæterùm, etsi jam suprà eam amplexi sententiam fuerimus, quatenus Clerici in minoribus constituti, licet re-

quisitis à *Concilio Tridentino. sess. 23. c. 6.* destituantur, quantum ad impositionem & exactionem Gabellarum à Principe Laico factam, Immunitate reali gaudeant, ea ratione suffulti, quòd Tridentinum abrogando Jus antiquum, dictas conditiones necessarias esse, solum ad hoc sanxerit, ut ijdem in minoribus constituti cum alijs personis Ecclesiasticis Privilegium quoque fori participent: libuit tamen, confirmationis ergò, cum *Diana. p. 1. tract. 2. de Immunit.* Declarationem SS Congregationis Cardinalium hìc inserere, ex quâ nostra sententia luculenter stabilitur. Ita loquitur SS. Congregatio in Epistola ad Comitolum desuper eandem requirentem exaratâ idiomate Italico.

15. Molto Reverendo Padre, sono stati altre volte considerati & risoluti nella Congregatione del Concilio i dubij, che mi scrive la R. V.

Quanto al primo, è stato deciso, che chi non hà beneficio, ò non camina con habito, e tonsura, senza altra monitione, uiene esclusо del Privilegio del foro. Quanto al secondo, la Congregatione hà sentito, ch' chierici, che mancando nelle cose contenute nel *Capitolo. 6. sess. 23. non* godano il Privilegio del foro, non per questo s' intendono privati del Privilegio del *Canone, si quis suadente diabolo.* Da questa ne sieque la risolutione al terzo quesito, Perche non togliendo il Concilio (notentur hæc verba) se non il Privilegio del Foro, tutti quell' altri Privilegij che competono à Chierici, rimangono nella dispositione della ratione commone. Con che imaginando mi &c. *Di Roma. di. 22. di. Agosto.* 1581. Di V. R. come fratello amorevolissimo Antonio Cardinale Caraffa.

Corol-

COROLLARIA PRACTICARUM QUÆSTIONUM.

Corollarium primum.

SVMMARIVM.

An eo in casu, quo Princeps contributionem super bona suorum Subditorum indicit, si ex subditis suis unus eorum interim Religionem intrat, durante Novitiatu bona illius etiamnum onerari collectâ à Principe Laico possint? n. 1.

Ratio dubitandi duplex assignatur. 2. & 3.

Respondetur negativè, cum rationibus allegatis, & est communis omnium Theologorum opinio teste Diana cit. loc. n. 4.

Satisfit rationibus in contrarium allatis. 5. 6. 7.

Respondetur objectioni quantum ad illos, qui in ordine Mendicantium Novitij sunt. 8.

1.

QUæritur primò, quid practicè respondendum eo in casu sit, quo ex justâ causâ Princeps terræ gabellam vel contributionem super bona suorum subditorum indicit, an tunc, si ex subditorum numero interim aliquis Societatem JESU, vel ordinem S. Francisci, aut Benedicti ingreditur, durante Novitiatûs anno bona illius Religionem ingressi, etiamnum onerari contributionibus à Principe Laico possint?

2. Et suaderi affirmativa posse videtur ex eo, quod talis Novitius reverâ non sit regularis, quibus indultum hoc Privilegium Immunitatis realis esse dignoscitur, utpote nullius Regulæ

gulæ approbatæ ordinem professus, eô ipsô quòd dominium bonorum liberum penès ipsum in singulari sit.

3. Deinde, cùm in sua libertate positum habeat, redire ad sæculum, vel profiteri, pro eo tempore status illius est potius in pendenti, sicut à simili discurrunt nostri Doctores de eo, qui post factum olim testamentum captus apud hostes est, & dicitur in statu pendenti constitutus ob duplicem fictionem, *Legis* scilicet *Corneliæ*, & *Iuris postliminij*. nam talis Novitius neque verè Religiosus est, neque absolutè Sæcularis, ergo Jus collectandi, quod Princeps habet in illius bona, pro eo tempore non videtur eidem negandum, præsertim cum quo ad bonorum suorum dispositionem omnia ea possit, quæ possunt alij Sæculares, veri rerum suarum domini. Et hanc sententiam tenere *Parladorum & Lassarte* Doctores hispanos, testatur *Diana. p. 1. tract. 2. de Immunit. Eccles. resol.* 38.

4. Sed respondeo, his non obstantibus, bona Novitij quamdiu talis est, amplius à Principe Laico collectari non posse. Ratio desumitur ex communi sententiâ Doctorum, quòd Novitij inter personas Ecclesiasticas, præsertim in favorabilibus computentur. quamdiu enim tales sunt, de familiâ monasterij vel Religionis existunt. Hinc & superiorum Ecclesiasticorum jurisdictioni pro tempore Novitiatûs subjiciuntur, ac parere debent, ergò mirum non est, si & personarum Ecclesiasticarum Privilegijs fruantur. Accedit, quòd sit communis sententia, Novitios & Privilegio Canonis, & Fori gaudere, sine dubiô ex eodem fundamento, quod inter Personas Ecclesiasticas recenseantur, ergo consentaneum est, ut ab hoc quoque Privilegio Immunitatis realis non excludantur. Et hanc sententiam tenere dicit *Diana* omnes Theologos, & est communis Jurisconsultorum, per eos, quos citat idem *Diana*, & *Barbos. in c. adversus. hoc tit. num.* 11.

5. Ad

5. Ad rationes in contrarium allatas Respondeo: & quidem ad primam, concedendo, Novitios reverâ, sive strictè loquendo, non esse regulares, dominiumque rerum suarum penes se interim retinere, negamus tamen consequentiam, quia non solum regularibus professis, sive propriè dictis Religiosis conceditur hoc Privilegium, sed & ijs, qui proximè in via sunt ad Religionis professionem, quales dignoscuntur esse Novitij, & locum hic sibi vendicat, id, quod dicitur in *L. penult. ff de milit. testam.* quatenus proximè cingendus habeatur pro cincto, maximè in favorabilibus, sicut ex hoc rectè inferunt *Angelus Aretinus*, & alij *instit. lib. 1. tit. 25.* paria censeri: aliquid factum esse, vel de proximo faciendum. potentia enim propinqua actui, ex mente *Baldi* ibidem, & quos citat *Schneidevv. instit cit. tit. §. item. 11. num. 2.* pro actu habetur.

6. Ad rationem secundam dico: negari non posse liberum esse Novitio redire ad sæculum, statumque illius quasi in pendenti existere, negamus tamen consequentiam, cùm & qui acolythi sunt, vel solis minoribus initiati Ordinibus, redire ad statum sæcularem possint; imò multi etiam Religiosi post simplicia vota Societatis Jesu ad sæculum redierint, quos tamen nemo negavit, quamdiu erant Novitij, hoc Privilegio Immunitatis realis gaudere.

7. Neque id, quod disponere de rebus suis Novitij, ut alij sæculares possunt, tollit, & obstat, quo minus inter Personas Ecclesiasticas computentur, utpote existentes de familiâ Monasterij, & Jurisdictioni Superiorum Ecclesiasticorum subjecti, ex eo enim solùm probatur, nondum reverâ professos esse Religionem, quod quantum ad Privilegium hoc participandum, non attenditur. Sicut militariter proximè cingendus, reverâ nondum miles est, & tamen jam eo militari

Privilegio gaudet, ut condere testamentum Jure militari possit. sicut *cit. L. penult.* dicitur.

8. Neque Dicas saltem Novitium Religionis S. Francisci non gavisurum hoc Privilegio, eò quòd ea Religio omnino incapax sit bonorum, & sic non videatur dicta religio posse derivare Privilegium Immunitatis realis in personam Novitij, cujus Privilegij illa capax non est. Nam respondemus: hoc Privilegium Novitijs concessum esse, non in quantum hujus vel illius Religionis candidati sunt, sed quatenus in via ad regularem vitam, ut sic in genere consideratam, existunt, consequenter nihil attendi debebit, num in particulari hic vel ille Ordo capax bonorum sit, vel non, cum sufficiat Novitium & inter personas Ecclesiasticas computari, & interim capacem bonorum esse.

Corollarium secundum.

Summarium.

An si Princeps contra incursus hostiles intendit urbem munire &c. teneantur Clerici illius urbis contribuere? Secundo, quid si vendat aliquod castrum praesertim Haereticis, cogi possint Clerici, ut contribuant ad illud redimendum ex manibus Haereticorum? Tertio, si Caesar contra Turcam necesse habeat munire urbes hosti vicinas, vulgò die Gräntz-Häuser / *ad contribuendum adigi possint Clerici? n. 1. 2. & 3.*

Respondetur ad primum casum negativè, ob rationem ibi allegatam & textum. n. 4.

Ad secundum & tertium casum videtur affirmativè respondendum, modo observentur quae hoc. c. n. 8. diximus.

I.

Quaeritur secundò, an si Princeps ad praecavendum omnem incursum hostilem cogitet urbem munire, portas reficere, muros restaurare, turrim

turrim ædificare, teneantur ad hoc Clerici contribuere?

2. Secundò, si contingat eundem Principem castrum aliquod vel oppidum vendere, adigendæ sint Personæ Ecclesiasticæ, saltem si in manus Hæreticornm venditio facienda sit, ut ad illud redimendum contribuant?

3. Et quid si tertiò Cæsar contra Turcam urbes, vel oppida hosti vicina, vulgò die Gräntz-Häuser / munire necessum habeat, & quid ibi Juris?

4. Quantum ad primum. Respondeo: satis ex dictis constare, Clericos tunc non teneri ad collectam, eô ipsô quòd hoc casu directè & æquè principaliter utilitatem Clericorum, urbis munitio, vel portarum, & murorum restauratio non concernat. Sicut videtur expressus esse textus *in c. non minùs.* & ibi interpretes. *hoc tit.*

5. Secundo autem casu, quo venditio oppidi in Hæreticum possessorem facienda foret, tunc non improbabile esse existimarem, sicut & tertiò quoties Imperator loca Turcæ finitima munire opus haberet, & ad hoc non sufficerent Laicorum facultates, aliaque requisita concurrerent, de quibus suprà diximus, eodem hoc capite, tunc Personas Ecclesiasticas teneri ad subsidium.

6. Et ratio est, quod hoc casu ad minus æquè principaliter, & directè hæc necessitas vel utilitas Personas Ecclesiasticas concernat, ergo concurrere ad subsidium præstandum teneantur, cùm à potiori Clericorum intersit, eos hæreticis vel Religionis Catholicæ hostibus non subjici.

Corollarium tertium.

Summarium.

An bona Clericorum patrimonialia propriè dicta, vel quæ titulo emptionis &c. aquisita noviter sunt, onerari collectis à Laicis possint, consuetudine saltem pro Laicis militante? 1.

Respondetur negativè ex ijs, quæ supra per bullam Cœnæ Domini excommun. decima octava, secundum Sayrum diximus. 2.

Quod autem sola consuetudo Laicos nihil, quantum ad hoc, adjuvet, disp. 2. c. 9. num. 3. demonstravimus.

I.

QUod tertiò quæri potest, an bona patrimonialia propriè dicta Clericorum, vel quæ titulo emptionis, donationis, aut aliâ honestâ viâ ipsis quæsita sunt, à Laicis onerari collectis possint, saltem consuetudine hoc firmante?

2. Et respondetur, satis ex ijs, quæ superius *c. 1. num. 16.* fusè dicta sunt, abundè patescit, non posse, præsertim adstipulante *Bullâ Cœnæ Domini, Excommunicatione. 18.* secundum *Sayrum.* Ubi luculentis verbis anathemate innodantur, imponentes collectas Personis Ecclesiasticis, ac eorum, & Ecclesiarum bonis, ubi cùm dictum illud eorum bonis, expressè distinguatur contra sequentem voculam: Ecclesiarum. sanè non nisi de bonis patrimonialibus, & proprijs Clericorum, sive ijs, quæ ad Ecclesias non pertinent, vel prospectu Ecclesiæ aquisita non sunt, intelligi debere dignoscitur. Et ita nobiscum sentit cum citatis à se *Diana. ubi suprà. resolut. 40. & 43.*

3. Consuetudinem autem prævalere non posse contra Immunitatem Ecclesiasticam, jam superiùs *disput. 2. c. 9.* abundè osten-

ostendimus. & in fine hujus tractatus aliqua utiliter subjiciemus, cùm ea potius corruptela sit & passim à *SS. Canonibus* tam de præterito introducta quàm in futurum introducenda, reprobatur.

Corollarium quartum.

Summarium.

An Princeps Laicus, si pecunijs indiget, possit per modum contributionis à personis Ecclesiasticis, volentibus tamen & liberè consentientibus eas petere, cum onere in fine anni easdem restituendi? 1.

Ratio dubitandi. n. 2.

Respondetur affirmativè, modo non sit extortus consensus & coacta voluntas. n. 3.

Diluitur ratio dubitandi. n. 4.

1.

QUæritur quartò, quid dicendum eò in casu, quo Princeps, cùm certam pecuniæ summam necesse habeat, nec ea inpræsentiarum ad manum sit, eandemque per modum contributionis à Personis Ecclesiasticis, volentibus tamen, & liberè consentientibus exigit, cum onere in fine anni restituendi, an id facere Princeps de Jure SS Canonum possit?

2. Et videtur negativa probari posse, ex eo, quod cum renunciare privilegio Immunitatis realis Clerici non possint, ut suprà ab initio *disput. 1. c. 2.* vidimus, neque inconsulto Summo Pontifice, alijsque concurrentibus requisitis, contributionibus etiam volentes subjici, ut antecedenter quoque probavimus, non videtur id Princeps facere posse.

His tamen non urgentibus, affirmativam existimo probabiliorem esse, atque per modum etiam contributionis, eo modo

do à volentibus, & consentientibus Clericis dictam pecuniæ summam exigi posse. Ratio nostræ assertionis est, quod reverâ, & in effectu præstatio ejus Summæ potius rationem mutui habeat, quam contributionis propriè dictæ, consequenter illicitum non sit, principem ex contractu mutui accipere à Clericis volentibus promissam pecuniæ Summam. Mutuum enim dare posse Clericos Laicis, modò non sit extortum minis, vel alijs illicitis modis, præsertim in necessitate, & quidem Principi, in cujus terrâ degunt, nemo Sanus dubitat, modo non fiat fraudulenter, & cum præjudicio Clericalis Privilegij.

4. Atque sic intelligis, rationem dubitandi nihil stringere; quæ solum obtinet in casu veræ, & propriè dictæ contributionis. Neque morari in contrarium debet, quod ejus pecuniæ exactio fieri dicitur per modum contributionis, quia non tam attenditur, quid dicatur, quam quid fiat. verba enim secundum subjectam materiam intelligenda sunt, ut dicitur *in notis ad Schneidevvinum, instit. lib. 2. de legat. §. Sed non usq. num. 10.* cum verba debeant servire intentioni. *L. Labeo. ff. de suppellect. leg. L. scire. ff. de legib. & c. humanæ. 22. q. 5* consequenter contra Immunitatem Ecclesiasticam non erit, hôc casu & modô pecuniam à Clericis Principem accipere.

Corollarium quintum.

SUMMARIUM.

An communitas vel Princeps, qui ob justam etiam causam precium Carnis, vini &c. quadantenus augent, quàm antè hàc vendi solebant, non quidem directè in gravamen Clericorum, sed generaliter onerando illorum emptores, venditoresvè, incidant tanquam violatores Immunitatis in Excommunicationem Bullæ Cænæ Domini? n. 1.

Ratio dubitandi n. 2. & 3.

Respondetur probabilissimè, hoc casu non effugere censuram Excommunicationis 4.

Assignatur ratio decisionis. 5.

Respon-

1.

QUæritur quintò, an Communitas, vel Princeps, qui ob justam etiam causam precium carnis, vini, cerevisiæ, olei, butiri, &c. per modum tributi inde colligendi, quadantenus augēt, quàm illa ante hàc vendi solebant, non quidem directè in gravamen Clericorū, sed generaliter gravando illorum emptores, venditorésve, tanquam ex capite violatæ Immunitatis incidat in Excommunicationem Bullæ Cænæ Domini?

2. Et ratio dubitandi est, quòd de modicis non curet Prætor, (supponitur enim modicum esse gravamen) neque quæ exigui momenti sunt, de Jure veniunt in considerationem. *L. in rebus. ff. commodati. L. si quis. ff. locati. argumento. c. Episcopus. 11. q. 3. & c. etsi. de Simonia.*

3. Secundò. quia sine grandi molestia eximi Clerici non possent, saltem, si eò casu gravamen, & augmentum precij vino vel Cerevisiæ esset impositum, quo illa ex communi tabernâ, ut plerumque fieri solet, petenda forent. atque hoc licere,

licere, tenent ex mente *Diana. dicto loco. resolut.* 46. *Angel. Sylvester, Astensis, in Summa*, & aliqui Theologi.

4. Sed non obstantibus his dubitandi rationibus, & Doctorum allegatorum authoritatibus. Dicimus: ex augmento precij redundante in præiudicium, & gravamen Statûs Ecclesiastici, saltem indirectè, Principem, vel Communitatem non effugere censuram excommunicationis.

5. Ratio manifesta desumitur ex *Bulla Cœnæ Domini*. ubi Laici excommunicationi subjiciuntur, tametsi solùm indirectè inde gravamen personis Ecclesiasticis inferatur. quod cùm in præsenti casu contingat, sequitur necessariò, censuram excommunicationis illos non effugere.

6. Neque dici potest, modicum fore præjudicium, quod Clericis infertur, etsi solùm vini vel cerevisiæ precium, ultra debitum vel solitum, aliquot nummis augeatur, cùm ex tot iteratis nummorum exactionibus. quos Clerici tunc vi statuti ratione vini, vel Cerevisiæ, aliarumque rerum vendibilium successivè pendere tenebuntur, notabilis sanè summa emergat, quæ meritò non modici gravaminis culpam secum veheret.

7. Et propterea etiam *Henriquez*, qui contrariam sententiam amplectitur, *lib. 5. c. 15. in glossa. Littera. P.* eò se resolvit, ut sentiat, aliam tunc esse statuendam tabernam, ad quam pro vino, vel Cerevisiâ sine tributo emendis confluere possint personæ Ecclesiasticæ.

8. Si dicis, ut supponitur, ex justâ causâ ob communem utilitatem vel necessitatem Clericos, & Laicos æqualiter concernentem, ejusmodi tributum vino, aut cerevisiæ esse impositum, ergo Clericos tergiversari non posse.

9. Respondetur: justam causam non sufficere ad imponendum vino vel cerevisiæ tributum, nisi alia quoque requisita,

ſita, de quibus ſuprà diximus, interveniant. conſequenter prius Cleri conſenſus deſuper requiri debuiſſet, aliaque de quibus mentionem fecimus, quando ad conſultum in cauſa extraordinariæ contributionis ſuperiùs reſpondimus. Et ita rectè nobiſcum ſentit *Diana, cum citatt. reſolut.* 46. dicto loco.

10. Unde à fortiori intelligis, indubitanter excommunicationem incurrere Laicos, qui non tantùm in genere precium vini vel Carnis tributo ſubjiciunt, ſed in ſpecie, & particulariter illud exigunt, & extorquent à Clericis vel Religioſis, etiam in ijs, quæ illi quo ad vinum v. g. cereviſiam, vel carnem in ſuos neceſſarios, & quotidianos uſus impendunt, & conſumunt, tenenturque prædicti Laici, præterquam, quod peccatum mortale, & excommunicationem Papæ reſervatam incurrunt, quotquot ita circa vinum, vel carnem, aliasvè res vendibiles tributo. vulgo: Fleiſch-Pfenning / Bier- oder Wein Auffſchlag. perſonas Eccleſiaſticas gravant, ad reſtitutionem in conſcientiâ. neque aliter abſolvi poſſunt ab excommunicatione. Quod utinam altiùs penetraret animos, & conſcientiam eorum, qui malè principibus authores ejusmodi Steurarum ſunt, ne, dum ærarium Principum cum aliorum injuriâ, contra *SS. Canones* locupletant, Principum Principi Deo, tot injuſtitijs obærati, pœnarum æternitate fiant obnoxij. ſed enim:

Non miſſura cutem eſt, niſi plena Cruoris hirudo.

11. Et ſi tributorum, exactionumque frequentia, & uſus tam periculoſus eſt, etiam ubi neque jus, neque jurisdictio deficit, ſicut perpulchrè *Mauclerus. p. 3 lib. 2. c. 9. &* 10. *de Monarchia ſæculari Chriſtianâ* commonſtrat, quantis conſcientiæ læſæ caſibus obruentur, qui Juris quoque Divini rei, perſonas Eccleſiaſticas ſibi nullo jure ſubjectas tam impudenter tri-

butis atterunt? quos nemo ſanus, & Sciens Juris Canonici, ijsdem ſubjici poſſe à Laico, unquam ſomniavit.

12. Atque, ſi teſte *Polydoro. lib.* 8. *Historia Anglica, & P. Ribadeneira. lib. 2. de principe Christiano*, c. 20. Dæmonem acervô pecuniæ ex tributis accumulato Eduardus, tertius Anglorum Rex, accubuum & geſticulantem tremebundus ſpectavit, nunquid meliori jure ſtabulabitur in ærario, ex iniquis Clericorum exactionibus crudeliter acervato? ut non injuriâ cum Claudiano proclamare liceat.

Impia continui ceſſent augmenta Tributi.

13. Guilhelmum Angliæ Regem, ait *Raphael Volaterranus. lib.* 3 *graphia.* Eccleſiaſticos vectigalibus exagitantem, cum morte decederet, vidiſſe Ecelinum, virum ſanctiſſimum, eundem *S. Albano* Angliæ Protomartyri pænas ſceleris dediſſe. Et impune interim ludent Eccleſias, & Eccleſiaſticos ſceleſti harpagatores? Timeo, ut ludant, utinam non æternum inter tormenta ejulaturi. Ego vero molliori voto his hirudinibus optârim, quô publicanos olim ſuos *Veſpaſianus* ſpongiarum inſtar habebat, ut cùm affatim de ſanguine & peculio ſubditorum ſe ingurgitâſſent (nam quotusquisque novarum exactionum faber, & artifex non diteſcit?) ut comprimantur à Principibus ijdem, reddituri, quæ injuſtè ex ſubditorum pecunijs ſuxiſſent.

Conſulent ergo ſuæ conſcientiæ noſtri Principes, ut, ſi quidem neceſſitas tanta ad contribuendum urgeat, deſuper Summus Pontifex adeatur, cujus conſenſu & conſilio ejusmodi tributa, quæ Clerici quoque præſtent, carni, vino, vel cereviſiæ, meliori conſcientiâ, addicantur.

14. Pulchre hanc noſtram ſententiã, quæ quaſi in terminis deciſa videtur in *c. quanquam. de cenſib. in* 6. etiam tuetur cum citatis

citatis à se *Zerola. in sua praxi Episcop. p. 1. verbo. Clericus.* §. 9. *& sequenti.*

Corollarium sextum.

Summarium.

Quid sentiendum de vectigalibus, vel tributis communi Provinciæ statuto generaliter, ac omnes indifferenter tangente, v. g. vino, vel cerevisiæ impositis, vulgò Wein / oder Bier Auffschlag / *an ijsdem etiam Clerici teneantur inconsulto Summo Pontifice, justâ etiam causâ ea imponendi subsistente? n.* 1.

Affirmativa passim de facto practicatur. 2.

Communis necessitas aq; Clericos ac Laicos tangens non sufficit, ut sæpiùs supra dictum est. 4.

Pro negativâ, nostra resolutio, & communis Canonistarum est. 3.

Debet ad ejusmodi exactionem, quo ad Clericos justificandam, consensus Sedis Apost. desuper requiri. 5.

1.

QUæritur sextò. quid sentiendum de vectigalibus communi Statuto, generaliter, ac omnes pariter tangente, vino vel Cerevisiæ impositis. vulgo **Wein oder Bier Auffschlag**. an personæ quoque Ecclesiasticæ sine læsione & injuria Immunitatis eis concessæ, legitimâ etiam ea imponendi subsistente causâ, inconsulto Summo Pontifice, subjici ijsdem à Laicis possint?

2. Respondeo: Tametsi videar contra torrentem moliri gradum, lacessendo communem usum, indifferenter exigendi ejusmodi vectigalia, quia tamen de jure SS. Canonum, & pro libertate Ecclesiæ, quæ Christi Sponsa existit, mihi disserendum est, & non quà itur, sed quà eundum, indicinam fieri oportet.

3. Sanè non video, quomodo vel consuetudine, vel quâ ratione hæc vectigalium exactio, ut contra Immunitatem Ecclesiasticam, & consequenter peccato mortali & excommunicationi Pontificiæ obnoxia non sit, fulciri possit, adeò, ut nequidquam dubitando satagam.

4. Nam una solùm, colorare hanc vectigalium ab Ecclesiasticis exactionem, posse videbatur esse ratio, communis scilicet necessitas, æque principaliter Clericos & Laicos concernens, sed nisi velare veritatem malimus, fucum merum dixerimus, non fundamentum. nam satis abunde superiùs probatum ex Jure *SS. Canonum* est, solam causam rationabilem, communem scilicet utilitatem vel necessitatem, concurrere quidem debere, sed non satis esse, ut exinde mox à Laicis personæ Ecclesiasticæ subjici contributionibus possint: cùm quatuor requisita ex præscripto *SS. Canonum* necessaria esse demonstraverimus. quamdiu ergo illa non concurrunt, contra conscientiam Principes Laicos ejusmodi exactionem vectigalium moliri, asserere cogimur.

5. Si enim conscientiæ suæ tam animosè confidunt, cur Summum Pontificem desuper non consulunt? illius consensum, ut genuini Ecclesiæ filij sint, non implorant? si enim ea necessitas æque principaliter Clericos ac Laicos tangit, si Laicorum facultates non suppetant, si sine rationabili causâ Episcopus, & Clerus requisiti renuant assentiri, non dubitent his concurrentibus, Pontificem ad tranquillandas eorum conscientias libenter authoritatem suam interpositurum esse. Sed plerumque aliud latet sub sipario, quod scænam corrumpit, in quo censuram publicam vereantur. Et hoc est, cur Sedis Apostolicæ consilium, & consensum prætereant. utinam tanto periculo vectigalem animam divino Judicio olim non stituri.

Corolla-

Corollarium ſeptimum.

SUMMARIUM.

An lædatur Immunitas, caſu, quo princeps certum & legitimum precium ſtatuit, vino v. g. vendendo pro unâ urnâ 10. Fl. pro menſura decem crucigeros, & poſtea ejus vini emptori Laico imponit gabellam, quam præter precium ante conſtitutum ac venditori numerandum, debeat emptor Laicus pro neceſſitate publicâ contribuere? 1.

Multi affirmant & tunc lædi Immunitatem, citati à Diana, allegata reſolut. n. 2.

Rationes pro hac opinione. n. 3. & 4.

Negativa ſententia videtur verior. 5.

Rationes ad ſtabiliendam hanc ſententiam afferuntur. 6. & 7.

Limitatio noſtra ſententiæ in caſu poſito. n. 8. cum Zerola.

Reſpondetur ad rationem ſuperiùs. n. 3. & 4. allatam pro contrariâ ſententiâ. n. 9. & 10.

1.

MAjor eſt difficultas, an, quod ſeptimò Quæri poteſt, eo quoque caſu lædatur Immunitas Eccleſiaſtica, quo Princeps vel Reſpublica ſtatuit primò precium certum & legitimum, vino v. g. vendendo, pro unâ urnâ vel amphorâ decem florenos, pro menſurâ decem crucigeros, & poſtea ejus vini emptori Laico imponit gabellam, vel tributum, quod præter precium certum, & à ſe conſtitutum, ac venditori dandum, debeat emptor Laicus contribuere pro neceſſitate publicâ?

2. Et allegantur non pauci à *Diana. dicto loco. reſolut.* 49. qui affirment, tunc quoque Immunitatem lædi.

3. Ratio illorum quadantenus est, quod ementes à Clericis non tenentur de jure communi ad gabellam, ergo si contrarium statuto caveatur, erit id contra libertatem Ecclesiasticam, secundum quam Clerici liberè possunt contrahere cum Laicis, nec hi propterea tenentur solvere gabellam.

4. Secundò, ut ratiocinatur *Lessius* & *Molina* ibidem à *Diana* citati, urgere videtur, quod gabella sit pars precij, ergo videntur Clerici manifeste gravari, eo ipso, quod taliter vendere debeant, & non aliter, & consequenter difficiliùs distrahere rem suam poterunt, quàm si liberè ipsis vendere concessum esset, neque gabella partem precij constitueret.

5. Ego tamen his, vel similibus dubitandi rationibus non obstantibus, censeo: sententiam negativam multò probabiliorem.

6. Atque ejusmodi statutum; vel dispositionem contra Immunitatem Ecclesiasticam non esse, cùm neque indirectè etiam lædatur hoc casu Ecclesia; percipit enim illa justum precium rerum suarum.

7. Deinde exemptio personarum Ecclesiasticarum solùm id intendere videtur, ut ipsi Clerici respectu rerum suarum, quas comparant, vel vendunt, immunes sint à tributis. Ergo illorum non interesse videtur, etsi Laici, qui ab ipsis aliquid præstinant, occasione rerum ab eis emptarum tributo subjiciantur.

8. Aliud dicerem eo in casu, cum *Zerola*, ubi suprà, obtinere, quo in genere super vino quibusvis vendendo à Principe Laico tributum imponeretur, quatenus scilicet pro mensurâ unâ, duo v. g. crucigeri nomine tributi ab ementibus solvantur. tunc enim sine dubio indirectè Clerici, à quibus emitur, gravantur. debebunt enim necessariò vilius vendere,

dere, ut emptores Laicos, qui ex tali re empta duos crucigeros tributi loco pendere tenentur, nancifcantur, ut per fe patet. neque enim tunc certum precium, ut fupponitur, definitum, & diftinctum à gabella eft; fed incipit gabella pars precij effe, quod fine dubio in præjudicium Clericorũ vergit. poterant enim priùs menfuram vini decem v. g. crucigeris vendere, jam, cùm debeat emptor duos crucigeros ex tali menfurâ tributi loco pendere, non emet nifi octo crucigeris. & fic in effectu ipfi venditores Clerici tributo duorum crucigerorum gravabuntur. & locum habebit Sententia *Leſſij* & *Molinæ*, quatenus gabella partem precij conftituat.

9. Ad rationem primam pro contrariâ fententia allatam Dico: revera libertatem Ecclefiafticam primô cafu non lædi, cùm nullum præjudicium Clericis inde oriatur, etfi emptores Laici præter conftitutum certum precium rei â Clericis emptæ, teneantur aliquid feparatum à precio, loco tributi pendere.

Deinde. hæc penfio tributi, ut fupponitur, non propterea conftituta eft à Principe Laico, quòd quis à Clerico emat. Hoc enim citra dubium effet in præjudicium, & odium Ststûs Clericalis, & contra libertatem Ecclefiafticam, fed ita generaliter ad relevandam neceffitatem publicam provifum, ac conftitutum eft, ut, quicunque Laici emerent vinum, certum ex eo, præter determinatum precium, tributum folverent, quod in nullo lædit Clericos, vel eorum Immunitatem.

10. Ratio *Leſſij* & *Molinæ*, qui tenent: gabellam partem precij effe, hoc priori cafu non fubfiftit, in quo luculenter precium à gabella præftanda feparatum eft, etfi non negemus, in pofteriori facti fpecie, quam *Zerola* ponit, partem precij effe, & propterea etiam fenfimus, eo in cafu, impofi-

tionem

tionem gabellæ in præjudicium Immunitatis Ecclesiasticæ redundare, & ob id illicitam esse, cùm saltem indirectè eandem lædat, ut suprà vidimus.

Corollarium octavum.

Summarium.

Quando statutum municipale Civitatis, vel principis est, ut, si bona ex titulo legati, donationis, vel testamenti, aut alio quovis modo & titulo lucrativo alicui extraneo deferantur, qui de illa civitate & provincia non est, an teneatur is, si quidem legatum, donatio, aut obvenientia ex testamento, aut alio simili titulo in pecuniâ consistant, præstare censum Provinciæ, vel Civitati, vulgò die Nach-Steür / *si Clericus sit, vel persona Ecclesiastica? num. 1.*

Pro affirmativâ allegatur praxis & consuetudo passim usitata. 2.

Probatur ratione. 3.4.

Respondetur negativè, & allegatur textus. 5.

Confirmatur decisio variis textibus, etiam ex Iure civili adductis. 6.7.8.

Hanc nostram sententiam in terminis tenet Panormit. cit. loc. n. 9.

Ratio manifesta pro ista opinione. 10.

An non possint ejusmodi onera imponere Clericis saltem Episcopi & alii, qui majori adhuc in Ecclesiâ dignitate fulgent, habentq; , saltem ut in Germaniâ, Territorium temporale tanquam Principes Imperii? 11.

Respondetur ad argumenta in contrarium adducta. 12.13.14.

1.

Quæritur octavò. Casu quo Statutum municipale, vel Civitatis est, ut si bona ex titulo legati, donationis, vel testamenti, aut alio quovis lucrativo alicui extraneo deferantur, qui de illa civitate, aut provinciâ non est, teneatur is, si quidem legatum, donatio, aut obvenientia ex testa-

ex testamento in pecunia consistant, præstare certum censum provinciæ, vel civitati, vulgo **die Nachsteur** / an si ejusmodi Summa pecuniæ ex nominatis titulis deferatur in Clericum, vel aliam personam Ecclesiasticam, quæ non sit de illa civitate, vel provinciâ, illi adstringantur ad eundem censum solvendum, sicut Sæculares extranei tenentur?

2. Et primò. Pro sententiâ affirmativâ potenter militare videtur praxis & consuetudo, quæ passim in viridi est, atque indifferenter tam in territorio principum Ecclesiasticorum, qnam Sæcularium observatur.

3. Secundò. Ratio est, quòd, cùm ejusmodi bona omninò subsint jurisdictioni Domini Territorialis, etiam Statutis circa eadem factis, & observandis subjacebunt, ergo qui volet bona, debere etiam videtur parere dispositioni in genere factæ circa bona, sicut fusè, quo ad hanc Statutorum materiam, notat *Abbas. in c. cùm venissent. de eo, qui mittitur in possessionem.* Et communiter Doctores nostri *in c. Ecclesia. de constitutionibus.*

4. Tertiò. Tametsi Laici directè circa personas Clericorum, & eorum bona disponere non possint, videntur tamen in genere posse Statuta facere, quæ & Clerici, si eorum foro uti, & gaudere velint, teneantur observare, consequenter Clericus, vel Monasterium volens ex titulis prædictis talem capere pecuniæ Summam, tenebitur censum ex Statuto impositum tali Summæ pecuniæ, eundem præstare.

5. His tamen non obstantibus Dico: Clericos, Ecclesiam, vel Monasterium ex ejusmodi pecuniâ titulis præfatis sibi

alibi quæsitâ non teneri ad eum censum. vulgo Nachsteur/ solvendum. per optimum textum. *in c. quanquam. de censibus. in 6.* ubi districtiùs prohibetur, ne pro rebus suis proprijs Clerici aliquid solvere, tanquam censum, cogantur. atqui ea, quæ titulo lucrativo aquirunt, sunt res ipsorum propriæ; ergo ad nihil solvendum ex ijs cogi possunt.

6. Confirmatur hæc nostra sententia *ex §. quamvis. causa. 23. q. 8.* ubi ex Jure divino probat *Gratianus*, Sacerdotes in omni gente liberos esse oportere, sive ut *glossa* ibidem loquitur, de exterioribus non teneri solvere tributum. & bene adducit eadem causâ & quæstione ad hoc probandum *Gratianus in c. in qualibet.*

7. Constitutionem *Valentiniani & Theodosij.* ubi obsequijs divinis inservientes nullius attentationis, id est exactionis, ut *glossa* ibidem interpretatur, molestiam sustinere debere decernunt.

8. Et *Iustinianus* ibidem allegatus quasi in terminis, si bene expendatur, nostram sententiam firmat, dum dicit: Res mobiles ad Ecclesias vel Monasteria descendentes ex qualicunque liberalitate sive inter vivos, sive mortis causâ, Immunes esse debere, NB. ab lucrativorum inscriptionibus, quibus quarta pars ex hujusmodi relictis, ut ibi notatur in glossa, vindicabatur à fisco.

9. Et hanc nostram sententiam in terminis tenet *Panormitan. c. finali. de vit. & honest. Cleric.* ubi ita loquitur: Idem dic: si aliquid donatur, vel relinquitur Ecclesiæ, ut non teneatur solvere certum pro libra (sive ut in nostro casu. Zehen oder fünff Gulden vom hundert)

hundert) ſecundum Statuta quorundam locorum. eandem opinionem amplectitur & defendit idem *Panormit. lib. 2. conſiliorum, tertio. & ſexto conſilio.*

10. Et ratio manifeſta eſt pro hac Sententia, quia cùm ex ejusmodi Summa ad Clericum perveniente certa quota alio titulo non detrahatur, quam tributi vel censûs, hinc vulgo nomen accepit, ut communiter indigitetur Nachsteur/ ad tributa autem vel Cenſus, Clerici etiam ob communem neceſſitatem non teneantur, niſi concurrentibus de jure requiſitis, quorum *c. 6. hac. diſp. 3. n.* 8. meminimus, non video, quomodo tutâ conſcientiâ, & ſine violatione Immunitatis Eccleſiaſt. ac conſequenter abſque periculo peccati mortalis, & incurrenda excommunicatione exigi à Clericis, alijsque perſonis Eccleſiaſticis ejusmodi cenſus, ſive Nachsteur/ poſſit, cùm aliàs per ſe, etiam quo ad ſæculares, tales novæ exactiones de jure quoque civili prohibitæ ſint. ut notatur in cit. *c. quamquam. de cenſibus. in 6.*

11. Neque differentiam ponimus inter Principes Eccleſiaſticos & Sæculares. ſed æqualiter utrinque prohibitum ſub cenſurâ anathematis dicimus, ne ejusmodi exactionibus vel ſteuris perſonas Eccleſiaſticas onerent. imo gravius peccant Principes Eccleſiaſtici, ut ſunt in noſtra Germania Epiſcopi, qui cùm, velut deciditur *in Clement. Præſenti. tit. de cenſib.* compeſcere alios publicatione excommunicationis ab hujusmodi auſu temerario deberent, ipſi præſumunt corruptiſſimô exemplô præire. Et ita ſentit nobiſcum etiam *Sylveſter. verbo. Immunitas.* 2. § 9. Conſequenter Principes Eccleſiaſtici vel Epiſcopi Clericos ſuos, aut regulares onerantes ſine conſenſu Summi Pontificis novâ & non ſolitâ, vel de jure. *SS. Canonum*, conceſsâ exactione Decimarum, charitativi

subsidij quotannis præstandi, alijsque adinventis modis, & medijs contribuendi, easdem Censuras incurrunt, quas Laici, cùm eodem reatu violatæ Immunitatis Ecclesiasticæ obnoxij sint.

12. Ad argumenta in contrarium allata Dico: Et quidem quantum ad consuetudinem, quæ dicitur in viridi passim observari, eam potius corruptelam esse, & reprobatam à jure Canonico, ut jam sæpiùs diximus.

13. Ad secundum concedimus, ejusmodi bona subesse urisdictioni Domini Territorialis, posseque circa illa statuta fieri, modo non cedant in præjudicium Immunitatis & exemptionis Clericorum. Negamus autem etiam in genere facta statuta subsistere, si illa veniant contra exemptionem, quam habent Clerici à steuris & contributionibus,

14. Et sic patet etiam responsio ad tertium. tenentur enim Clerici solùm statutis fori illius, in quo degunt, factis circa formam contractuum, emptionum. v. g. venditionum, permutationum, locationum &c. non autem, quæ sunt contra illorum Immunitatem, & exemptionem. etiam indirectè, ut suprà vidimus. consequenter neque Ecclesiastici, neque Sæculares Principes, vel Magistratus possunt ejusmodi Steuras ex pecuniâ ad Clericos præfatis titulis lucrativis proveniente, sine peccato mortali, inconsultô Romanô Pontifice, ab Ecclesiasticis petere vel extorquere Et propterea etiam communiter tenetur à nostris Doctoribus, quòd, tametsi donatio ultra quingentos solidos de jure civili fieri non possit sine insinuatione à Laico in Laicum, illud tamen non procedat, quoties illa fit in Ecclesiam vel Ecclesiasticos, qui hujusmodi legibus vel statutis non comprehenduntur.

Dispu-

Disputatio IV.

DE IMMVNITATE ECCLESIASTICA LOCALI.

CAPUT PRIMUM.

De natura & origine Immunitatis Ecclesiasticæ Localis.

SVMMARIVM.

Quid sit Immunitas localis? 1.
An etiam Immunitas localis de Iure divino originem ducat? 2.
Quid respondendum ad textus ex veteri testamento adductos? 3.
Potest non improbabiliter teneri, etiam hanc localem Immunitatem secundum Theses suas generales Iuris divini esse. 4. 5. 6.
Cur obesse non debeat, istam Immunitatem quantum ad casus particulares variè mutari, ut tamen nihilominus credatur esse Iuris divini? 7.
Probatur exemplo de residentia Clericorum etiam superiùs adducto. 8.
Quando potissimum in usu caperit esse apud Christianos? 9.

I.

DIximus hucusque satis fusè de Immunitate Clericorum, personali, ac reali, restat, ut expediti ab utraque hac specie, tertiam in ordine, localem tractaturi aggrediamur.

1. Exorsuri igitur ab ejus definitione. Dicimus: Immunitatem localem aliud nihil esse, quam prærogativam quan-

dam,

dam, & exemptionem Ecclesijs, alijsque locis Ecclesiasticis competentem. neque moramur hic, definitionis verba longùm elucidaturi, quando in ipso materiæ hujus decursu affatim constabit, quid per voculam prærogativæ, vel exemptionis Ecclesiæ, Ecclesiasticorumque locorum, intendamus.

2 Cæterum tametsi indubium nobis videatur, utramq; speciem Immunitatis Ecclesiasticæ, de quâ hucusque disputavimus, personalem scilicet, & realem, juris divini esse, circa tamen hanc tertiam speciem, Immunitatis, videlicet localis, majus dubium est. nam fateor, expressam Ecclesiæ decisionem, & particulariter super hâc specie, quod juris divini sit, conceptam, vix allegari posse.

3. Et licet secundum *Covarr. lib. 2. var. resolut. c. 20. n 2. legamus Exodi. 2. Iosue. 20. Deuteron. 19.* Aram confugij, Dei Privilegio in veteri testamento constitutam esse, quia tamen leges veteris testamenti, quæ in jure naturali non consistunt, adventu Christi expirârunt. *per c. translato. de constitut.* & tradit. *S. Thomas. 1. 2. q. 98. art. 1. & 94. art. 3.* ut eum citat *Covarr.* ibid. aliàs communiter. *q. 103. art. 3. & q. 104. art 3.* non videtur hæc Immunitas hodie aliter obligare, quam de jure Canonico, vel civili: per textus allegatos *à Laymanno de Immunit. Eccles. lib. 4 tract. 9. c. 3 n. 1.*

4. Interim improbabiliter omnino non sentiret, si quis diceret: hanc etiam Immunitatem localem secundum Theses quasdam generales, juris divini, vel naturalis, saltem secundarij esse. Ratio ad hoc probandum assignari potest, quòd *Concil. Trident. sess. 25 c. 20. de reform.* indifferenter, & illimitate dicat: Ecclesiæ, & personarum Ecclesiasticarum Immunitatem Dei ordinatione, & Canonicis sanctionibus constitutam esse. Maximè, cùm, si propriè

loqui

loqui velimus, saltem ex mente *Cajetani in Summa. verbo. Immunitas.* §. 1. ut illum allegat *Barbos. in suo tract. Iur. univers. Eccles. lib 2. c. 3. n. 1.* Immunitas ad Ecclesias & templa, & consequenter loca, pertineat, libertas verò Ecclesiastica ad personas.

5. Tum quia, si antiquitus in veteri testamento, *c.* 21. *Exodi.* ubi solùm in figurâ per vitulos & arietes sacrificabatur, jure divino hæc Immunitas in honorem templi sancita est, non videtur esse ratio, cur in novo testamento eadem Immunitas eodem jure perdurare non debeat, cum expresse revocata non sit, vel abolita tantummodò fuerit, quatenus templo competebat, ut illud erat locus sacrificulorum, & sacrificiorum solùm in figurâ contingentium, quæ jam perfectiori modô in novo testamento fiunt. ut adeo, cùm & templa, & templorum sacrificia, cultusque divinus ibi celebrari solitus etiam hodie, licet modò longè perfectiori, durent, perdurare quoque hæc Immunitas, & quidem de jure divino, censeri etiamnum possit. vide quæ proportionaliter à Levitis veteris testamenti, etsi multò imperfectioris tunc ordinis, de jure divino exemptis, ad nostros Sacerdotes argumentati sumus, ab initio hujus *tractatus. disp. 1. c. 2.*

6. Tum quia, ut notat & attestatur idem *Covarr. dicto loco.* passim apud omnes gentes hæc locorum sacrorum Immunitas usitata fuit. sicut & nos ab initio in hac materia, allegata *disput. & capite* per exempla demonstravimus. ut adeo ex doctrinâ Interpretum ad *Institut. tit. 2 de iure natur gentiam & civil.* non improbiliter ominari possimus, hanc Immunitatem ad minimum juris naturalis secundarij existere. per ea, quæ notat ibidem *Schneidevvinus.* §. 1. *n. 6.* argumento illorum, quæ *Iustinianus* constituit, & sanxit *in* §. *singulorum.* ibi;

ibi: rerum dominium nanciscimur jure naturali. vide etiam *Castrens. In l. 1. ff. de pactis.*

7. Nec obstat. tametsi variè transformari, restringi, & limitari hanc Immunitatem quo ad casus particulares à Jure positivo, & Canonico objicias, cùm tamen jus divinum immutabile sit. nec dispositioni, aut alterationi Legislatoris humani subjaceat. Respondemus enim, communem esse sententiam *teste Abbate. in c. finali. de consuetudine*, ea, quæ sunt juris divini vel naturalis, secundum Theses quasdam generales, limitari pro varietate casuum particularium, & qualitate personarum singularium à Jure positivo posse, etsi absolutè, secundum quod jus divinum aliquid generaliter dictat, & præcipit, ejusmodi Immunitas tolli à Legislatore humano non possit. cùm inferior in jus superioris facultatem non habeat, nec potestatem illud abolèndi, vel corrigendi.

8. Exemplum esse potest in residentiâ Clericorum, quo ad beneficia curata, quam Juris divini esse, tam Theologi, quam Canonistæ communiter tenent, & tamen quis nescit, quantum transformata, restricta, vel ampliata à jure positivo SS. Canonum fuerit? ut videre est per Interpretes *toto titulo. de Cler. non residen.* & docet *Barbos. ad Trident. sess. 23. c. 1. & sess. 6. c. 1. & 2. & de pot Episcop. p. 3. alleg. 53.*

9. Tametsi igitur juris divini hanc Immunitatem localem esse, etiam hodie satis probabiliter defendi posse videatur, Certum tamen est, usum ipsius, ut plurimum, incepisse à tempore *Constantini Magni*, quo templa solenniter dedicari cœpta sunt. teste *Suarez. de Religione. tom. 1. lib 3. c. 9. n.* 12. Et privilegium hoc, quatenus confugientes ad Ecclesias ab ijsdem extrahi non possint, innovatum fuit in Concilio *Toletano. 12. Anno Domini. 682.* habito *nono die mensis Ianuarij.* sicut testatur *Barbos. dicto tract. jur. univers. Eccles. lib. 2. c. 3. n. 37.*

Quam-

Quamvis de antiquissimo ejus privilegij usu textus non incelebris sit in *c. antiquitas. c. frater. c. minor.* 17. *q.* 4. & testatur *Sylvester. verbo. Immunitas.* 3. *num.* 1. *Angelus de maleficijs. verbo. in scalis S. Petronij. Navar. in manual. c.* 25. *num.* 18. *Cardinalis Thuscus. verbo. Ecclesia. conclus.* 9. *&* 10. *& verbo. Immunitas. concl.* 59.

CAPUT II.

Utrùm, quod communiter Haeretici objiciunt, si huic Immunitati locus sit, Ecclesia det occasionem delinquendi, ac peccata foveat?

SUMMARIUM.

Haeretici passim invehuntur in hanc Immunitatem, & Pontifices eam concedentes. n. 1.

Argumenta Haereticorum, quae contra eam, objiciunt. Primum, quia interest Reipublicae, ne delicta maneant impunita 2.

Secundum, Ecclesia non debet dare occasionem delinquendi. 3.

Tertium, Deus & Ecclesia abhorret delicta, ergo ejusmodi Immunitate fovere non debet. 4.

Quartum, olim pauca fuere asyla, quae modò admodùm frequentia sunt, & multiplicata, ergo aboleri illorum frequentiam Reipublicae interest. 5.

Immunitas haec non est introducta in favorem, & manutenentiam delictorum, vel peccantium, quantum est ex intentione Ecclesiae, sed praecisè & directè ob honorem Dei, & locorum Deo dicatorum. 6.

Deum ipsum iniquitatis arguunt Haeretici, si tolli absolutè volunt hanc Immunitatem confugientibus ob delictum ad Ecclesias, nam & Deus constitui civitates refugij praecepit, in quas delinquentes confugiendo mortem effugerent. 7.

Etiam ductu & lumine naturae illustrati gentiles passim ejusmodi asyla esse sacra, & tuta delinquentibus voluêre. 8.

Abusus, qui irrepunt, sciunt Pontifices & volunt tollere. 9.

Respondetur ad primum argumentum adversariorum. 10.

Propter hanc Immunitatem delicta absolutè non foventur, neque praecisè manent impunita. 11.

Sicut interest reipublicae, delicta non manere impunita, ita à potiori interest ejusdem, ut Ecclesiae Immunitatem indulgeant confugientibus ad eas, ob reverentiam, & honorem Deo, & ejus templis debitum, quod est bonum majus & Ordinis superioris. 12.

Respondetur ad secundum: Ecclesia & Pontifex directè & ex intentione suâ necq; dat, neq; vult ullam occasionem delinquendi, sed illa oritur ex malitia hominum. 13.

Responsio ad tertium, patet ex dictis. 14.

Respondetur ad ultimum: olim etsi tam multa non fuerint asyla ut nunc, illa tamen omnibus omnimodam indifferenter Imunitatem delictorum concedebant, quod secus est quo ad nostram Immunitatem. 15.

I.

PLerique Hæreticorum graviter invehuntur in hoc Immunitatis localis privilegium, Ecclesijs tam de Jure Civili. *Cod. de ijs, qui ad eccl.* & alibi, quàm SS. Canonum, *toto titul. de Immunitate Ecclés.* concessum, quasi ex eô proximè & directè Ecclesia ministret occasionem delinquendi, sicut videre est ex ijs, quæ *Nicol. Mylerus in suo tract. de jure Asylorum*, & alij passim dicunt. Et meminit eorum argumenta refutando *Thom. del bene. p. 2. hoc tit. c. 16. dub. 2.*

2. Et primò quidem argumentantur ex illo communi principio Juris: interest Reipublicæ, ne crimina maneant impunita.

3. Secundò. Ecclesia non debet dare occasionem delinquendi.

4. Tertiò. Deus, & Ecclesia Dei Sponsa abhorret delicta, ergo hujusmodi immunitate fovere non debet.

5. Accedit, quod olim, maximè in veteri testamento pauca fuerint asyla, quæ modò admodum frequentia, & multiplicata sunt, ergo aboleri ex dictis modò causis Reipublicæ interest.

6. His

6 His tamen non attentis: Respondeo, optima ratione constitutam fuisse Immunitatem hanc localem, non quidem, ut adversarij volunt, directè, & ex intentione in favorem peccatorum, & ea committentium, sed præcisè, & principaliter, ac directè ob honorem Dei, & locorum eidem dedicatorum reverentiam, quando hanc quoque ipsi Imperatores tam pagani, quàm Christiani considerationem & scopum habuère, ut illi suorum etsi falsò, & tantummodo putatiorum numinum cultum, & reverentiam locorum ijsdem consecratorum, hi verò eundem Summo & vero Deo, Deiq; templo, quantum possent, majestatem & honorem defenderent, ac propugnarent, nullo autem modò, ut malefactorum audaciam & impietatem nutrirent.

7. Et posset in genere adversarijs in aurem dici: ut priusquam in nostros Pontifices tantâ bile debachētur, videant quid responsuri Deo sint, qui eadem asyla fieri & tuta esse confugientibus ad ea propter maleficia per Moysen jussit.

8. Nunquid idem, quod Ecclesiæ modò objiciunt, Deo oggerent, ipsumque iniquitatis accusabunt? nunquid male fecisse dicendi erunt Vicarij Christi, si quod à Deo constitutum olim in veteri testamento esse sciunt, & legunt, in peccantes Dei misericordiam, quæ super omnia opera ejus teste Psalmista est, æmulentur piè, & ob reverentiam templorum Deo dicatorum eandem sartam tectam conservent? Præsertim cùm lumine naturali Ethnici etiam illustrati eandem passim introduxerint, foverint, & sacrosanctam habuerint.

9. Facessant ergo Hæretici, qui dum in Pontifices invehuntur, ipsum etiam Deum, totam antiquitatem gentilium ductu & naturæ instinctu asyla constituentem, atque ipsosmet Imperatores, eorumque sacrosanctas Leges impiè incessunt, ac lacerant.

Si qui abusus irrepunt, scient Pontifices, pro suâ in populum Christianum curâ & sollicitudine illos tollere, ut & Deo, & locis Deo consecratis debita prærogativa, cultus, & reverentia maneat, & nequitia malè delinquentium interim justitia dictante compescatur.

10. Quantum ad argumenta contra Immunitatem allata attinet, dicimus, si, ut videntur adversarij velle indifferenter, & illimitatè, ac simpliciter, & in omni eventu delictæ non debent manere impunita, ergo sequitur, quod neque Deus, neque Gentes, quas id natura docuit, neque Imperatores debuerint ejusmodi Asylorum Immunitatem introduxisse, quod dicere impium in Deum est, & contra omnes gentes injuriosum, & læsivum Majestatis Imperatoriæ.

11. Respondeo secundò: non propterea delicta manere impunita, quia illi, qui de exceptis criminibus unum aliquod perpetrant, curiæ civili traduntur puniendi. Et liberum semper manet magistratui Laico, deprehensum malefactorem extra Ecclesiarum asylum punire pro merito, nam eatenus tantùm tutus est, qui deliquit, quatenus ob reverentiam loci sacri, quò confugit, ibidem moratus comprehendi, aut extrahi non potest. Neque hoc intendit Ecclesia, suâ hâc concessâ & introductâ Immunitate, ut delicta maneant impunita, sed ut ob reverentiam loci Deo consecrati, interim, dum ibi versatur delinquens, extrahi non possit, aut puniri, quod est per accidens. Et propterea etiam de Jure scripto SS. Canonum Ecclesia non solet eos fovere, vel defendere, quò minus statim puniantur, non obstante Immunitatis Privilegio, qui intuitu, & spe Immunitatis indultæ audent in delicta proruere, eademque machinari in Ecclesijs. Et si illud, quod est merè & verè per accidens, deberet ex adversariorum mente ita subtiliter & strictè in considerationem veni-

venire, tunc neque Deus debuisset in veteri testamento jubere constitui civitates refugij pro illis, qui maleficia patravère: Neque etiam Sacramentum confessionis indulgere, intuitu cujus, non rarò aliqui eò confidentius peccant, quòd sciant delicta sua per confessionem tolli posse.

12. Ultimò. Si, ut *Thom. del bene cit. loc.* argumentatur, interest Reipublicæ, ut delicta non maneant impunita, etiam Reipublicæ interest, ut Ecclesia confugientibus ad eam, ob reverentiam & honorem Deo, & ejus templis debitum, immunitatem indulgeat, quod est bonum majus, & ordinis superioris.

13. Respondeo ad 2. negando, quod Ecclesia directè & ex intentione sua occasionem delinquendi det vel velit, sed tota illa oritur: & promanat ex malitia hominum, quam omninò abominatur Ecclesia, ut passim ex SS. Canonibus ad medendum malitiæ & peccatis fidelium sancitis palàm est, semper enim est ita in se animata & constituta Ecclesia, ut nolit unquam, quantum in se est, crimen aliquod à quoquam hominum contra Deum, tanquam Summum Bonum, committi. quod si tamen casu aliquo, præsertim ex fragilitate humanâ, committatur, nolit similiter ob reverentiam loci, confugientem ad templum, non misericorditer, tanquam pia Mater interim tutari & defendere propter majus bonum, nempe honorem Dei, & loci reverentiam, id quod directè intendit.

14. Ad tertium patet responsio ex dictis. Et ita abhorret Ecclesia delicta, ut, quantum in ipsa est, sicut audivimus, mallet nullum unquam peccatum à quoquam, præsertim ex numero fidelium, committi, quòd si tamen id casu aliquo contingat, sicut Deus peccatoribus ad se confugientibus misericordiam suam non negat, ita Sponsa Dei Ec-

clesia, exemplo & authoritate Dei nixa, misericordiam & refugium ad se humiliter confugientibus tanquam Mater impertitur, eosque defendit.

15. Ultimò. etsi olim tam frequentia non fuerint Asyla, interim tamen, sicut tunc pro omni prorsus facinore confugientes in eadem impuniti mansêre delinquentes, *si Thoma del bene. cit. lo.* credimus, ita Ecclesia ad majorem Dei honorem, temperavit immunitatis concessionem, ut certa crimina, criminososque exciperet; nolletque omnino illos gaudere immunitate, qui spe & intuitu consequendæ Immunitatis in ejusmodi flagitia in Ecclesijs commissa ruerent. quod olim secus fuit. teste *eodem Thom. del bene.*

Ex quibus hucusque dictis abunde constare videtur: & aversari Ecclesiam crimina, & occasionem, quantum in se est, eadem perpetrandi, interim tamen cum Deo misericoriarum Domino, quo ad eos, qui casu delinquunt, misericordiæ non oblivisci, honoremque Deo, & Dei templis, quantum debet & potest, pro viribus conservare.

CAPUT III.

Quantum possit consuetudo ad imminuendam, vel tollendam Immunitatem Localem.

SUMMARIUM.

Vtrum saltem, quantum ad casus particulares consuetudo immemorialis Immunitati locali derogare possit? n. 1.

Ratio dubitandi prima, quia consuetudo immemorialis obtinet vim Privilegij. 2.

Secunda, quia consuetudinibus locorum particularium Pontifex non in-

no intendit derogare condens de novo constitutionem. 3.

Tertia, quia certum videtur, reum non gaudere Immunitate Locali intra circuitum 30 vel 40. passuum ab Ecclesia, sicut olim de Iure gaudebat, quod videtur solâ consuetudine derogatum. 4.

Consuetudo, ut deroget. SS. Canonibus, debet sciente & expressim consentiente Papâ introducta esse. 5.

Consuetudo contra Immunitatem Ecclesiasticam expressè reprobata est à Trident. Gregorio 14. in suâ bullâ, & ab Vrbano VIII n 6.

Asserimus hoc procedere tam quo ad Immunitatem localem in genere, & universaliter per consuetudinem tollendam, quam etiam quo ad casus solum particulares. 7.

Respondetur ad primam rationem in contrarium. 8.

Responsio ad secundam. 9.

Per Concilium generale, si contrarium disponatur consuetudini alicubi locorum particulari, censetur illa sublata, etsi in specie illius mentionem non faciat Concilium. 10.

Quando per Canonem noviter conditum reducimur ad Ius primævum commune, tunc derogatur consuetudini, quæ in particulari aliquo loco Iuri primævo communi contraria est. 11.

Respondetur ad tertiam rationem. n. 12. & seqq.

I.

Suppositis proportionaliter ijs, quæ suprà de consuetudine & præscriptione, quantum ad tollendam, vel minuendam Immunitatem personalem Clericis concessam *disp.* 2. *c.* 9. diximus, posito, quòd Immunitas localis juris divini sit, sicut eam esse plurimi teneat allegati à *Thom. del bene. p.* 2. *c.* 16. *de Immun. Eccl.* & nos *c.* 1. *hac disp.* non improbabiliter ita teneri posse, quantùm quidem ad Theses suas generales, asseruimus (quamvis etiam contraria sententia, ut per eundem *Thom. del bene. cit. loc. n.* 1. videre est, probabilis sit) res non videtur habere difficultatem, cùm nulla consuetudo prævalere contra jus divinum possit.

Interim

Interim tamen, quia indubitanter sensimus, quantùm ad casus particulares, solùm eam esse juris Canonici, res admodum controversa est, an non saltem consuetudo immemorialis eidem prævalere aliquo modo possit.

2. Et ratio dubitandi prima est, quia consuetudo saltem Immemorialis habet vim privilegij, ut eadem *disput. 2. cap. 9.* notavimus. ergo sicut per privilegium eidem in aliquo derogari potest, quantùm ad casus particulares, ita etiam per consuetudinem saltem Immemorialem.

3. Secunda. Quia est textus *in c. 1. de constit. in 6.* ubi *Bonifacius* 8. decernit, quod Papa faciens constitutionem novam, non intendat derogare consuetudinibus locorum & personarum privatis, nisi expressam de ijs mentionem faciat.

4. Tertia. quia certum videtur hodie non gaudere Immunitate locali reum intra circulum 30. vel 40. passuum ab Ecclesiâ existentem, ut tamen olim gaudebat per *c. sicut antiquitus. 17. q. 4. c. quisquis. c. definivit. eadem causa & quæstione.* quod sanè non nisi contrariæ consuetudini in hoc juris dispositioni quantum immunitatem 30. vel 40. passuum ab Ecclesiâ distantium extensam deroganti imputari posse videtur, cùm nullibi quantum ad hoc per Pontifices illi aliàs derogatum esse legatur.

5. His tamen non obstantibus puto nihilominus dicendum: sive sentiamus juris divini dictam Immunitatem localem esse, sive tantùm Juris Canonici, contra eandem prævalere consuetudinem illam non posse.

Ratio, quæ me movet prima est, quod consuetudo, ut prævaleat adversus SS. Canones, & leges Pontificias, opus sit ut introducta fuerit non solùm sciente, sed etiam expressè consentiente Pontifice, ut notant Interpretes. *in c. cùm non ignores. de præbend. & in. c. litteras. de concess. præbend.* Et est expressa decisio

decisio Rotæ Roman. quo ad hoc *in una Trevir. Abbatia S. Maximini. die 24. Ianuarij. Anno* 1635. *& in Messanâ Decanatûs die 21. Maij. Anno* 1641. qui Pontifex hîc expressè consensisse dici non potest, cum quotannis Summus Pontifex reclamet in *Bulla Cænæ Domini.*

6. Et optimum pro hac sententia argumentum desumitur ex Bulla *Vrbani VIII.* quæ incipit: *Romanus Pontifex. 5. Iunij. anno* 1641. promulgata. ubi *NB.* annullat, reprobat, & declarat semper fuisse nullas, & reprobas omnes consuetudines *NB.* contra Immunitatem Ecclesiasticam militantes.

Accedit Constitutio *Gregorij XIV.* quæ saltem tacitè, & in effectu reprobat omnes Consuetudines antecedenter contra Immunitatem localem pugnantes, per dictionem appositam in *verbo* tantùm. quæ cum taxativa sit, excludit omnem aliam formam per Consuetudinem introductam teste *Thom. del bene. ibidem. dub.* 7. & vel maximè quatenus per eandem Bullam *Gregorius XIV.* aufert omnem facultatem aliter judicandi, redditque irritum aliter factum. ibi: *Sublatâ eis &c. aliter iudicandi, & interpretandi facultate.* & ibi: *nec non irritum decernimus, & inane, si secus. &c.*

Ultimò pro nostrâ hac opinione fortiter militat *Concil. Trident. Sess* 25. *c.* 20. *de reform.* ubi renovat & præcipit exactè servari omnes SS. Canones, & omnia Concilia generalia. quoties enim Concilium legem edit, jura antiqua renovando, vel contraria revocando, censetur omnem contrariam consuetudinem decretis antiquis advetsantem annullare, quod Concilium, & verba ibidem constitutivè allegata confirmantur per Bullam *Pij IV.* in qua similiter irritantis decreti clausula teste eodem *Thom. del bene. dub. 7. n. 2. cum citatis à se,* apponitur.

7. Neque dicas: hæc solummodo intelligenda esse quantum ad Immunitatem localem in genere, & universaliter tollendam, non verò quantum ad casus particulares, ut sentit *Covarr. pract. qq. c. 31. n. 5.* & alij à *Thom. del bene. cit dub. 6.* allegati, quia in c. *Clericis. de judicijs.* damnatur etiam consuetudo particularis contra Immunitatem Ecclesiasticam militans. Deinde consuetudo non potest inducere, quod lex non potest statuere, comparatur enim consuetudo statuto. *L. de quibus. ff. de legib.* & *c. cùm dilectus. de consuetudine.* atque hoc in terminis docet, & tenet Rota *die 26. Novemb. Anno* 1594. in decisionib. posthumis *Farinacij. tom.* 1. *decis.* 20. *n.* 5 *& decis.* 489. *n.* 3. citatis ab eodem *Thom. del bene. dicto loco.* præsertim cùm neque Prælati Ecclesiastici Papa inferiores aliquid statuere possint sive generaliter, sive particulariter. contra Immunitatem ex defectu Jurisdictionis per *c. solita. de maior. & obed. & c.* 1. *de constitut.*

8. Ad rationes dubitandi in contrarium allatas, & quidem ad primam Respondeo: id solum & ad summum procedere, quando ejusmodi consuetudo à jure reprobata non est, cùm enim consuetudo robur & vim privilegij accipere solùm à jure possit, quomodo illa ut privilegium dominari contra Immunitatem valebit, cujus omnes actus, unde resultat consuetudo, & consequenter interpretativa vis privilegij, à jure damnati sunt? tantùm enim valet consuetudo, & actus, ex quibus illa nascitur, in quantùm à jure vires accipit, toleratur, vel approbatur, ergo non tolerata, non approbata, imò in terminis reprobata, ut vidimus, à Sede Apostolica, quatenus contra Immunitatem pugnat, nunquàm vim privilegij obtinere poterit; quod enim de jure pro nullo habetur, quasi extra numerum entium moralium rejicitur, & excreatur, ut adeò tunc verum sit illud commune

Juris

Juris : Non entium nullas esse qualitates, & passiones.

9. Ad secundam respondeo idem, quod ad primam. & textus *c.* 1. *de constit. in 6.* allegatus, intelligendus est, solùm procedere, quantùm ad consuetudines à jure non reprobatas.

10. Secundò respondere possumus: illud quod ex *cit. c.* objectum est, locum nunquam habere, quoties contrarium tali consuetudini per Concilium generale statutum est. intersunt enim Concilijs generalibus ex omnibus provincijs Episcopi & alij Prælati, quibus non præsumuntur consuetudines locorum particulares ignotæ, consequenter neque consilio, quod ex adunatione ejusmodi Prælatorum constat; habebuntur itaque ejusmodi consuetudines particulares pro revocatis, quoties in Concilio generali contrarium aliquid ijsdem constituitur, ut cum citatis à se tenet *Bonacin. de Legib. disp.* 1. *q.* 1. *punct. ult.* §. 3. *n.* 38. ut illum citat *Thom. del bene cit. dub.* 7. *num.* 9. Nec obest, etsi Concilia interdum exprimant in specie consuetudinem, quam revocare intendunt, id enim tantùm fit ad melius esse, sive ad majorem cautelam, quod non obest. ut dicitur in *L. testamentum. C. de testam. milit.*

11. Respondemus tertiò: id quod deciditur sæpe dicto *c.* 1. *de constit in.* 6. non procedere, quando per novam constitutionem consuetudini contrariam reducimur ad jus commune primævum, sicut contingit in proposito per constitutionem *Gregorij. XIV.*

12. Ad rationem dubitandi tertiam dico: teneri posse, quatenus illa consuetudo, quâ derogatum est extensioni immunitatis Localis usque ad 30. vel 40. passus ab Ecclesia, de jure antiquorum introductæ approbata sit à *Gregorio XIV.* in

sua constitutione, ibi: Volumus aliquid permittere circa Immunitatem Ecclesiarum ultra id, quod NB. à priscâ illâ majorum disciplinâ, & à SS. Canonibus est præscriptum.

13. Accedit non contemnenda ratio, quia, cum plerumque graviora maleficia contingant in urbibus, ubi frequentia hinc inde structa sunt templa, vix contingere posset, ut maleficia ibi locorum non maneant impunita, & (saltem occasionaliter) liberius invitentur homines ad malefaciendum, cùm computando 40. passus in circuitu ab alia Ecclesia ad aliam semper in promptu haberent malefactores parata templorum asyla, quod videtur aliquo modo irrationabile, & contra intentionem SS. Canonum Immunitatem localem statuentium. nec movere in hoc scrupulum debet extensio Immunitatis ad 40. passus de Jure antiquorum canonum expresè introducta, quando enim illi Canones conditi sunt, tanta frequentia Ecclesiarum vel templorum non fuit, & sic non irrationabiliter tunc ampliari potuit Immunitas Ecclesiarum ad 40. passus in circuitu.

14. Et satis in istam consuetudinem expresè consentire dicendus est Summus Pontifex, quando illud Romæ & alijs Pontifici subjectis ditionibus passim sine scrupulo, quantum scimus, practicatur.

15. Et posset fortè non improbabiliter dici: istam consuetudinem, quæ est contraria extensioni Immunitatis ad 40. passus, formaliter contra Immunitatem Ecclesiæ non pugnare, sed ea solum declarari, vel demonstrari; extensionem antiquitus ad 40. passus factam ad locum, qui reverâ in se neque sacer est, neque in se honorem Dei, & templi reverentiam continet, abrogatam esse, utpote moribus nostri ævi malis minus

minus convenientem, neque amplius in usu existere, præsertim scientibus hoc Ecclesiarum Prælatis, & consentiente ipso etiam, ut diximus, summo Pontifice. vide *Thom. del bene. cit. dub. 6. num. 25.*

16. Ego certè hodie in praxi vix putarem aliquem læsæ Immunitatis localis condemnandum, qui subsistente rationabili causâ locum ejusmodi in se merè profanum, etsi olim per extensionem Privilegium Immunitatis localis obtinuerit, fultus communi consuetudine, maximè si immemorialis sit, & opinione virorum in Jure versatorum, ac timoratæ conscientiæ existentium, diceret: amplius Immunitate non gaudere, posseque reum ibi comprehensum sine peccato mortali, aut periculo incurrendæ Excommunicationis à Magistratu Laico vel ejus Ministris capi ac ligari. vide quo ad hoc *Abbatem in c. inter alia. hoc tit. n. 13. ante finem.*

17. Fateor tamen speculativè, & insistendo puncto Juris scripti, præsertim antiquorum Canonum, casu quo in contrarium Summus Pontifex de facto expressè non consenserit, faciliùs oppositum defendi.

CAPUT IV.

Quæ loca gaudeant hac Immunitate Locali? & quid in eis fieri possit, vel non?

SUMMARIUM.

Templa, Sacella &c. authoritate Episcopi consecrata, vel benedicta ad publicum sacrificij incruenti, & Sacramentorum usum, & exercitium, gaudent hac Immunitate. n. 1.

Oratoria publica ad eundem finem deputata, etiam nondum consecrata vel benedicta. n. 2.

Oratoria privata non consecrata, ubi solùm super portatili ex facultate superiorum celebrare licet, in casibus à Iure permissis, non gaudent hâc Immunitate. 3.

QVantum igitur ad hanc quæstionem attinet, quam discutiendam hoc capite suscepimus.

1. Dici-

1. Dicimus: inprimis templa, & Sacella, Episcopi authoritate consecrata, vel benedicta, aut alia ratione. v. g. crucis erectione, deputata ad publicum Sacrificij & Sacramentorum usum, & exercitium, hac Immunitate gaudere, talia enim loca sacra censentur. teste *Abbate in c. penult. hoc tit. & cum eo Sylvester. verbo Immunitas. 1. q. 1* Qui ibidem ex eadem ratione infert: Oratoria publica etiam hac Immunitate gaudere, si cum Episcopi authoritate divinis officijs deputata sint, tametsi necdum consecrata, aut benedicta.

2. Secus est in Oratorijs privatis, in quibus vel Papa, vel Episcopus in casibus à Jure permissis Missam celebrandi, facultatem concessit. hâc enim Immunitate illa non gaudere, cum communi docet *Sanchez. lib. 9. de Matrim. disp 15. n. 39.*

3. Idem de Ecclesia non consecratâ, & in quâ necdum officia divina, etiam super portatili celebrantur, tenet cum plurimis à se citatis. *Barbos. dicto loco. & gloss. in c. Ecclesiæ. hoc tit. de Immunit. ibi. Abb. & Hostiens. Azor. tom. 2. lib. 8. c. 8. c. 1. Camillus Borrell. in Summa decis. tom. 1. tit. 3. n. 33. Card. Thuscus verbo. Ecclesia. conclus. 9.*

4. Idem privilegium Immunitatis localis dicimus etiam locum habere in Ecclesiâ pollutâ, interdictâ, vel etiam dirutâ, modò sperari possit, quod in pristinum statum restituenda sit, & illa destructio facta non fuerit superioris authoritate. *ita Covarr. var. resol lib. 2. cap. 20. n. 4. Decianus in suo tract. crimin. lib. 6. c. 24. n. 27. & c. 25 n. 22. Camill. Borrell. Card n. Thuscus. & Sanchez. locis citatis.* cum ijsdem sentit etiam *Leymun.* & quos allegat. præsertim *Panormit. cit. c. penult. hoc tit. & Iulius Clarus in pract. crim. q. 30. n. 3.*

5. Sicut autem Ecclesiæ hanc competere Immunitatem absolutè diximus, ita in omnibus locis sive habitaculis Ecclesiæ v. g. Sacristia, porticu, atrio, quolibet modo Ecclesiæ adhæren-

hærentibus eandem vindicare sibi locum affirmamus. per text. *in c. si quis contumax, 17. q. 4. ibi glossa. in verbo. adhærentibus.* quæ enim Religiosis adhærent, religiosa sunt. *per L. 44. ff. de religios. & sumt. fun.*

6, Eadem Immunitas extenditur etiam ad domos, atria, aliave loca existentia intra, & in circuitu quadraginta passuum. intelligendo hoc verum esse, quantum ad Ecclesias majores, sicut sunt Ecclesiæ Cathedrales, vel quæ matrices vocantur.

7. In alijs verò minoribus, triginta passuum. Quamvis hodie teste *Leymann*, alijsque citatis à *Barbos. ubi supra. n.* 38. pro *dicto. 40. vel* 30. passuum circuitu, tali privilegio Immunitatis solus cometerij ambitus ab Episcopo deputatus gaudere, ex recepta consuetudine dignoscatur. Et ita tenet etiam *Navarr. in Manuali c. 25. n.* 18. *Suarez de Religione. tom.* 1. *c. 9. lib. 3. n. 8. Clarus. cit. q.* 30.

8. Negamus autem hoc, quod de immunitate intra 30. vel 40. passus ab Ecclesia de jure antiquorum Canonum concessâ diximus, tantummodo id indultum esse Ecclesijs extra urbes ædificatis, non autem ijs, quæ intra civitates structæ sunt, ut tenent non pauci cum *glossa in c. sicut antiquitus. verbo. passus.* 17. *q.* 4. *quos allegat Thom. del bene. in suo tract. de immun. p. 2. c 16. dub.* 11. *sect.* 8. *n.* 6. Ratio esse potest, quod privilegium favorabile sit, ergo amplè intelligendum. deinde cùm citati textus expresse non restringant, neque nostrum erit limitare, & ita nobiscum sentit *Diana. p. 6. tract.* 1. *resol.* 2. *Peregrin. de Immunit. c.* 4. *n.* 33. quamvis hodie illa extensio *ad* 30. vel 40. passus communi consuetudine ad solum Cæmeterij circuitum limitata sit, ut paulò antè diximus.

9. Sicut neque illud amplectimur, quod tenet *Thom. del bene. cit. loc.* quasi immunitas ad 30. vel 40. passus ab Ecclesiæ-

Ecle-

clesia. locum tantummodo sibi vendicet in eo, qui jam ad Ecclesiam confugit, ut postea exeundo totus sit intra illud spacium, non verò in illo, qui quidem animo confugiendi in Ecclesiam intra spacium 30. vel 40. passuum existit, nondum autem effectivè ad Ecclesiam pervenit. ex ratione superiùs allegatâ. Et nobiscum sentit *Diana allegat. lo. & Thuscus. verbo. immunitas, conclus.* 59. *n.* 1. *& seq.* quamvis hæ quæstiones hodie, ubi de consuetudine receptum est, ut illa extensio immunitatis localis limitata sit ad solum Cæmeterij ambitum, parum utiles sint, adeoque ijsdem amplius nihil immorandum.

10. Hoc tamen etiam hodie advertendum est, quod, licet etiam ultra 30. vel 40. passus aliquis, qui jam antè in Ecclesia receptus est, ad naturæ necessitates exeat, statim reversurus ad Ecclesiam, ibi locorum immunitate quoque gaudeat, nec interim capi possit, ut tenet cum *Decian. Mantua.* & alijs ibidem. *cit. Thom. del bene. n.* 9.

11. Cæterùm insistendo Juri scripto, dicimus: mensuram passus cujuslibet, secundum *glossam in c. sicut antiquitus. in verbo. passus.* 17. *q.* 4. esse quinque pedum, & quindecim digitorum.

12. Quantum verò ad domos, atria, fores, scalas, tecta, ac campanilia, ut vocant, Ecclesiarum, quatenus eadem Immunitate gaudere dicantur, multos allegat *Barbos. cit. lo. à num.* 64. *usq. ad n.*67. inter quos fusè de his agit *Decianus in suo tract. crimin. lib.* 6. *c.* 24. *&* 25. *Cardin. Thuscus. dicta conclus.* 9. *&* 20. *Azor. p.* 2. *lib.* 9. *c.* 8. *q.* 7. *Farinac. tract. de Immunit. n.* 1. 7. 9 *& seq. Suarez ubi supra. & textus est in cit. c. Sicut antiquitus. c. quisquis. c. definivit. allegata causa.* 17. *q.* 4.

13. Ob similitudinem rationis ex adductis textibus resolvit *Covarr. cit. c.* 20. *lib.* 2. *n.* 18. Eum quoque Ecclesiæ Immuni-

munitate gaudere, qui cùm ad Ecclesiam confugeret, eâ occlusâ repertâ, manu portas earum, ansas, aut vectes apprehendit. Imo si *Suarez. cit. lib* 3. c. 9. n. 7. credimus, hac quoque Immunitate defendendus erit, qui in superiori parte fabricæ, vel in turri, aut etiam super tectum Ecclesiæ existit. idem tenet *Decianus. dicto. lib. 6. tit. c. 25. n.* 17. *Navarr. in Manual. c. 25. n. 17. Diana. tract.* 1. *de Immunitate. p. 3. resol.* 73.

14. Quod si objicias: talibus in locis Ecclesiam non pollui. Respondeo: violationem Ecclesiæ odiosam esse, Ecclesiæ autem Immunitatem favorabilem, ampliari ergo hanc posse, non illam.

15. Secundo dicimus: hac Immunitatis prærogativâ gaudere etiam, sicut superiùs jam incidenter advertimus, Cæmeteria, maximè si authoritate Episcopi designata, & consecrata, vel benedicta, quamvis aliqui *apud Thom. del bene. sect. 9.* teneant, etiam nondum benedicta eâdem immunitate gaudere, sive jam illa conjuncta sint cum Ecclesijs, sive ab ijsdem separata. nam si conjuncta sint, res difficultatem non habet, cùm sine dubio ambitu 40. vel 30. passuum includantur. pro ijs verò, quæ disjuncta sunt ab Ecclesijs, *glossa est in c. cum Ecclesia. hoc tit. & c. consuluisti. verbo. Cæmeteria. de consecrat. Eccles. Decian cit. c. 24. & 25. Diana. resolut. p. 4. de immunit. tract. 1. resol.* 108. contrarium tenet *Camill. Borrell. in Summa Decisionum, lib. 1. tit. 3. n.* 24. idem asserimus de portâ & porticu Cæmeterij, cum eodem *Thom. del bene. cit. sect.*

16. Tertio huic numero locorum exemptorum adjicimus etiam hospitalia, authoritate Episcopi, & sub eius Curâ fundata, secuti *Decianum. dicto. c. 24. Mascard. de probat. conclus.* 869. *Garsiam de benef. p. 5. c. 1. n.* 601. *& seq. Camill. Borrell. cit. loc. n. 64.* cum plurimis alijs à *Barbos.* allegatis *dicto tract. Iur. Univers. Eccles. lib. 2. c. 8. n. 67.*

Quan-

17. Quantum ad palatia Episcoporum, vel Cardinalium attinet, an hac Immunitate gaudeant, inter Doctores non convenit. Sicut testatur *Barbos. cit. loco. n. 70. & Camill. Borrell. ubi supra. n. 51. Bonacin. de legib. disput. 3. q. 7. §. 2. n. 8. Oldradus cons. 55.* Illud in proposito satis certum est, de jure scripto, quòd, si hæc palatia (idem est de domibus parochorum, *teste Covarr. ubi supra. n. 8.*) intra 40. passus Ecclesiarum sunt in circuitu, hac Immunitate gaudeant. quòd si verò extra illud spacium esse dignoscantur, majus dubium est apud citatos Authores. Interim cum textus *in c. id constituimus. 17. q. 4.* indistinctè loquatur de domo Episcopi, decidatque eidem Immunitatem competere, satis probabiliter id quoque de palatio Episcopi, sivè intra, sive extra 40. passus ab Ecclesia remotum sit, accipitur. sicut eodem c. gloss. in verbo. vel domo. etiam tenet. & hoc à fortiori tunc verum esse existimamus, si in hujusmodi palatio quoque Oratorium exstet, in quo celebrentur officia divina, sicut cum plurimis notat *Barbos. dicto. loco. n. 71.* & *Card. Thuscus allegata conclus. 9. Clarus. §. final. q. 30. Thom. del bene. c. 16. dub. 11. sect. 14. & 15. tom. 2. hoc tit.*

18. Quarto hac Immunitate gaudent etiam Monasteria, vel domus Religiosorum, aliaque loca sacra, vel religiosa. Sicut etiam Domus Seminariorum. ut cum *Covarr. sæpe dicto. c. 20. Farinac. cit. tract. n. 265. Erasm. à Cochier. de jurisdiction. Ordin. in exempt. p. 4. q. 65. Thuscus litera. I. conclus. 59. n. 34. Barbos. ubi suprà. n. 71. & 72.* concludunt. quod tamen ego aliter verum non arbitror, nisi Seminaria illa Clericorum sint, vel Oratorium habeant, ut plerumque habent, ubi divina celebrantur. aliàs enim, si purè Sæculares tali Seminario insint, nec Oratorium inibi exædificatum existat, non video, ex quo fundamento ejusmodi Seminario hæc Immunitas competere dicatur.

19. Atque superius de monasterijs dicta, probabiliter tam ampliativè accipimus, ut non de solis Monasteriorum Ecclesijs, sicut aliqui volunt, intelligamus, sed de omnibus habitaculis, ac locis, quæ inter septa Monasterij muro circumcinguntur. veluti sunt cellulæ, horti, & similia usui regularium necessaria; veniunt enim Monasteria, quantùm etiam ad hoc privilegium, præsertim in favorabilibus, nomine Ecclesiarum, sicut testatur *Camill. Borrell. cit. titulo. 3, n. 52. & seq.* quosque idem eodem loco allegat. vid. etiam *Sanchez in præcepta Decalogi. tom. 2. lib. 6. c. 16. n. 11. Et de matrim. lib. 9. disput. 15. n. 42.* & maximè per ea, quæ notantur in Constitutione *Gregory* decimi quarti. *de Immunitate.* quæ quo ad præsentem hanc localem prærogativam multum utilis est.

20. Vltimò. communiter extendunt hoc privilegium velut ex ratione & motivo Canonum hanc Immunitatem authoritative indulgentium ad eum etiam casum, quo quis ad Sacerdotem venerabile Sacramentum manibus v. g. ad infirmum deportantem casu confugeret; sicut videre est per *Barbos.* & plurimos ab eodem citatos *dicto loco. n. 69.* quod tamen rectè limitat *Covarr. tom. 2. var. resolut. lib. 2. c. 20. num. 7.* ut non procedat in casu, quo captus in carcere ad Eucharistiam, quæ ad eum vel alium providendum venerabili Sacramento, deportatur, confugeret. tunc enim naturalem suam libertatem amplius non haberet, quæ aliàs confugienti ad Eucharistiam prodesse solet.

21. Et rectè citati ab eodem *Barbos.* ubi suprà, limitant, etiam non procedere ijs quoque casibus, quo Sacerdos Sacrum oleum ad infirmum deportaret. vel si quis ad SS. reliquias confugeret, cùm in solius venerabilis Sacramenti honorem concedatur liberè confugienti hæc Immunitas. contrarium tenet *gloss. teste Covarr ibid. in c. quæsitum. 13. q. 2.* quamvis

vis communis sententia sit in contrarium. quantum ad palatia Cardinalium, an & quando gaudeant hac immunitate. vid. *Thom. del bene, ibid. sect.* 15.

Hæc ergo maximè loca sunt, quæ tum nomine Ecclesiarum quo ad præsens privilegium veniunt, tum Ecclesiastica libertate ac Immunitate potiuntur.

§. *VNICVS.*

Quid licitè vel illicitè fiat in Ecclesijs?

Summarium.

Processus judiciales à Laicis facti in Ecclesia, ipso jure nulli sunt, & quæ pœna statuta, si ejusmodi processus causam criminalem concernant? n. 1.

Processus facti à Iudice Ecclesiastico in Ecclesia, ipso Iure irriti non sunt, etsi illicitè fiant in Ecclesijs 2.

Illicitè in Ecclesijs fiunt omnia illa, quæ sunt contra reverentiam loci. 3.

Afferuntur exempla aliquot eorum, quæ illicitè fiunt in Ecclesijs. n. 4. *& seq.*

Nota limitationem, quantum ad prædicta numeri septimi. n. 8.

QVid autem fieri licitè, vel validè in Ecclesijs possit, tam de honestate, quam de necessitate, tradit satis fusè *Barbos. dicto, tract. Iur. univers. Eccles. lib.* 2. *c.* 3 ab initio. Nos breviter utiliora, ac scitu magis necessaria perstringemus.

Præmittamus igitur in genere, aliqua neque licitè neque validè fieri in Ecclesia, aliqua verò tantùm illicitè, etsi non invalidè.

1. Quantum ad primum, communiter tenent Interpretes in *c. decet. in 6. tit. de Immunit. Eccles.* quoscunque actus, vel processus judiciales à judice Laico factos, ipso jure nullos esse, adeo, ut si ejusmodi acta causam criminalem concernant, judices pœna excommunicationis afficiendi sint. per *text. in c. cum Ecclesia. hoc tit.*

 2. Dixi

2. Dixi autem notanter, actus judiciales à judice Laico factos. Putamus enim *cum Panormit. cit. c. cum Ecclesia. num. 4. Deciano. lib. 6. c. 24. Suarez de Relig. tom. 1. lib. 3. c. 4. n. 10.* actus, & processus judiciales, qui contentiosam jurisdictionem concernunt, si illi causas fori Ecclesiastici respiciant, consequenter à Laico non expediantur, etsi illicitè fiant in Ecclesia, ipso tamen jure irritos non esse. loquitur enim textus in specie de processu judicum Sæcularium. hinc cùm in materia odiosa simus, credimus, quod actus extrajudiciales, vel qui contentiosæ jurisdictionis non sunt, ut contractus, etiam à Laicis facti in Ecclesia ipso jure non annullentur, sed valeant, etsi illicitè ibidem expediantur. & ita nobiscum sentit *Suarez dicto. c. 4. n. 13. Abbas. cit. c. cum Ecclesia. n. 6. hoc tit. Decian. lib. 6. c. 24. n. 10.*

3. Licitè autem plurima fieri non posse, & in genere quidem omnia illa, quæ sunt contra reverentiam loci, docet, & allegat per exempla *Barbos. cit. loc. c. 3. n. 5. & num.* 14. veluti sunt in genere negotia sæcularia, conclamationes, parlamenta, Vniversitatum conventus, vel consilia, ludi Theatrales profani, vel monstra larvarum, choreæ sæcularium, & cantica puellarum, nisi forte essent de argumento pio, fieretque sine scandalo, vel periculo scandali: & ita cum communi tenet Zerola in sua praxi. p. 1. verbo. Repræsentationes. & plures citati à *Barbos. ubi supra. n. 15.*

4. Similiter non possunt ibi institui potationes, vel convivia. *Navarr. de oratione c. 5.* idem censerem de Disputationibus profanis, & collationibus graduum Magisterij vel Doctoratus, nisi forte essent ex Theologia, vel Jure Canonico.

5. Pari ratione dicimus communiter, extra hostiles incursus, incendia repentina, vel similem necessitatem, reponi uten-

ni utensilia, vel profanam supellectilem non posse. *per c. relinqui. de custodia. Euchar.*

6. Amoveri etiam debent sedes Laicorum extra Chorum, vel presbyterium ad altare inter Clericos vel Canonicos compositæ, & ita decisum *a. SS. rituum congregatione* fuisse testatur *Barbos. dicto loco. n. 29.*

7. Neque Ecclesia in modum propugnaculi, etiam occasione belli citra Summam necessitatem, & non nisi cum authoritate Summi Pontificis exædificari potest. Neque defendenda est cum armis vel machinis bellicis, more castrorum. ut notat *Panormitan. sæpe. cit. c. cum Ecclesia. hoc tit.* & textus ad hoc est *in c. convenior. 23. q. 8.* tenetque *Archidiaconus. in c. Sanctorum. 10. q. 1.*

8. Putarem tamen in locis finitimis Turcæ, ob quotidianos incursus, & sic ob præsentem necessitatem inconcessum non esse, Ecclesias munire, atque concurrentibus oppidanis, vel agricolis ex ijs se defendere. Sicut vidi in Styria aliquot Ecclesias taliter munitas, atque in illarum partibus superioribus molis versatilibus cum vario apparatu telorum instructas. Cæterum circa insolentias & excessus aliquando fieri solitos in Ecclesiis vide utilem Constitutionem *Pij V.* emanatam *Romæ, Calendis Aprilis, Anno Domini. 1566.*

CA-

CAPUT V.

Ex quibus causis in genere competat hæc Immunitas, qualibúsve Personis ea negata sit?

§. I.

De causa civili, in qua competit Immunitas Localis.

SVMMARIVM.

Duæ communiter afferuntur à DD. causæ, in quibus locum habet hæc Immunitas. n. 1.

Primus casus est, quantum ad causam civilem, in debitore onerato ære alieno, qui defenditur confugiens ad loca hac Immunitate gaudentia. n. 2.

Probatur ratione, & authoritate DD. ibidem.

Iasonis argumenta contrarium tenentis afferuntur, & examinantur. n. 3.

Respondetur ad textum in oppositum allegari solitum ex Iure civili. n. 4.

Quid interim faciendum debitori, si debitum non fuerit liquidum? ibidem.

Decoctores fraudulenti probabilius non gaudent hoc Privilegio Immunitatis. loc. n. 5.

Servi ad Ecclesiam ob sævitiam Dominorum confugientes gaudent hâc Immunitate. 6.

I.

Duplicem in genere communiter assignant Doctores nostri causam, & casum, in quibus quæri solet, quando, & an semper Reus aliquis Immunitate hac Locali gaudere possit.

2. Et prima quidem causa civilis est, in quâ Reus debendi, sive is, qui debitor est, ære alieno gravatus ad Ecclesiam con-

confugit. Et tametſi *Iaſon. in L. vinum. ff. ſi certum petatur*, ut eum allegat *Leymann. lib. 4. tract. 9. c. 3. n. 5.* neget, eum hac Immunitate gaudere, alij tamen communiter contrariam & affirmativam Sententiam amplectuntur. ut videre eſt apud *Abbatem Panormitanum in c. inter alia. n. 22. hoc. titulo. de Immunit. Covarr. dicto. c. 20. n. 14. Navarrum in Manuali. dicto. c. 25. n. 19.* & per ea, quæ notantur in *L. ultima. C. de his qui ad Eccleſias confug.* ubi in terminis deciditur: confugientes, cujuscunque conditionis ſint, ab Eccleſijs expelli, aut trahi non poſſe, neque ab Epiſcopis aut Religioſis Oeconomis exigi poſſe debita, quæ ab ejusmodi confugientibus debentur.

3. Sententia *Iaſonis*, ſicut bene advertit *Covarr.* ubi ſuprà. Fundatur maximè in eo, quod ſicut debitor fugitivus tempore feriato ob divinum honorem, capi poteſt, ita ſanè capi poſſe videatur in loco ſacro. argumento ſumpto de tempore ad locum, per *L. vinum. ff. ſi certum pet. L. ultima. ff. de tritico. L. ratio. §. ſi per venditorem. ff. de action. empti.* Sed bona pace Jaſonis negamus: procedere in hoc caſu argumentationem factam à tempore ad locum. tum ob regulam generalem, ſecundum quam confugientes ad Eccleſiam extrahi nequeunt. per text. *in c. inter alia.* & quæ ibi notant Interpretes. *hoc titulo. de Immunit.* tum quòd, licet die feriato, etiam conceſſum ſit, homicidam, aliosve delictorum reos capere. per *L. provinciarum. C. de ferijs.* tamen non licet eosdem ab Eccleſijs extrahere. ſicut ne ipſe Jaſon teſte Covarr. ibid. negavit.

4. Quod ſi objiciatur *authentica. de mandatis principum. §. publicorum.* Dicimus eam tanquam Juri Canonico contrariam attendi non debere. Interim tamen non inficiamur, caſu quo debitum liquidum non eſt, comparare in judicio ejusmodi debitorem vel per ſe, vel per procuratorem debere, quod ſi enim hoc facere renueret, aut differret, poſt ſo-

lennem edictorum citationem, judex bona debitoris apprehendere, & ex ijs creditoribus ad modum debiti satisfacere posset. Et hæc Immunitas debitoribus etiam de Jure Canon. saltem implicitè est concessa. vid. *Thom. del bene.* ubi respondet ad verba Constitutionis Gregorij XIV. *dub.* 11. *sect.* 2.

5. Utrùm autem etiam decoctores, ut appellare solemus, sive dolose falliti debitores hâc Immunitate gaudeant, inter Doctores non convenit. ut pluribus videre est *apud Barbos. dicto loco. n.* 46. *&* 47. & quæ notat Boerius *decis.* 215. *&* *decis.* 103. *Decian. lib. 6. c. 28. Suarez cit. lib.* 3. *c.* 12. *Sanchez in moralib. p. 2. lib.* 6. *c.* 1. *dub.* 8. *n.* 24. *Camill. Borrell. allegato. tit.* 3. *n.* 97. *Stephan. Gratian. discept. forens. c.* 380. *n.* 29. *Covarr. ubi sup. n.* 14. putarem sanè, fraudulentos decoctores, & de manifesto dolo convincibiles hac Immunitate non gavisuros, cùm, ut notat *cit. loc. Covarr.* instar famosorum latronum reputentur, & redundet hoc in maximum Reipublicæ dispendium, quando ipsi lautè interim, & opipare viventes alios bona fide sibi mutuantes ita miserè fallunt, ut ad extremam paupertatem redigant. sicut idem Covarr. ibidem testatur, eosdem se vidisse ad Ecclesias confugientes violenter extrahi, atque ad criminalem punitionem judicibus consignari. vid. *Thom. del bene. sect.* 6. ubi tenet etiam decoctores gaudere Immunitate.

6. Cæterum ob metum, vel sævitiam Dominorum, servos confugientes ad Ecclesiam defendendos esse hâc Immunitate, dubium non habet. per *text. cit. c. inter alia. hoc tit.* & ibi Interpretes. & maximè *Panormitan.*

§. *II.*

§. *II.*

De cauſa criminali in quâ competit hæc Immunitas Localis.

SUMMARIUM.

Ob cauſam criminalem confugiens ad Eccefiam gaudet Immunitate locali, extra caſus in Iure exceptos, n. 1.

Eccleſia contra vim extrahentem illum, qui ob crimen ad Eccleſiam confugit, in caſu, quo gaudet Immunitate ſe (intra terminos tamen modeſtia) defendere poteſt. eod. n. 1.

Vim extrahendo faciens Eccleſia, tenetur extractum reſtituere. 2.

Ad idem tenetur, ſi capiat illum, qui ad Eccleſiam confugit, caſu quo extra Eccleſiam natura neceſſitatibus ſatisfacit. n. 3.

Idem procedit, ſi verbis doloſis ſub prætextu promiſſæ ſecuritatis deceptus exeat. n. 4.

Poteſt exterius locus à Laicis cuſtodiri, ut libere exeuntem capiant, alimenta tamen & alia neceſſaria ad vitam prohibere non poſſunt. 5.

An, & quomodo aliquis huic Privilegio Immunitatis localis renunciare poſſit, cum ratione dubitandi. num. 6.

Inter privatos hoc Privilegio à Iure eſt primus, Latro publicus, & quis talis ſit? 7.

Secundò, privantur à Iure hoc Privilegio depopulatores agrorum nocturni; & qui ſint? 8.

Aliud ſimile genus iiſdem aſſociatum. 9.

Tertio, qui ſpe Immunitatis conſequenda in Eccleſia enormiter delinquunt. 10.

Duo requiruntur de Iure Scripto SS. Canonum hoc caſu, ex probabiliori ſententiâ, n. 11.

Propoſitum, & quod aliquis ſub ſpe Immunitatis delinquat, hæc duo communiter præſumuntur, ſi in Eccleſia maleficium contingit. 12.

Ibidem obviatur contraria ſententia Panormit. n. 13.

Vt ob homicidium in Eccleſia commiſſum ex propoſito, & ſub ſpe Immunitatis aliquis privetur hoc Privilegio, debet eſſe homicidium conſummatum, nam etſi quis graviter vulneret alterum, modo non lethaliter, non privatur Immunitate, 14.

Clerici

Clerici & Religioſi delinquentes probabiliter non gaudent Immunitate. contraria tamen ſententia etiam à multis tenetur. 31.

Rationes pro noſtrâ ſententiâ plures aſſignantur. à num. 32. *uſq; ad num.* 37.

Limitatur hæc ſententia. n. 38.

Argumenta pro contraria ſententia nimis ex generalibus principijs petuntur, & ex dictis pro noſtra opinione non difficulter ſolvuntur. n. 39.

Raptores Virginum, etſi de Iure civili non gaudeant hac Immunitate, tamen quia in hac materia Immunitatis potius ſtandum eſt Iuri Canonico, dicimus ab hoc Privilegio non excludi. 40.

Aliquot allegationes & confirmationes pro ſententijs aliquibus ſuperius traditis. n. 41. & 42.

Cujus expenſis alendus ſit, qui ad Eccleſiam confugit? 43.

Confugiens ad Eccleſiam, ſi indignus ſit Privilegio aſyli, extrahi à Laico Magiſtratu an propria authoritate poſſit? 44.

In dubio, an aliquis gaudeat Immunitate, Iudicis Eccleſiaſtici eſt cognitio, & quid ibi fieri poſſit, quantum ad Laicos? 45.

Dando licentiam extrahendi eum, qui indignus eſt Immunitate, quid obſervare Eccleſiaſtici debeant? 46.

Ab illo, qui tutus eſt de Iure aſylo Immunitatis, ut extrahi nequeat, tamen auferri poſſunt, de licentia Eccleſiaſtici judicis, arma prohibita, & in Eccleſiam illata. Item res furto ablata, Virgo, ſi cum raptore in Eccleſiam ducta eſt. 47.

Domus Clericorum, aliarumq; Perſonarum Eccleſiaſticarum Immunes ſunt ab omni impoſitione hoſpitum, vel militum, vulgò Quatierfrey. 48.

I.

SEcunda cauſa, quæ in genere aſſignari poteſt, eſt cauſa Criminalis, ob quam confugiens ad Eccleſiam extrahi regulariter non poteſt, exceptis ſcilicet caſibus in jure expreſſis. ut advertit *Navarr. citato. c.* 25. *n.* 19. *Clarus dicta. q.* 30. *n.* 8. *Suarez dicto loco. c.* 11. plurimi allegati apud *Barboſ. cit. c.* 3. *lib.* 2. *n.* 50. & Interpretes ad ſæpè nominatum. *c. inter alia.* conſequenter Eccleſia ſe contra vi conantem extrahere, defendere poterit, ac reſiſtere, modò illa reſiſtentia non ſapiat aliquem

tumultum, sed intra fines, & limites Ecclesiasticæ modestiæ consistat, ut notat ibidem cum citatis *Barbos.* vide etiam *Facundez. in quinque præcepta Ecclesiæ. tract. 2. lib. 4. n. 56. Suarez fusè citato lib. 3. c. 13.*

2 Hinc consequens est, ut cùm vim faciat ejusmodi, qui violenter extrahit ab Ecclesia ad eandem fugitivum, restituere illum Ecclesiæ teneatur. sicut bene advertit citato paulo ante *c. 13. Suarez. Azor. tom. 2. lib. 9. c. 9. Barbos. ubi suprà. n. 52.* ubi ait: hoc indifferenter procedere, sive jam per vim compulsivam, sive expulsivam ejusmodi reus extractus sit.

3. Imo, si captus quoque reus eo in casu foret, quo ad satisfaciendum naturæ, cùm ibi locorum occasio ad hoc alia non esset, exivisset, restitui deberet, ut advertit rectè *Decian. sæpè dicto lib. 6. c. 27. n. 6.* per expressum textum *in c. definivit. 17. q. 4. Marc. Anton. Genuens. in prax. curiæ Archiepisc. c. 27. n. 5.*

4. Idem asserimus eo in casu, quo verbis dolosis, promissa securitate inductus exijsset, limitando tamen ad eam circumstantiam, quâ aliàs jure extrahi ab Ecclesia non potuisset. quoties enim quis sine injuria evelli ab Ecclesia potest, à fortiori dolosè induci potest, ut exeat. vide *Covarr. sæpè cit. c. 20. n. 16. in fine. Gomez variar. resol. tom. 3. c. 12. n. 7. Farinac. allegato tract. de Immunit. n. 302. Azor. ubi supra. q. 11. Diana. resol. p. 6 tract. 1. de Immunit. resol. 2*.

5. Cùm itaque reus aliquis liberè hâc Immunitate locali gaudere posse debeat, ut modò vidimus, Dicimus, quòd tametsi obsidere locum extrà Laicus possit, eo fine, ut sponte exeuntem capiat, alimenta tamen, cæteraque ad vitam necessaria prohibere non potest, aliove damno afficere. sicut bene notat *Bonacina. de legib. disput. 1. q. 7. §. 5. n 1. Barbos. ubi supra. n. 55.* quod enim alicui una via negatur, ad id aliâ,

quod

quod negatum eſt, admitti non debet, Et necare dicitur qui alimenta negat.

6. Vtrùm autem aliquis huic privilegio Immunitatis localis renunciare ſponte ſua poſſit, dubium eſt inter Doctores. ut videre eſt per citatos à *Barboſ. ubi ſupra. à n. 57.* & per ea, quæ notat *Navarr. in Manuali. c. 25. n. 21.* ratio dubitandi eſſe poteſt, quòd hoc privilegium principaliter reſpiciat favorem, & reverentiam Eccleſiarum, quarum intuitu conceſſum eſſe dignoſcitur. ergo non videtur ab illo, in quem ſolùm per conſequentiam redundat, eidem renunciari poſſe. Sicut Clericus privilegio Canonis: *ſi quis ſuadente*, renunciare non poteſt, tametſi hoc privilegium per conſequentiam in eum redundet eo ipſo, quia Clericus eſt, cùm id principaliter toti ordini Clericali indultum fuerit. Putarem tamen in propoſito eatenus aliquem huic privilegio renunciare poſſe, quatenus liberè redeundo ab Eccleſia, ſe offerre poteſtati judicis ſæcularis non prohibeatur, non autem ut facta reſignatione remanentem in loco ſacro judex Laicus per ſe occupare poſſit, & propria authoritate extrahere. & ratio eſt, quia hoc poſteriori caſu videtur id cedere in præjudicium Eccleſiæ, cui hoc privilegium ob ejus honorem & reverentiam conceſſum eſt, vergeretque in diſpendium Immunitatis Eccleſiaſticæ, non autem priori caſu, cum cuilibet liberum ſit, quantum ad ſe eo privilegio quamdiu vult uti, vel non uti. neque tunc in aliquod vilipendium Eccleſiæ redundat, cum eo in caſu illa minimè lædatur. ſicut Clericus, etſi tamdiu percuti ſine excommunicatione ob privilegium Canonis non poſſit, quamdiu is in Clericatu manet, ſine periculo tamen incurrendæ excommunicationis verberatur, poſtquam ſe Clericatu; v. g. in minoribus exiſtens, ſponte abdicavit. Etſi ergo regulariter Reus extrahi ab Eccleſia nequeat, Caſus tamen

tamen in jure expressi sunt, quibus hoc inconcessum non est.

7. Cùm itaque primò ab hac Immunitate SS. Canones per textum in *c. inter alia. hoc titulo.* publicum Latronem ad Ecclesiam confugientem luculenter arceant, nihil impedit, quò minùs is extrahi possit, eo ipso, quod non sit de numero eorum, quos Ecclesia defendit. Dicimus autem cum *Abbate. hoc titulo. cit. c. inter alia.* publicum Latronem eum esse, qui, cùm manifestè rapiat, armis accinctus publicas vias obsidet, animo jugulandi, si qui resistere rapienti moliantur. neque distinguimus, utrum mari, vel terra latrocinetur, ac rapiat. Ejusmodi sunt, qui ex cryptis subterraneis, saltibus, ac lucis provolant in viatores, vel ex arcibus ac castellis, quorum rudera etiamnum hodie passim in Austria, & Styria visuntur, ad prædandum erumpunt. De quibus vide fusè *Decianum in sæpè. cit. tract. criminali. lib. 6. c. 28. n. 2.*

8. Secundo hac Immunitate locali destituuntur, & consequenter confugientes ab Ecclesia extrahi possunt nocturni depopulatores agrorum, (non autem fures simplices, quos gaudere immunitate cum communi dicimus teste *Thom. del bene dub.* 14.) ij scilicet, qui, ut textus *cit. c. inter alia.* explicat, itinera frequentata, & vias publicas insidijs obsident, furtivè aggressuri commeantes.

9. Ad hujus farinæ furfures referendos arbitror, qui turmatim noctu cum armis obambulant, rusticorum casas inscendunt, infringunt, ac expilant, & horum quidem Lavernionum exempla in nostris partibus non infrequentia sunt, jure suo futura furcarum, rotarumque emblemata. Et differentia hos inter depopulatores nocturnos, & latrones in promptu est, quòd hi palam rapiant, & apertè, illi clanculo, noctis subsidio ad patranda maleficia usuri. Vide eundem

De-

Decianum ubi ſupra. n. 3. diurnum depopulatorem etſi aliqui gaudere velint immunitate, nos tamen probabilius negandum cenſemus, vid. *ad hoc Thom. del bene. dub.* 17. Atque hæc quidem duo maleficorum genera per text. *c. inter. alia. hoc titulo.* expreſsè excluduntur à beneficio aſyli Eccleſiaſtici. Cæterum.

10. Tertio non minus privantur hac Immunitate per expreſſum textum *c. fin. hoc titulo.* illi, qui ex propoſito, & ſub ſpe Immunitatis in Eccleſia delinquunt, adeo, ut meritò indignos ſe privilegio aſyli reddant, quo abuti ad nequiter agendum voluêre. per authoritates ibidem in textu & gloſſa allegatos.

11. Requiruntur autem ex communiori ſententia (quamvis contraria opinio etiam multum probabilitatis habeat), per ea, quæ notat *Thom. del bene. dub.* 39. *ſect.* 4. ad amittendum hoc caſu Privilegium Duo, Primò, ut ex propoſito, & ſub ſpe Immunitatis maleficium contingat. Secundo, ut in Eccleſia, vel Cæmeterio fiat. quod utrumque requiſitum manifeſtè ex verbis textus erui videtur. ut examinâti verba capituli patebit.

12. Notandum autem hîc ſingulariter eſt, quod toties præſumatur hoc propoſitum & ſpes conſequendæ Immunitatis in committente maleficium, quoties in Eccleſia, vel Cæmeterio maleficium contingit, ſubito tamen animi motu, irâ, rixâ, caſu fortuito, vel alia fortiori præſumptione conceptam Juris præſumptionem non enervante. Ita *Hoſtienſ. ad cit. c. fin. hoc tit. Aloys. Riccius. in prax. aurea. reſolut.* 157. *Barbos. ad idem. c. final. num.* 3. & plurimi ab eodem citati.

13. Quòd autem aliqui tenent, etiam caſu (ex propoſito tamen, quamvis ſine ſpe veniæ conſequendæ) taliter delinquentem in Eccleſia eo Privilegio carere debere, ſicut docent *Abb. c. fin hoc. tit. Covarr. lib* 2. *c.* 20. *n.* 15. *Navarr. in manuali. c.* 25. *n.* 20. *Suarez. de Relig. tom.* 1. *lib.* 3. *c.* 11. *n.* 6. *in fin.* præfa-

ti hi Doctores *textu. c. final. citati.* profectò non adjuvantur, cum ibi luculenter duo cumulatim referantur, quorum intuitu Sumus Pontifex delinquentes Ecclesiæ Immunitate interdixit: nempe, ut loquitur capitulum: quod sperantes se obtenturos Immunitatem suorum excessuum per defensionem Ecclesiæ, homicidia &c. in ipsis Ecclesijs, vel earum Cæmeterijs committere non verentur.

Respondet quidem *Abbas Panormit.* hanc causam tantumtummodo impulsivam esse, non finalem, verè autem finalem hujus constitutionis eam assignari posse, ob quam neganda veniat delinquentibus hæc Immunitas, quod in Ecclesia deliquerint.

Sed hoc gratis dicitur, & est tantùm divinare, cùm ex textu. *c. fin.* manifestum sit, utrumque à Pontifice tanquam fundamentum futuræ constitutionis, super quo intentionem suam fundet, allegari. Et hæc nostra sententia teste ipso *Abbate citato. c.* æquior & probabilior est, atque eandem ex antiquis tenet *Hostiensis.*

Cæterum cùm in textu *c. fin. cit.* tantum mentio fiat homicidiorum ac mutilationis membrorum, in Ecclesia sub spe veniæ commissorum, Dubium est, num alia quoque maleficia in Ecclesijs sub tali spe veniæ commissa, eâdem pœnâ negatæ Immunitatis plectantur.

14. Antequam ad hoc dubium respondeam, sciendum est, quantum ad homicidium vel mutilationem in Ecclesiâ commissa, cum versemur in odiosis, & restringentibus Immunitatis favorem, homicidium debere esse consummatum, aut talis mutilatio facta esse, quæ reverâ privet aliquo membro, hinc multi negant etiam ob percussionem in Ecclesia cum sanguinis copiosâ effusione, si non intervenerit membri alicujus

cujus mutilatio, amitti Privilegium hujus Immunitatis. Hinc excussio dentis, præcisio digiti, vel inflictio magni etiam vulneris, modò lethale non sit, non privat Immunitate. per ea, quæ notat *Thom. del bene. dub.* 19. *sect.* 1. & 2. Et ratio est, quia revera non est homicidium, vel mutilatio, cum dens & digitus non tam membra sint, quam partes membrorum. *Bart. in L. 2. ff. de publ. judicijs. Covarr. in Clement. si furiosus. p.* 3. & alij, quos citat *idem Thom. del bene. num.* 6. An autem Immunitate quoque indignus sit, qui in ipsa quidem Ecclesia non occidit, vel mutilat, sed in cohærentibus Ecclesiæ, vel Cæmeterio. v. g. turri, porticu, campanili, ostio, tecto &c. dubium est inter DD. ut videre est apud eundem *Thom del bene. dub.* 19. *sect.* 6. Et ratio dubitandi est, quia hæc loca præstant ad ea confugienti securitatem asyli, ergo si spe Immunitatis ibi deliquerit aliquis, à contrariô sensu privandus videbitur, tanquam peccans spe Immunitatis consequendæ in Ecclesiam, vel Cæmeterium. Respondetur: etsi hæc sententia probabilis sit, videri tamen contrariam probabiliorem, & magis favorabilem Immunitati Locali. Ratio fundamentalis est, quia, cum certum sit, absolutè concessam esse Immunitatem delinquentibus, qui ad Ecclesiarum asyla confugiunt, & textus Juris atque constitutio Gregorij XIV. hanc in genere concessam Immunitatem limitet solum, & excludat ab ipsa occidentes, vel mutilantes sub spe Immunitatis in Ecclesia vel Cæmeterio, ergo versamur in terminis exceptionum odiosarum, & Immunitati absolutè concessæ derogantium. verba sanè exceptorum casuum propriè accipienda erunt, ut sonant, consequenter neque facienda extensio, vel ampliatio ex paritate rationis. quis autem non videt, in rigore Ecclesiam vel Cæmeterium non esse eidem solummodo cohærentia? v. g. turrim, tecta, campanile. Et confirmatur ex eo, quia neque in his locis ef-

sio sanguinis vel seminis facit, ut inde polluta dicatur Ecclesia, sicut notat *Barbosa de Iure Eccles. lib. 2. c. 3. n.* 64. citatus cum alijs *à Thom. del bene. dicta. sect.* 6.

15. Si dicis, gaudet aliquis Immunitate Ecclesiæ si ad dicta loca confugerit, ergo gaudere eadem Immunitate non debet, si spe Immunitatis in ijsdem occiderit vel mutilârit. Respondemus negando consequentiam, quia in primo casu versamur in favorabilibus, secundo autem casu in odiosis. ergo extensio facienda non est, quia utut in præfatis locis Ecclesiæ cohærentibus aliqui taliter deliquerint, tamen verum non est, quòd in Ecclesiâ vel Cæmeterio, propriè sumptis his nominibus, mutilaverint, vel occiderint, quod tamen requirere textus Juris & constitutio Gregorij XIV. videntur.

16. Quod si in certis casibus aliud Pontifices fieri jussêre ob certas circumstantias & ex causis particularibus animum Pontificis ad id moventibus, illud Legem universalem de Immunitate tollere non debet, cum non in omni casu militent circumstantiæ & causæ particulares, quibus motus Pontifex aliud fieri hîc & nunc præcepit. vid. *eundem Thom. del bene. cit. sect. 6. num.* 11.

17. His præmissis: Respondeo certum videri de Jure SS. Canonum scripto, alia quoque majora crimina eidem pænæ subjacere. Loquitur enim textus statim à principio capituli cit. generaliter, quando sic ait: Nonnulli impunitatem suorum (NB.) excessuum per defensionem Ecclesiæ obtinere sperantes. De homicidio autem, & mutilatione membrorum in subsequentibus tantùm exempli gratia Pontifex subinferebat. Exempla autem non restringere Legem, vel Regulam generaliter loquentem, certum est, per text. *Instit. de grad.* §. *hactenus. & c. Romana.* §. *si autem. de Appell.*

Hinc

Hinc qui adulterium in Eccleſiâ committeret, vel virginem ſub ſpe veniæ ibidem raperet, ab eadem Immunitate excluderetur, cùm ſit gravis Exceſſus ſub ſpe impunitatis in Eccleſia commiſſus. ita tenent multi apud *Barboſam allegati. cit. ſæpe c. fin. hoc tit. de Immunit. Eccleſ. num. 4.* & in terminis *Panormit. n. 9. ad idem c. fin.* vide quæ contra iſtiusmodi extenſionem ad alia delicta in contrarium docet *Thom. del bene, cit. dub. 19. ſect. 1 n. 7.*

18. Atque hæc eatenus ampliamus primò, ut qui taliter deliquit in una Eccleſia, capi poſſit etiam in alia, in quâ nihil deliquit. redundat enim interpretatione Juris hæc injuria, quæ uni Eccleſiæ illata eſt, tanquam domui Dei & loco ſacro, in omnes alias Eccleſias. *Barboſ. citato paulo antè. c. n. 6. Sylveſter verbo. Immunitas. 3. q. 2. Azor. tom. 2. lib. 9. c. 9. q. 9.*

19. Ampliatur ſecundò, ut reus hac Immunitate careat, ſive delictum in Eccleſia cœptum ſit, ſive conſummatum, vel quod idem eſt, ſive Eccleſia ſit, terminus à quo initium habet talis exceſſus, ſive terminus ad quem tendat maleficium, vel exceſſus. Hinc tam qui ſtans in Eccleſiâ alterum foris morantem Sclopeto petit & interimit, ab hoc excluditur privilegio, quàm qui, cùm extra Eccleſiam eſſet, ſtantem in Eccleſia fiſtulâ æneâ exploſâ peremit. Contrarium tenet *Thom. del bene. dub. 19. ſect. 5.*

20. Ampliatur tertiò etiam ad mandantem in Eccleſiâ, ut foris v. g. alter exiſtens perimatur, vel qui foris jubet, ut in templo, vel Cæmeterio aliquis interficiatur. Ex eodem fundamento, & ratione. teſte *Navarr. in Manual. cit. c. 25. num. 21. verſ. quod neque ſi exiſtens.*

21. Ampliant aliqui quarto etiam ad eos, qui prope Cæmeterium, vel Eccleſiam (intellige ubi extenſio Immunitatis ad 40. vel 30. paſſus conſuetudine abrogata eſt, ut paſſim in Civitatibus) ſub ſpe Immunitatis ex propoſito mutilant, oc-

cidunt, vel aliàs graviter delinquunt. quod tamen non placet, cùm hoc nullo textu in præsenti materia probari possit. tum etiam, quia, ut supponimus, delicta tali in loco perpetrata non sunt de exceptuatis criminibus, qualia sunt, ut audivimus, latrocinia, vel nocturnæ populationes. tum quia duo requiruntur, & quidem cumulativè, ut vigore. *c. fin. hoc tit.* aliquis hac Immunitate privetur: Ergo sola spes consequendæ Immunitatis & veniæ, cum qua perpetratur delictum, absque eò, ut illud contingat in Ecclesia, vel Cæmeterio propriè talibus, sed solum in cohærentibus ijsdem, non erit sufficiens ad infligendam privationem hujus Immunitatis. præsertim cùm homicidium etiam voluntarium, per se loquendo, non privet hac Immunitate, atque spes illa res solius animi sit. ea autem, quæ solius animi sunt, censuræ, & pænis fori externi per se non subjiciuntur. Ecclesia enim solùm judicat de exterioribus.

22. Dixi superiùs: si gravis committatur excessus, vel crimen in Ecclesia sub spe veniæ, locum non esse huic Privilegio. si enim delictum tantummodo unum foret ex levioribus, non privaret hac Immunitate. Arbitrabitur autem Judex Ecclesiasticus, num inter majora vel minora crimina, si quid patratum est, referri debeat. Hinc cum Sacrilegium, quod in loco sacro committitur, teste *Navarr. in manuali. c. 25. n. 19.* communiter in numerum criminum majorum redigatur, auferentem res sacras ex Ecclesiâ, ibique deprehensum, negant aliqui hac gaudere Im̄unitate. ut videre est per citatos à *Barbos.* sæpe nominato *c. fin. de Immun. Eccles.* imo non desunt, qui sentiant, res etiam non sacras in Ecclesia suppilantem, hoc Privilegio privari. quod tamen multi negant. vid. *Thom. del bene. cit. dub.* 19.

23. Ultimò, communis est sententia, stante præsertim constitutione Gregorij XIV. Pontificis, quæ tenet, quod nec

homi-

homicidæ proditorij etiam extra Eccleſiam, & non ſub ſpe Immunitatis, hoc crimen committentes, Eccleſiarum aſylo gaudeant. Dicuntur autem tales qui à tergo occidunt ex inſidijs, vel quocunque alio modo, nihil ejusmodi enorme ſuſpicantem. inter quos communiter, & meritò referunt illos, qui veneno necant. Et hæc ſententia à plurimis tenetur, quos citat *Barbos.* ſæpe allegato. *c. inter alia. hoc tit.* vide etiam *Covarr. cit. c. 20. lib. 2. var. reſol. num. 7.*

24. Inter hos maleficorum, quos dicta Imunitate privandos cenſemus, laverniones, recenſemus etiam aſſaſſinos, eorum receptores, occultatores &c. teſte *Thom. del bene. dub. 21. sect. 6.* ut communiter hodie aſſaſſini accipiuntur, illos ſcilicet, qui pecunja conducti interimunt, quos etſi frequentiores in Italia alijsque exteris Regionibus, quàm in noſtra Germania eſſe credamus, tamen, ſi qui forent, ubi ubi denique occurrerint, eſſe indignos judicamus hoc Privilegio. Et ratio eſt, quia verè publici latrones ſunt, conſequenter de numero eorum, qui prohibentur hac Immunitate. tum quia indifferenter tam ex propoſito, quàm ex inſidijs cædibus aliorum inhiant, quorum interimendorum causâ ſtipendium accepêre. conſequenter etiam virtute eorum, quæ diſponuntur *in c. 1. de homicidio.* hac Immunitate carere debent. ubi in terminis ita loquitur textus: Si quis per induſtriam occiderit proximum ſuum, & per inſidias, ab Altari meo evelles eum, ut moriatur. Quos autem in rigore textûs. *c. 1 de homicidio in 6.* per aſſaſſinos *Covarr. loc. cit.* intelligendos arbitretur, videre apud eundem præfato. *c. 20.* potes.

25. Utrùm autem is, qui mandat aliquem inſidiosè occidi, eadem pœna teneatur in propoſito, quâ mandatarius effectivè occidens, dubium eſſe poteſt, cùm textus citatus

hoc

hoc titulo, & *in c. 1. extra. de homicidio*, tantum loquatur de ipso homicida, non verò de eo, qui solùm mandat fieri homicidium. Ego existimarem, secutus opinionem *Barbos. in c. fin. hoc tit. n. 9. Suarez. cit. lib. 3. c. 11. n. 7.* aliorumque, qui ab eodem *Barbos.* allegantur, ubi suprà. taliter mandantem, effectu homicidij secuto, eâdem privari Immunitate. tum quia communiter mandans & mandatarius in delictis eâdem pœnâ tenentur. per bonum textum *in c. sicut dignum. de homicid. §. qui verò se asserunt.* ibi: nisi fortè ad illud homicidium suis suggestionibus provocâssent. & textus *est in c. 1. eodem tit. de homicid. in 6.* Sicut in simili mandans percuti Clericum, effectu secuto ex communi sententia excommunicationem incurrit. tum quia aliàs sæpè, ut videre est in Excommunicationibus *Bulla Cœnæ Domini*, mandans & mandatarius, effectu secuto, eâdem excommunicatione feriuntur. per ea quæ docet *Navarr. in Manuali. c. 27. n. 51. & n. 78.* & textus etiam expressius est *in. c. mulieres. §. illi verò. de Sent. excommunicat.*

26. Interim tamen negandum non est, cùm versemur in materia odiosa, mandantem & mandatarium non semper eâdem pœna affici, præsertim si illud ex textu, & tenore legis, vel Canonis noneruatur. Quando ergo & quoties mandans & mandatarius eâdem pœnâ plectendi sint, vide quæ docet *Anton. Gomez. var. resol. cap. 3. n. 30. Menoch. de arbit. judicum. casu. 353. n. 2. Decian. tract. crim. lib. 9. c. 31. & seq. Cavall. communium contra communes. q. 166.*

27. Cæterùm etsi multi velint, Judæos & gentiles, ut videre est per citatos apud *Barbos. cit. c. inter alia. hoc tit. num. 50.* hâc gaudere Immunitate, Puto tamen de jure multò verius esse, illos hoc privilegio non gaudere, eo ipso, quod extra

Eccle-

Eccleſiam ſint, & conſequenter indigni hoc favore, præſertim cùm Eccleſia non judicet de ijs, qui foris ſunt, per ea, quæ notantur in Epiſtola Pauli ad *Corinth.* 1. *c.* 5. in fine. Et ita tenet etiam *Abbas. cit. c. inter alia. n.* 7. *Covarr. ubi ſuprà. n.* 11. *Cardin. Thuſcus. verbo. Eccleſia. concluſ.* 10. *n.* 27.

28. Hæreticos autem propterea etiam indignos hoc privilegio exiſtimamus, quòd proditores Dei appellantur, & malitiosè in ipſam Eccleſiam delinquant, ut loquitur *Barboſ. dicto. c. inter alia. n.* 51. & tenent hanc ſententiam plurimi citati ibidem. & in terminis *Covarr. ubi ſuprà. n.* 11. *Suarez. lib.* 3. *de Relig. c.* 10. *n.* 9. & 13. Præſertim cùm in Bulla Gregorij XIV. hæreſis crimen expreſsè inter caſus exceptos numeretur.

Et hæc ſententia à fortiori procedit quô ad eos, qui à Religione Catholica apoſtatârunt, cùm ſint hæretici, & graviſſimè in Eccleſiam delinquant. vid. ſæpè nominat. *Barboſ. cum cit. à ſe n.* 52.

His ergo à privilegio Canonis per expreſſos textus *SS. Canonum*, vel ex communiori ſententia Doctorum, & Interpretum Juris excluſis:

Dicimus conſequenter cum *Navarr. in Manuali. c.* 25. *n.* 19. *Barboſ. cit. c. inter alia.* Reliquos, qui expreſſe non prohibentur hoc privilegio, hâc Immunitate indignos non videri.

29. Negamus ergo furem ſimplicem, reum criminis peculatûs, fabricatorem falſæ monetæ, raptorem virginis, ſacrilegum (modò hoc crimen in Eccleſia, ut nonnulli volunt, non commiſerit) blaſphemum, non ſuſpectum tamen de hæreſi, ſimoniacum, bannitum, excommunicatum extrahi ab Eccleſia poſſe, quòd ſi verò de facto extrahantur, reſtitui debere. Ita *Barboſ. cum plurimis citatis. ſæpe allegato. c. inter alia. num.* 32. adnumerat his ante recenſitis *Thom. del bene. tom.* 2. *de Immun. c.* 16. *dub.* 10. *ſect.* 6. eum qui etiam cum effractione ex carcere

 fugit,

fugit, vel qui ex manibus lictorum se proripiens ad Ecclesiam venit. *sect. 7.* item condemnatum ad triremes, si fugâ inde in Ecclesiam elabatur. *sect. 9.* imò & eum, qui sub juramento promisit redire ad carcerem, & interim in Ecclesiam se recipiat. *sect.* 10. etiam Sodomitam secundum eundem *Thom. del bene. eod. c.* 16. *sect. 7.* modò tamen in Ecclesia sub spe Immunitatis hoc crimen non commiserit, tunc enim secundum superiùs traditam doctrinam, censerem privari Immunitate. vide plures adhuc allegatos *seqq. section. à Thom. del bene.* quos omnes censet hac Immunitate gaudere, quia de exceptis personis non sunt, nec in Ecclesiâ, ut supponitur, crimina aliàs satis atrocia patravere. De crimine læsæ Majestatis est expressum secundum eund. *Thom. del bene.* in constit. Gregorij XIV. quod privetur immunitate. quid autem sit crimen læsæ Majestatis, quomodo incurratur, & quibus pœnis subjiciatur. vide apud eundem *dub.* 23. *sect.* 1. 2. 3. & 4.

30. Quod si talem, qui gaudet Immunitate Ecclesiasticâ, judici Laico ex certis causis, & quidem volentem restituat Ecclesia, cautionem præstare tenebitur judex Laicus, de non infligendâ pœnâ mortis, vel mutilationis, etsi aliàs puniri non prohibeatur. per express. *text. gloss.* & communiter Interpretes. *cit. c. inter alia. hoc titulo.*

31. Cæterum communiter dubitari solet hic à Doctoribus, an hac Immunitate Locali etiam Clerici vel Monachi graviter delinquentes gaudere possint, ac debeant, cùm textus passim de Laicis loquantur, neque quò ad hoc provisum expressè circa Clericos vel Monachos de jure *SS. Canonum* inveniatur. Ego breviter respondeo ad hoc dubium, videri *Abbatis Panormit.* Sententiam negativam veriorem esse, sicut communiter etiam contrariæ sententiæ authores fatentur: eam in praxi quoque observari.

32. Ar-

32. Argumenta utriusque ſententiæ allegat *cit. c. inter alia. hoc tit. à n.* 14. *Barboſ.* ubi affirmativam contra Abbatem cum *Ludov. Rom. conſ.* 234. & alijs ibidem ad longum allegatis amplectitur. atque cum *Farinac. tit. de Immunit. c.* 2. *n.* 36. aſſerit: pro hac ſententia SS. Congregationem Cardinalium, Interpretum *Concil. Trident.* ſtetiſſe, ac ſequendam determinâſſe. quod ſi verum eſt, & ea deciſio authoritate & conſenſu ac approbatione Sedis Apoſtolicæ, emanavit, non eſt ratio cur ab ea recedamus. interim quia de hoc certi non ſumus, cùm hodieque multos contrarium tenere legamus, rationem pro noſtrâ opinione ſtabilienda aſſignamus primò, quod Clericos tanquam in ſortem Domini vocatos, ob vitæ & morum integritatem, quam ob ſtatus ſui excellentiam tenere debent, longè alienos tum ab effuſione ſanguinis, tum aliorum enormium flagitiorum eſſe oporteat, conſequenter SS. Canones noluerunt ejusmodi præſtando delinquentibus aſylum, tanquam indignos ob enormitates commiſſas, defendere.

33. Secundò certum eſt ex *textibus ab Abbate allegatis.* ut *c. univerſitatis. de ſent. excom. c. fin. de regular. c. præceptum.* 2. *q.* 2. *c. qua fronte. de appell. clement.* 1. *de privileg. verſ. ſi qui contra. c. non ſolùm. in* 6. *de regul.* & alijs locis; tam Monachos, quàm Clericos etiam communiter viventes, poſt delicta ab eis commiſſa, juberi aliquando virgis cædi, aliquando incarcerari, quod ſtante hac Immunitate fieri vix poſſet, cùm nequeant hac Immunitate gaudentes aliquâ pœnâ afflictiva corporis affici. *ſæpe dicto. c. inter alia. c. id conſtituimus.* 17. *q.* 4. & ſæpè ob egeſtatem neque pecunaria locum haberet.

34. Tertiò cùm nec Laicos aſyla Eccleſiarum eatenus defendant, ut à ſuis Judicibus, ſaltem poſt traditionem, debitis pœnis, citra mortem tamen aut mutilationem, puniri non poſſint, non eſt ratio cur Clerici vel Monachi defendantur

Immunitate, si enim hoc privilegio defenderentur, tunc ea defensio vel esset contra Laicos judices, vel Ecclesiasticos? non primum, quia per se sunt exempti ab illorum jurisdictione. non secundum, quia cessat ratio in Clericis, quæ militat pro Laicis, cur ad Ecclesiam confugientes à Laicorum invasione defendantur, nimirum, quod ob dignitatem, & prærogativam loci exercere ibi jurisdictionem, Laicum aliàs sibi subditum capiendo, tanquam in loco à sua jurisdictione exempto sæculares non possint. quæ ratio sine dubio non subest in Clericis, ut per se patet.

35. Deinde, cùm certum videatur, hanc Immunitatem à *Iure SS. Canonum* ob eam etiam causam esse introductam, quatenus Rei ad Ecclesiam confugientes liberentur à morte, vel mutilatione, Clerici autem per se tuti sint ab hoc utroque, cùm Ecclesia delinquentibus nunquam mortem, vel mutilationem inferre consueverit, non videtur ratio, cur dicamus, Clericos ad Ecclesiam confugientes hac Immunitate gaudere.

36. Consequenter, cum Clericorum delicta vel maximè non debeant remanere impunita, ob gravia scandala, quæ exinde facilè orirentur, neque ipsis periculum immineat mortis, vel mutilationis, tametsi negemus, eos Immunitate gaudere, neque lædatur templorum dignitas, licet à suis superioribus Ecclesiasticis deposcantur Clerici ad pœnam Canonicam, non video, cur eos defendi asylis Ecclesiarum, aut Immunitate gaudere debere, dicamus.

37. Et hanc sententiam præter plures *citatos à Barbos. ubi suprà.* tenet *gloss. in c. nullus Clericorum.* 11. *q.* 4. teste *Panormitan. dicto c. inter. alia.* cujus post SS, Canones & textum, potior est authoritas. Consequenter si quis ex ordine Clericorum, vel Religiosorum homicidium, vel adulterium, aut aliud ejus-

jusmodi crimen committat, ac propterea fugiat ad Eccleſiam, tanquam aſylum, judici ſuo Eccleſiaſtico, quatenus pro tali exceſſu pœnâ canonicâ emendetur, reſtituendus erit.

38. Hoc tamen putarem ſingulariter obſervandum, quòd, ſi foret tale crimen, quod commiſit, propter quod gauderet etiam Laicus Immunitate, dignum tamen in perſonâ Eccleſiaſticâ degradatione, & Traditione Curiæ Sæcularis, ad inferendam mortem, vel mutilationem, tunc Clericum extrahi ab Eccleſia non poſſe, ad hoc, ut tradatur Curiæ Sæculari morte afficiendus, vel ſaltem tunc tradendum ſolummodò eſſe cum prævia cautione, ne morte, vel membri mutilatione, aut aliâ pœnâ corporali, quæ gravis ſit, afficiatur. Et tunc locum habere poteſt ſententia contraria. Et ratio eſt, quia tunc majori ex parte ceſſant rationes & motiva, ob quæ negavimus abſolutè, & in genere ipſis hoc privilegium Immunitatis, ſive aſyli Eccleſiaſtici competere. & quia quantum ad effectum pœnæ irrogandæ incipiunt qualitatem perſonæ ſæcularis induere.

39. Argumenta adverſariorum, ut videre eſt apud *ſæpè cit. Barboſ.* nimis à generalibus petuntur, & facilè noſtrâ opinione ſolvuntur ex dictis. Quòd ſi delictum à Clerico commiſſum ita enorme ſit, & tale, propter quod neque Laicus aſylo Eccleſiæ defenderetur; Dicimus: à fortiori neque Clericum tunc Immunitate adjuvandum, & procedi contra illum poſſe pro qualitate criminis, ut juris eſt. Vide præter ſuperiùs allegatos *Dianam. qui reſolut. p.* 11. *tract.* 1. *hoc tit. reſol.* 25. quantum ad regulares in fine tenet in terminis noſtram ſententiam.

40. Quod ſuprà de raptoribus virginum, tanquam hac Immunitate gaudentibus diximus, eatenus confirmamus, ut tametſi jus Civile per *expreſſ. textum in authent.* §. *ne-*

que autem homicidis. titul. de mandat. Principum. communi hoc Ecclesiæ asylo indignos pronunciet, nihilominus excludendi ab eo non sunt. per express. text. *in c. de raptoribus. 36. q. 1.* in materiâ enim Immunitatis Ecclesiasticæ, etiam apud Judices Sæculares, standum potius decretis Pontificum est, quàm Juris Cæsarei Sanctionibus. sicut testatur etiam *Covarr. cit. c. 20. n. 3.* pertinet enim hoc ad reverentiam, & honorem exhibendum locis sacris, quorum cura ad Pontificem, & prælatos Ecclesiasticos spectat. Et hinc illorum constitutiones hac in re legibus Sæcularibus præferendæ sunt. ita tenet etiam gloss. sæpè *cit. c. inter alia. & c. antiquitus. 17. q. 4.*

41. Quod superius de spacio 40. vel 30. passuum hodie ad ambitum Cæmeteriorum de consuetudine restricto diximus, putamus maximè verum esse, quantum ad urbes & oppida ob frequentiam templorum in ejusmodi locis communiter ædificatorum: & sanè rationabilis ad modum est hæc consuetudo, quâ extensionem immunitatis usque *ad* 40. *vel* 30. passus ad solum Cæmeteriorum ambitum coarctatam diximus, ne plurima videlicet delicta & homicidia, quæ frequenter in civitatibus committuntur, maneant impunita. præsertim cùm nihilominus Ecclesiarum honori satis consulatur, ut superiùs etiam notavimus.

42. Et ad id, quod superius quoque *c. 2. hac disput. 4.* ex communi sententiâ docuimus, confugientem reum ad Sacerdotem Eucharistiam deportantem, si modò in suâ libertate is tunc extiterit, eâdem Immunitate gavisurum, quâ frueretur qui ad Ecclesiam se recepisset. allego etiam *Dianam resol. p. 1. tract. 1. hoc tit. resolut. 28.* ubi meâ opinione rectè extendit ad eum etiam casum, quo taliter confugiens solùm se recepisset in cubiculum ægrotantis, in quod Sacerdos ad eum communicandum intravit, tametsi Sacerdotem non apprehendisset.

hendiſſet. Et ratio ſecundum eundem eſt, quòd hæc immunitas maximè conceſſa ab Sede Apoſtolicâ, & Eccleſia cenſeatur ob reverentiam venerabilis Sacramenti, & locus ille, ubi modò ſe detinet cum venerabili Euchariſtía Sacerdos, repræſentet Eccleſiam, quæ indubitatè, ceu domus Dei, hac immunitate gaudet, videtur admodum rationabile, ut & eô in loco reus receptus, tanquam ad aſylum, eadem immunitate gaudeat. ſicut non improbabiliter idem Doctor extendit etiam ad eum caſum, quô, cùm publicè deportaretur, Reus, etſi Sacerdotem vel haſtam baldachini non tangat, ſe inter aſſociantes, vel comitantes Euchariſtiam recepiſſet. & citat pro hac ſententia etiam *Suarez.* & alios. merito autem è contra negatur hæc Immunitas eo in caſu confugienti Reo, qui jam incarceratus eſt, cùm amplius ſui Juris non ſit, nec naturaliter liber. Et ratio, præter ſuperiùs dicta, eſt, quod Eccleſia non intendat auferre Jus tertio quæſitũ in tali incarcerato, in cujus poſſeſſione Magiſtratus, vel Judex Laicus eſt. ſicut neque ſervos confugientes ad Eccleſiam tutatur aliter, quàm quòd poſt reſtitutionem, illorum Domini cavere debeant, de eorum impunitate. per expreſſum *textum. ſæpè cit. c. inter alia.*

43. Cæterùm dubiæ quæſtionis eſt, cujus expenſis alendus veniatis, qui ad Eccleſiam confugit? fruſtraneũ enim foret hoc confugium, ſi negari alimenta poſſent. Reſpondeo cum *Abbate* ſæpè allegato. *c. inter alia.* quòd, ſi proprium habent ejuſmodi fugitivi, ex bonis eorum providendum ipſis de alimentis ſit: quòd ſi nihil habent, laborando victum quærent. Si verò nec hoc modò ſibi providere poſſint, tunc tanquam pauperibus Eccleſia ſubveniet. Et hoc videtur ſatis æquum. Putarem tamen ejuſmodi hominem, qui ab Eccleſiâ & tutamen, & alimentum accepit, ex æquitate naturali obligatum eſſe, ſi ad pinguiorem fortunam pervenerit, refundere ex-

pen-

pensas alimentorum, præsertim si modica non essent, & Ecclesia non multum locuples.

44. Major difficultas est, an eo in casu, quo aliquis confugit ad Ecclesiam, indignus Immunitate, à judice Laico extrahi possit, sine licentiâ Episcopi. *Covarr. ubi supra. c.* 20. *n.* 18. & cum eo *Suarez. de Relig. lib.* 3. *c.* 13. tenent: talem posse propriâ authoritate à Magistratu sæculari extrahi, moti eâ ratione, quod non lædatur tunc Immunitas Ecclesiarum, cùm eos tunc non tueatur Ecclesia, neque etiam tueri velit. & *Suarez* quidem addit: ipsum Jus dare hanc facultatem. Sed ut verum fatear, hoc ex textu *SS. Canonum* nullo modo eruitur. licèt enim dicat. *c. inter alia.* extrahi posse indignum ab Ecclesia, nullibi tamen ait: id fieri propriâ authoritate Laicali posse. neque videtur necessariò sequi ex eo, quia Ecclesia non concedit hoc in casu Immunitatem, ergo Laicus irruere sine licentiâ Ecclesiasticorum in Ecclesiam potest, & vi extrahere. Ratio dubitandi est, quia, cùm Ecclesiæ exemptæ sint à Jurisdictione Laicorum, capere autem subditum, sit actus jurisdictionis, non video, quomodo sine consensu, vel licentiâ Episcopi id fieri valeat. argumento *c.* 1. *de privileg. in* 6. & quæ notat idem *Suarez cit. c.* 13. *lib.* 3. *de Relig. num.* 10. Atque hoc vel maximè procedit, quando notorium non est, ejusmodi confugientem Immunitate non gaudere.

45. Et tametsi existimem in dubio, num quis hic & nunc gaudeat privilegio asyli, Ecclesiæ, vel Episcopi de jure esse cognitionem, arbitror tamen ejus rei decisionem, & cognitionem, saltem ex commissione, non admodum improbabiliter etiam in Laicum cadere, cùm non tam super jure Ecclesiæ, (saltem directè) quam hominis Laici capacitate ad jus & privilegium Ecclesiasticæ Immunitatis accipiendum controvertatur. ducto argumento probabili ex iis, quæ de Jure pa-

tro-

patronatûs Laicorum docent *Interpetes. extra. eodem titulo.* Cenſeo igitur cum *Cyno* & *Saliceto in authent. ſi quis ei. C. de adulter. Zerola. verbo. Immunitas. p. 1. cum Follero. p. 12. n: 6. prax. ſua crim.* ſicut illum citat idem *Zerola.* multò probabilius eſſe, etiam eo in caſu, quo quis non gaudet Immunitate, confugientem ad Eccleſiam à Judice Laico extrahi ſine licentiâ Epiſcopi non poſſe, quam tamen negare non debet, poſtquam ſufficienter conſtitit, tale delictum eſſe, propter quod ad Eccleſiam confugit, quod privet Privilegio Immunitatis.

46. Interim dando licentiam extrahendi Laico, Epiſcopus proteſtabitur, ſaltem ad cautelam, ſe dando licentiam extrahendi, nolle cooperari ad mortem ejus, qui extrahitur, ſed quandoquidem ei Jus aſyli Eccleſiaſtici hîc & nunc non competit, nolle Judicem ſæcularem impedire uti Jure ſuo, quod in hujusmodi reum habet. argumento eorum, quæ notantur in *c. prælatis. in 6. de homicid. & c. poſtulaſti. extrà. eodem tit.*

47. Utut igitur aliquis Immunitate gaudeat, ita ut invitus extrahi templo nequeat, inconceſſum tamen non eſt, ab eodem arma vetita, ſi quæ habet, ſicut & res furto ablatas, ſi penes ipſum ſint, imò & virginem vel puellam quam rapuit, & ſecum ad Eccleſiam traxit, auferre. Et ratio eſt, quod quo adhæc vetita eum Eccleſia non defendat, cujus ſolius perſonam ob loci reverentiam ſua Immunitate tutandam putavit. Et ita tenet etiam *Covarr. ſæpè cit. c. 20. var. reſol. lib. 2. n. 18. & textus eſt in c. de raptorib. 36. q. 1.* Dixi ipſo Jure vetita, aliæ enim res, & bona, vel pecuniæ, quæ apud ipſum ſunt, auſſerri ab eo non poſſunt. teſte *Suarez. ubi ſuprà. c. 12. n. .*

48. Cæterùm ad privilegium locale incidenter huc memorari libet, quòd Clerici aliæque perſonæ Eccleſiaſticæ, quantum ad eorum domos & habitationes, præſertim ubi ipſi per-

sonaliter resident, Immunes sint ab omni impositione hospitum, vel militum. vulgò Einquartierung der Soldaten/ oder anderer Weltlichen Personen. per expressum textum. *c. 1. hoc tit. de Immunit.* ibidem *Abb. n. 3. & 3. Barbos. ad idem. c. n. 3. Filliucius. tract. 16. c. 11. q. 2. n. 351.*

CAPUT VI.

Corollaria Quæstionum practicarum circa Immunitatem Localem.

COROLLARIUM PRIMUM.

SUMMARIUM.

Qui captus antè à lictoribus ducitur ad carcerem publicum casu per templum aut Cæmeterium, constitutus in templo vel Cæmeterio non potest provocare ad Immunitatis Privilegium, sed invitus etiam non obstante provocatione deducetur ad publicam custodiam. n. 1.

Idem dicimus à fortiori, si jam condemnatus per sententiam Iudicis, per Cæmeterium, vel Ecclesiam ducatur ad supplicium. eodem n. 1.

Ratio pro hac sententia allegatur ibidem: quia non dicitur is violenter ex templo abstrahi, cum liber in Ecclesiam non venerit, sed invitus & sub Iure Magistratûs sæcularis constitutus. eodem. num. 1.

Qui præstito Iuramento de redeundo ad carcerem licentiam obtinuit audiendi v.g. missam die festo, potest de licentia Episcopi extrahi à templo, saltem eo in casu, quo injustè incarceratus non est. n. 2.

I.

QUæritur itaque primò, quid dicendum eo in casu, quo aliquis cum captus esset à Ministris Magistratus Laici, ducitur ad carcerem pu-

blicum per Cæmeterium vel Templum, an provocante tunc ad Immunitatis Privilegium captivo, aquiescere ministri provocationi debeant, vel prosequi capturam suam ac deductionem possint, non obstante Templi vel Cæmeterij Privilegio? Et respondeo breviter omissis rationibus dubitandi inefficacibus cum *Archidiacono. in c. sicut antiquitus.* 17. *q.* 4. *& Covarr. ubi suprà. c.* 20. *n.* 13. posse ministros non obstante captivi provocatione ad Immunitatis Privilegium, prosequi deductionem suam, atque eundẽ carceri publico mancipare. Et ratio est, quod revera à templo violenter evelli dicendus non sit, cùm liber ingressus templum non fuerit. Idem à fortiori procedere dicimus, quo ad eum, qui jam per legitimam sententiam à Judice condemnatus per Cæmeterium, vel Templum ducitur ad supplicium.

2. Et tametsi aliqui apud *Covarr. cit. loc. num.* 13. teneant: illum, qui præstito etiam juramento de redeundo ad carcerem licentiam obtinuit v.g. ut die festo missam audire possit, concessum non esse, neque licitum, nolentem à templo, etiam de licentia Episcopi extrahere, crederem tamen, hoc solummodo verum esse, & in casu, quo injustè carceri mancipatus foret, quod si enim justè incarceratus fuisset, censeo, quod permittere deberent Ecclesiastici, ut is revocetur ad carcerem, & ita tenet etiam ex parte. *Panormit. cit c. inter alia,* in fine. Et sic limitatur illud, quod superiori *c. ex Thom. del bene.* in eodem casu absolutè diximus.

COROLLARIUM SECUNDUM.

SUMMARIUM.

Probabilissimum est, multa quæ de Iure communi, & secundum receptas sententias. DD. in priori. c. circa amittendam, vel obtinendam Immunitatem localem, diximus, hodie correcta esse per constitutionem Gregorij XIV. cui modo standum est contra Ius commune SS. Canonum. n 1 & 4.

Allegantur ad hoc exempla in specie de homicidâ proditorio, de illo, qui sub spe Immunitatis atrocia crimina in Ecclesia committit, & alia similia. n. 2. & 3.

Probatur nostra decisio ex varijs locis dictæ constitutionis. num. 4. 5. 6. 7. 8. 9.

Hodie vi dictæ constitutionis Gregorij XIV. ex solo homicidio & mutilatione in Ecclesiâ factis amittitur Immunitas, & sic quo ad alios casus Ius commune, & communis DD. sententia, quæ hoc ad alia quoque atrocia crimina extendit, corrigitur. 10.

Ratio ibidem affertur ex præfatâ bullâ Gregorij XIV. eodem n. 10.

Ex industria, & per insidias occidens hodie vi ejusdem constitutionis non privatur Immunitate. num. 11.

Quid sit ad mentem bullæ, in rigore proditoriè occidere. eod. n. 11.

Neq; hodie vi dictæ constitutionis amplius requiritur ut præterquam, quòd aliquis in Ecclesiâ alium occiderit, aut mutilârit, hoc insuper ex proposito, & sub spe Immunitatis consequendæ fecerit. 12.

Confirmatur, quod superiùs diximus, quatenus hodie vi ejusdem constitut. aliquis non amittat hoc Privilegium Immunitatis localis, tametsi ex proposito, & sub spe veniæ in locis Ecclesiæ, vel Camerario proximis occiderit, vel mutilârit. 13.

Proditoriè occidens, etsi vi bullæ sæpius nominata careat Immunitate (quis verò proditoriè dicatur occidere, n. 11. explicavimus) tamen si ad actum consummatum occisionis proditoriæ non pervenerit, licet solum per accidens non fuerit secutum homicidium, ex attentato tantùm homicidio, non autem consummato, non privatur Immunitate. 14.

Crimen læsæ Majestatis, quod privat vi constitutionis Gregorianæ Immunitate, tantùm intelligitur de cri-

de crimine læsæ Majestatis supremi Principis non recognoscentis alium super se. Hinc occidens Ducem, Principem, vel etiam Electorem Imperij, utut in ijs etiam crimen læsæ Majestatis locum habere dicatur, non perdit propterea Privilegium Immunitatis. 15. allegatur ibidem ratio.

Ut quis privetur ob crimen læsæ Majestatis Immunitate, debet illud commissum esse in ipsam personam supremi Principis, & non tantùm in ipsius statuas, vel alijs modis, quibus alioquin etiam crimen læsæ Majestatis incurritur. num. 16.

Is, qui indignus Immunitate ad Ecclesiam confugit, vi ejusdem Bullæ sine consensu & authoritate Episcopi loci propriâ authoritate à Laico magistratu extrahi nequit, imò neque arma, & res furto ablata confugientis ad Ecclesiam sine consensu Episcopi eidem auferri. 17.

Limitatur etiam vi dictæ constitutionis, quod suprà diximus, sclopetantem, vel sagittantem indifferenter privari Immunitate, sive ipse existens in Ecclesia alium extra sclopo vel sagitta interimat, sive intra. limitatur inquam solummodo ad casum quo intra Ecclesiam occidit. num. 18. & 19.

Mandans solùm in Ecclesiâ alium occidi, si non cooperetur effectivè ad occisionem in Ecclesia, probabiliter hodie post constitutionem Gregorianam non privatur Immunitate, sicut ipse occidens vel mutilans intra Ecclesiam. 20.

Hodie post promulgationem ejusdem Bullæ non videtur ampliùs distinguendum, an aliquis solùm ex ira subitanea, vel rixa casu coorta occiderit, vel mutilârit, vel an ex proposito. indistinctè enim dicit Bulla citata: mutilantem vel occidentem intra Ecclesiam privatum esse Immunitate. n. 21. limitatur. eod. n. nisi se defendendo mutilârit, tametsi moderamen inculpatæ tutelæ se defendendo âliqualiter excesserit, cum ratione ibidem assignatâ.

I.

QUæritur secundò, num ea, quæ superiori capite hujus disputationis, tam ex Jure communi. SS. Canonum, quàm communiori sententia Interpretum diximus.

2. Et quidem in specie, quod non tantùm ex capite homicidij; vel mutilationis in Ecclesia vel Cæmeterio commissorum aliquis privetur Privilegio Immunitatis, sed ex alijs etiam atrocioribus delictis.

3. Sicut &, quod occidens de industria, & ex insidijs, vi Decretalium per text. *in c.* 1. *de homicid.* evellendus sit ab Ecclesia & Altari, atque duo cumulative requiri nobis visum sit, ad incurrendam Privilegij privationem in eo, qui in Ecclesia delinquit: quatenus scilicet sub spe veniæ, & existens in Templo vel Cæmeterio, flagitium committat.

An inquam hæc & similia stante etiam Constitutione *Gregorij XIV.* quæ incipit: *Cùm alias nonnulli.* Hodieque locum habeant, vel revocata sint, adeòque non obstante Jure communi stare debeamus prædictæ constitutioni?

4. Et respondeo: tametsi *Gambacurta*, *Gutierez*, *Leymann*, *Zerola*, & alij locis allegatis à *Diana*, *resolut. p.* 1. *tract.* 1. *resolut.* 5. teneant: Juri communi per præfatam constitutionem derogatum nihil esse, censeo tamen cum eodem *Diana*, & pluribus alijs ab eodem citatis, multò verius, juri communi per eandem constitutionem derogatum esse, eique in judicando omninò stari oportere, adeo, ut censeat: contrariam sententiam prorsus rejiciendam.

5. Et moveor primò, quia *Gregorius XIV.* promulgavit hanc Constitutionem per modum legis universalis, ergo correxit jus commune in ijs, in quibus ab illo contrarium disponitur. ut manifestè colligitur ex §. 10. in fine. ibi: Perpetuò tollimus, & abrogamus: & ad terminos præsentis constitutionis reducimus. & §. 11. fidem eidem haberi ubique gentium & locorum præcipimus Et §. 1. dicitur: Quod differentias (diver-

versarum sententiarum) ad uniformem regulam reducere, & perperam interpretandi occasionem submovere Pontifex intendat.

6. Secundò, quia expressis verbis eodem. §. 10. decernit idem Pontifex, quod omnia, & singula abroget, quatenus præmissis, id est in hac constitutione memoratis, adversantur, aut in quantum plures casus, quàm Papa Gregorius suæ constitutioni inservit, ea complectuntur, vultque illa authoritate pontificia ad terminos præsentis constitutionis duntaxat restricta & limitata esse. consequenter, quidquid antè, vel de Jure SS. Canonum, vel consuetudine aliter circa hoc Immunitatis Privilegium, vel ejus amissionem introductum, ac dispositum erat, attendi inposterum noluit Pontifex, & tanquam correctum per Jus novum hujus suæ constitutionis esse jussit.

7. Tertiò, quia Pontifex in hac bulla cum particulâ taxativâ, se reducere omnia asserit ad unicam formam, ita enim loquitur. §. 2. in fine. Sublata penitus omni differentia ad unam tantùm formam reducimus & moderamur. Consequenter cùm ex Philosophorum regula forma det esse rei, & formâ non servatâ resultet nullitas actûs, quidquid præter, vel contra hanc formam, & casus exceptos, & specificè in eadem constitutione relatos erit, tanquam contra jus novum, irritum esse, & invalidum reputabitur.

8. Accedit, teste eodem *Diana*, expressa declaratio *Clementis VIII.* per quam is, qui homicidium commiserat per insidias, & ex industria, determinatur, quod gaudere debeat Immunitate Ecclesiæ (NB.) vigore constitutionis *Gregorij XIV.* eò quòd hic casus homicidij non sit de exceptuatis in Bul-

in Bulla. Et tamen quis nescit, de Jure communi talem homicidam privatum esse privilegio Immunitatis. per expressum *text. c. 1. de homicidio*: ergo indubitanter per hanc constitutionem correctum esse intelligitur Jus commune.

9. Ut taceam, Pontificem in eadem hac suâ constitutione sæpiùs facere mentionem Juris communis, ita quidem, ut quando voluit quatenus illud illibatum & incorrectum maneret, hoc specificè exprimeret. ut patet, quando loquitur de Clericis, Monachis, Militibus, eorumque Privilgijs. ibi: Quòd si quis, quacunque dignitate, & authoritate præditus, præmissorum (nempe indultorum per alios Pontifices concessorum) aut alio quovis prætextu, quidquam præter, aut contra hujus nostræ Constitutionis tenorem attentare præsumpserit, eum ipso facto Censuras incurrisse declaramus. Ut adeò, non videam, quomodo contrariæ sententiæ authores, præsertim *Zerola*, cum fundamento asserere possint, ea, quæ *Sixtus V.* alijque Pontifices circa hanc Immunitatem Ecclesiasticam concessère per Gregorij XIV. constitutionem, reducta esse ad terminos Juris communis.

10. Atque ita ex hucusque notatis ad constitutionem Gregorij XV.; primò intelligis, necessario hodie limitandum, quod superiùs de Jure communi tradidimus. quatenus non ex solo homicidio aut mutilatione in Ecclesia factis amittatur Immunitas, sed ex quocunque alio atrociori maleficio. Et ratio est in promptu, quia cum *Gregorius* certos tantùm casus exceperit, ob quos aliquis privari debeat Privilegio asyli, veluti sunt publici latrones, viarum grassatores, depopulatores agrorum, homicidia, & mutilationes in Ecclesijs, vel

Cæmete-

Cæmeterijs committentes, aut proditoriè occidentes, sicut & assassini, hæretici, aut læsæ Majestatis principis superiorem non recognoscentis Rei, multa autem alia crimina atrocia frequenter committantur, quæ non sunt ex numero relatorum in Bulla, sequitur, propter ejusmodi majora delicta hodie post constitutionem *Gregorij XIV.* non ampliùs Immunitatem amitti, consequenter tametsi aliquis hodie stuprum, adulterium, vel Sodomiam in Ecclesia vel Cæmeterio committeret, privatus asyli Ecclesiastici Privilegio non existeret, licet, ut bene advertit *Diana*, ubi suprà. *resolut.* 2. ejusmodi delinquentes sine dubio ob scandala, & atrocitatem facinorum à Judice Ecclesiastico ratione loci, delicti, puniendi sint. Imo ob nimiam aliquando atrocitatem delicti, curiæ sæculari, consulto desuper & consentiente Summo Pontifice tradendi. Et ita recte, & consequenter docet *Aloys. Riccius. p. 5. collect.* 1792. per præfatam constitutionem. *c. fin. de Immunit.* correctum esse. vide etiam *Bonac. de legib. disp.* 3. *q.* 7. §. 4. *num.* 12. *Farinac. de Immunit. Eccles. c.* 16. *n.* 208. & 209. *Steph. Gratian. discept. forens. tom.* 2. *c.* 380. *n.* 29.

11. Secundò colligis, ex hucusque dictis, quod tametsi de Jure Decretalium, is, qui ex industria, vel per insidias occidit, privatus Immunitate, ut vidimus, existat, hodiè tamen vi Bullæ Gregorianæ, ab eadem, modo homicidium proditoriè non commiserit, non excludatur. Et ratio est, quia tantùm proditoriè occidens interdicitur per Bullam Immunitate. Dicitur autem in rigore ad mentem Bullæ is proditoriè occidere, qui nullum rancorem, rixam, vel contentionem antecedenter cum eo, qui occisus est, exercuit, sed sub specie amicitiæ manus eidem violentas infert; adeoque qui sclopeto alterum à tergo, vel ex fenestra petit, &

interimit, ex hoc solùm, ad mentem Bullæ, non dicetur proditoriè occidisse. vide *Dianam. cum cit. ubi suprà. resol. 5.*

12. Tertiò, ex dictis ad præfatam Bullam, colligis, quod, quia simpliciter *Gregorius* suâ in constitutione decernit: occidentem, vel mutilantem in Ecclesia, aut Cæmeterio, indignum esse immunitate, amplius non procedat communior illa Interpretum sententia, quatenus duo cumulativè requirantur ad hoc, ut occidens, vel mutilans in Ecclesia aut Cæmeterio privetur Privilegio asyli Ecclesiastici. nimirum, quod non solum in Ecclesia vel Cæmeterio quis homicidium commiserit, vel mutilàrit, sed insuper, ut hoc sub spe veniæ consequendæ fecerit. Constitutio enim, cùm Jus antiquum, variasque Doctorum interpretationes, sublatâ omni differentiâ, ad unam solam formam imposterùm servandam reduxerit, meminerit autem solius qualitatis, & conditionis loci Ecclesiæ vel Cæmeterij ad incurrendam privationem Immunitatis, absque eo ut alteram conditionem apposuerit, quatenus sub spe veniæ quoque obtinendæ homicidium, vel mutilatio fieri debuerit, extendi deinceps cumulativè ad hæc duo ampliùs non poterit, & sufficiet aliquem in Ecclesia commisisse homicidium, ad hoc, ut privetur Immunitate, tametsi sub spe veniæ in Templo vel Cæmeterio delictum non commiserit.

13. Quarto, ex verbis dictæ constitutionis Gregorianæ colligis, quòd is, qui prope Ecclesiam vel Cæmeterium sub spe confugiendi ad illa deliquit, si post delictum extrà commissum, postea se ad Ecclesiam receperit, tanquam indignus Immunitate, extrahi non possit. Ratio desumitur ex verbis ipsius Bullæ, quæ homicidia, & mutilationes factas taxativè in Ecclesia, vel Cæmeterijs, solummodò privat Immunitate,

tate,

tate, ergo cùm verba distinctè sonent: in Ecclesijs vel Cæmeterijs, virtute ponitur à contrario hæc exclusiva: extra Ecclesias & Cæmeteria. consequenter sicut includit in uno, ex contrario sensu, eos, qui taliter occidunt vel mutilant inter indignos Immunitate, sanè in altero, ex contrario sensu, excludet eos, qui in Ecclesia, vel Cæmeterio non occidunt, sed extrà constituti maleficium committunt. Inclusio enim unius ex contrarijs est exclusio alterius. Argumenta, quæ in contrarium *ab Alciato in suo tract. de præsumpt. Regul. 3. præsumpt. 33. num. 2. & seq.* adducuntur, vide brevitatis causa per *Decianum. tom. 2. lib. 6. c. 28. n. 5.* integrè soluta. nobiscum sentit etiam *Sylvest. verbo Immunitas. 3. n. 5. Angelus. Tabiena. & alij.*

14. Quintò colliges, quòd is, qui aliquem voluit proditoriè occidere, ita, ut ad actum proximum devenerit, casu tamen homicidium non sit secutum, vi Bullæ Gregorianæ non privetur Immunitate. Ratio est, quòd Pontifex loquatur in dicta Bulla expresse de occidente proditoriè, unde ex vi verborum requiritur actus consummatus, cum effectu subsecuto; ad hoc ut quis Immunitatem amittat. & ita tenet etiam nobiscum *Farinac. tit. de Immun. c. 9. n. 145. & 146.* ubi asserit, quòd hæc opinio hodiè secundum Bullam Gregorij difficultate careat. vide. *etiam Bonac. de legibus. disput. 3. q. 2. §. 5. n. 16.*

15. Sextò colliges ex eo, quòd in bullâ specificè dicitur: Reos criminis læsæ Majestis in personam ipsiusmet Principis, inter privatos Immunitatis computari debere, hanc privationem non incurrere, qui in Duces, Principes, etiam Electores Imperij crimen læsæ Majestatis committunt, etsi enim in hos quoque dicatur crimen læsæ Majestatis committi posse, quia tamen in Jure nomine ipsiusmet Principis

solus supremus intelligitur, & qui superiorem non cognoscit, committens crimen læsæ Majestatis in eos principes, qui absoluti non sunt, sed superiorem recognoscunt, non privabitur Immunitate. Et ita tenet nobiscum citatus Prosper *Farinac. dicto tract. de Immun. c.* 13. *n.* 287. vide etiam *Barbos. in collect. ad Decretal. hoc tit. de Immunit. c.* 6. *n.* 10. Ratio rationis esse potest, quòd hic versemur in materia odiosa & pænali, ergo nomen Principis propriè, & ut in Jure accipi, absolutè sumptum, solet, accipiendum erit.

16. Cæterùm tametsi indubitatum sit, varijs modis committi crimen læsæ Majestatis posse, Dicimus tamen cum eodem *Farinac. dict. c.* 13 *n.* 190. non aliter Reum criminis læsæ Majestatis, privandum Immunitate, quam si hoc crimen in ipsam supremi Principis personam committat; consequenter injurij in statuam, vel Imaginem Principis, in habentes salvum conductum ab eo, in ipsius nuncios & legatos, vel cudentes falsam monetam, & alia hujusmodi crimina committentes, prohibendi Immunitate Ecclesiastica non sunt, cùm in ipsam Principis personam crimen læsæ Majestatis non committant, sicut tamen ad hanc Privationis pænam incurrendam dicta constitutio Gregoriana requirit. Et probabiliter etiam defendi potest, neque eum hac pæna privationis mulctandum, qui cum sciret machinationem aliquorum contra personam Principis, eam non detexit, quia licet tale crimen pænam mortis mereatur, tamen pæna privationis Immunitatis propterea ejusmodi Reus mulctandus non videtur, quia est potius crimen omissionis, quàm commissionis, cùm tamen dicta constitutio solos delinquentes in committendo, non omittendo in personam Principis, hac privatione Immunitatis feriat. per ea, quæ notat cum citatis *Diana, ubi suprà. resolut.* 8.

17. Septi-

17. Septimò colligis ex verbis *dictæ constitutionis*. §. 4. ibi: ne autem Curia &c. hodie indubitatum esse, quod *superiori. c.* docuimus: Laicos propria authoritate Reum, tametsi illum Ecclesia Immunitatis Privilegio non defendat, extrahere non posse, sed illud faciendum cum consensu & authoritate Episcopi illius loci, etiam sine periculo irregularitatis. Sicut in terminis dicitur *eâdem constitutione*. §. 3. *in fine*. ibi: sine irregularitatis notâ consignari & tradi curent. Quod eatenus ampliamus, ut neque arma prohibita, vel rem furto ablatam Magistratus civilis Reo ad Ecclesiam confugienti sine consensu Episcopi, eidem in Ecclesia auferre possit. Sicut bene advertit eodem *tract. 1. p. 1. resolut. 8. & 34. cum citatis à se Diana.*

18. Octavò non improbabiliter docet, stante hac, & attenta constitutione Gregoriana *Bonac. tract. de Legib. disput. 3. q. 7. §. 4 num. 8.* & cum eo *Diana. ubi suprà. resolut. 9.* existentem in Ecclesia, vel in aliquo Monasterio, ac sclopeto vel telo missili interimentem alium extra Ecclesiam vel Monasterium existentem non videri privatum hoc Immunitatis Privilegio, ex eâ ratione, quòd præfata Bulla illos solùm velit hac Immunitate privandos esse, qui homicidia, vel mutilationem membrorum in Ecclesijs committere non verentur. Sed certum videtur, proprietatem verborum sectando, talem, tametsi homicidium inchoâsse in Ecclesia dici possit, reverà, & effectivè in Ecclesia non commisisse homicidium, ergo hac pæna privationis, ademptæ Immunitatis, non videtur esse mulctandus. Sicut idem *Bonac. in tract. de censur. disp. 1 q. 1. Punct. 11. n. 11.* hoc à simili confirmat, ubi docet: quòd si Excommunicatio lata est in eos, qui in Ecclesia homicidium committunt, eadem censura non comprehendat eum, qui vibrans sagittam in Ec-

 clesia,

clesia, stantem extra Ecclesiam interimit. ergo cùm hoc quoque casu homicidium esse inchoatum in Ecclesia non juvet ad incurrendam Excommunicationis sententiam, si effectivè homo extra Ecclesiam occisus sit, neque priori casu inchoâsse homicidium in Ecclesia, & extra eandem consummâsse juvabit ad incurrendam privationis Immunitatis pænam, præsertim cùm versemur in pænalibus & odiosis, ubi verbum: occidere, propriè, & secundum effectum subsecutum accipiendum est.

19. Consequenter limitandum etiam esse intelligis, quod superiori capite abstrahendo à *constitutione Gregorij XIV.* ex communiori sententia docuimus: sufficere ad amittendam hanc Immunitatis prærogativam, sive inchoatum in Ecclesia vel Cæmeterio homicidium fuerit, sive consummatum. quamvis hæc sententia etiamnum hodie, etiam post promulgationem Bullæ Gregorianæ, à non paucis teneatur. ut videre per citatos apud eundem *Dianam* est.

20. Nonò similiter colliges ex verbis Bullæ, probabiliter limitandum esse, quod superiori capite de mandante diximus, quatenus eâdem cum mandatario pæna afficiatur. cùm enim ex ratione paulò antè assignatâ, Bulla Gregorij tantum eos huic Immunitatis privationi subjiciat, qui verè, effectivè, & propriè occidunt, mandans autem occidi, aliquem verè, & effectivè non occidat, non videtur eâdem pænâ afficiendus existens in Ecclesia, ac mandans aliquem intra Ecclesiam interimi, quâ effectivè in Ecclesia vel Cæmeterio occidens, vel mutilans afficitur. Et hanc sententiam, post promulgationem Bullæ Gregorianæ omnes tenere dicit *Diana. ubi suprà. resol.* 10.

29. Quòd autem idem *Diana ibidem resolut.* 11. docet, & nos *superiori c.* diximus; occidentem, vel mutilantem in Eccle-

sia

sia, vel Cæmeterio ex rixa subitaneâ, non privari hac Immunitate, mihi dubium non est post Bullam, cum in ea solum requiratur: ut aliquis in Ecclesia, vel Cæmeterio homicidium, vel membrorum mutilationem committere non sit veritus, non autem ut sub spe veniæ ibi deliquerit; atqui etiam ille, qui ex rixâ aliquem occidit, non est veritus homicidium in Ecclesiâ facere, ergo incurrit privationem Immunitatis. Aliud dicerem de eo, qui contra aggredientem gladio se defendit, occidendo, vel mutilando, tametsi moderamen inculpatæ tutelæ aliqualiter excesserit. Verbera enim non dantur ad mensuram, nec tunc præsumitur habere animum irreverentem offendendi, & violandi ipsam Ecclesiam. Et ita, quantum ad primum membrum sentit nobiscum *Peregrin. de Immun. c. 6. n.* 11. quo ad alterum, *Tabiena, Armilla, & Rosella. verbo. Immunitas.*

COROLLARIUM TERTIUM.

SUMMARIUM.

Qui confugit ad Ecclesiam, licet interim de eo judicari possit, effectivè tamen condemnari ad pœnam Exilij, triremium, vel perpetui exilij non potest. n. 1.

Allegatur authoritas textûs. 2.

Quod objicitur ex c. de raptoribus, videtur hodie correctum Iure novo, vel illud speciale est, & crimen raptûs non excedit, 3.

An possit aliquis vi & armis se eximere & liberare è manibus ministrorum Iustitiæ, eo fine, ut ad Ecclesiam confugiat, cui proximus est? 4.

Ratio negativæ resolutionis ibidem affertur. n. 5. *&* 6.

1.

QUæritur tertiò, an Reus, qui confugit ad Ecclesiam, interim, sicut judicari potest, etiam

etiam ad pænam v. g. exilij, triremium, vel perpetui carceris condemnari effectivè possit? Et Respondeo, tametsi *Gambacurta*, Sicut illum allegat *Diana. resolut. p. 1. tract. 1. resolut. 12. teneat. lib. 4. c. 33. & 35.* taliter condemnari posse. Sentio tamen cum *Farinac. in suo tract. de Immun. Eccles. c. 21. n. 333. & n. 336. Suarez. de Religion. tom. 3. tract. 2. lib. 3. c. 12. n. 6.* nullo dictorum modo condemnari posse. per *text. expressum. in c. inter alia. ibi:* neque inde damnari debet ad mortem, vel ad pænam, corporis scilicet afflictivam, ut interpetatur *Panormit. ibidem.* communiter receptus.

2. Quis autem non videt, & pænam exilij, & triremium, ac perpetui carceris esse corporis afflictivam? ergo eâ damnari pænâ non potest. Dixi: sicut judicari potest. quia judicari interim ejusmodi Reum à Judice, de Jure SS. Canonum non reperitur prohibitum, cùm hoc non præjudicet Immunitati Ecclesiæ, neque personam Rei in aliquo quantum ad corpus affligat. Præsertim cùm etiam in absentem, ferri sententia possit, etsi executio pænæ corporis afflictivæ fieri nequeat. & solùm eatenus Reum Ecclesia defendat, quatenus affici morte, vel aliâ pænâ corporis afflictivâ non possit, quamdiu manet sub asylo Ecclesiæ. Et ita tenet etiam ibidem *Suarez.*

3. Sed nunquid dicitur in *c. de raptoribus. 36. q. 1.* posse raptorem, tametsi ad Ecclesiam confugerit, condemnari, ut, ei, cui injuriam intulit, serviat? & nunquid pæna corporis gravis est, & afflictiva servitus? ergo poterit alius etiam Reus, qui ad Ecclesiam confugit, interim ad ejusmodi pænam condemnari. Sed Respondeo cum *Suarez. ubi suprà.* vel hoc speciale esse in raptore, ob atrocitatem criminis, vel illum Canonem

Eccle-

Ecclesiam universalem non obligare, præsertim cum Jure novo Decretalium, ut vidimus, aliud constitutum sit, & sic eatenus eidem derogatum.

4. Cæterum illud, quod *Diana. ibidem resolut. 13.* tenet, quatenus Reus, captus à Magistratûs civilis ministris, possit, si per vim intret Ecclesiam, cui vicinus est, & se de manibus eorum, etiam vulnerando eosdem cum magnâ sanguinis effusione eximat, gaudere Immunitate, non placet.

5. Ob rationem, quam superiùs assignavimus, eo quod Ecclesia concedendo Immunitatem ad eam confugienti, non intendat tollere Jus tertio quæsitum, illudque Privilegium solummodo impertiri intelligatur illi, qui, cum ad Ecclesiam confugeret, in sua libertate constitutus est, quod cum dici de tali Reo, jamjam in potestate Magistratûs Civilis constituto non possit, non video cur juvari taliter Immunitate Ecclesiasticâ ejusmodi Reus debeat. aliàs enim etiam frangens carcerem, & se ad Ecclesiam recipiens eâdem Immunitate defendi posset, quod videtur absurdum. ut taceam, eundem *Dianam* dicere, & concedere, *resolut.* 30. eum, qui cum extra Ecclesiam comprehensus est à Satellitibus, casu tamen ab ijsdem ducitur per Ecclesiam ad carcerem, Immunitate non gaudere.

6. Hancque sententiam de Jure veriorem ex ratione *à Tannero. 2.2. disput. 5. dub. 1. n. 17.* assignatâ, quia in sua libertate naturali constitutus ad Ecclesiam non confugit.

COROLLARIUM QUARTUM.

SUMMARIUM.

Iudex tametsi neque mandaverit, neq; consenserit, ut Reus evelleretur ab Ecclesia, vi vel dolo extractum per ministros, tenetur

 restituere

restituere Ecclesia, & ad eum restituendum agi potest, etiamsi is non gaudeat Immunitate. n. 1.
Ratio decisionis contra Suarez contrarium tenentem. 2.
Præjudicium ad stabiliendam nostram sententiam allegatur ex Diana. 3.

I.

QUæritur quartò, an Judex, qui nec mandavit nec consensit, ut Reus evelleretur ab Ecclesia, vi, vel dolo per Ministros extractum teneatur restituere Ecclesiæ, vel contra ipsum agi ad restituendum possit, casu, etiam quo non non gauderet ejusmodi Reus Immunitate? Et Respondeo: tametsi teneat *Suarez ubi supra. c. 13. n. 17.* judicem adversus talem Reum procedere posse, & consequenter non obligari restituere, eâ ratione motus, quod ipsum invenerit extra locum sacrum. Sentio tamen cum *Diana* & citatis ab eodem. *resol. 16. dicto loco.* omnino teneri ad restitutionem.

2. Et ratio est, quia ejusmodi Reus est affectus qualitate restitutionis Ecclesiæ debitæ, tanquam dolo vel vi eâdem spoliatæ, consequenter ad quemcunque transierit talis Reus, cum onere restituendi transibit. Sicut res furtiva ad omnes cum onere restitutionis transit.

3. Et allegat ibidem Diana præjudicium, ex quo probat nostram sententiam. cùm enim in Curia Neapolitana Judex ejusmodi Reum, taliter extractum, etiam assassinum, extremo supplicio affecisset, tam is, quam extrahentes, ipso etiam non mandante, declarati sunt excommunicati. per ea, quæ notantur in *Bulla Gregoriana*, jam sæpius allegata.

CO-

COROLLARIUM QUINTUM.

SUMMARIUM.

Testis, qui datâ operâ falsum testimonium dixit, eo fine, ut quis innocens morti traderetur, non gaudet Immunitate, si pecuniâ corruptus hoc fecit: habetur enim hoc casu velut unus ex numero Assassinorum. n. 1.

Quod si hoc fecerit ex mera malitia, nulla pecunia conductus, dubium est, an dicendus sit proditorie occidisse. Et tenet Farinac. desuper Summum Pontificem consulendum esse. n. 2.

1.

QUæritur quintò, an testis, qui datâ operâ falsum deposuit, eo fine, ut innocens quis morti traderetur, Immunitate gaudeat, casu quo ad Ecclesiam confugerit? Et Respondeo distinguendo: vel enim pecuniâ corruptus falsum testimonium ad mortem ei inferendam dixit, vel solùm ex malitiâ, absque eo, ut ab alio ad hoc mercede conduceretur. Si primum, videtur omnino privatus Privilegio. Dicitur enim testis talis, esse de numero assassinorum, qui vi Bullæ Gregorianæ arcentur ab asylo Ecclesiastico.

2. Si secundum, cum dubium sit, an dici possit, proditorie occidisse, sentio cum *Farinac. dicto tract. de Immun. c. 9. n. 141.* desuper consulendum esse Romanum Pontificem. per ea, quæ notantur in eadem Bulla.

COROLLARIUM SEXTUM.

SUMMARIUM.

Sacrilegi Ecclesiarum violatores, vim eisdem inferendo, frangendo, ignem supponendo, hodie post constitutionem Gregorianam non viden-

videntur privati Immunitate, casu quo ad Ecclesiam confugere. num. 1.

Ratio assignari potest, quia hoc sacrilegium non est de exceptis criminibus in Bulla. n. 2.

1.

QUæritur sextò, an post Bullam modò memoratam Sacrilegi Ecclesiarum violatores, vim ijsdem inferendo, frangendo, vel ignem supponendo, gaudere possint Immunitate ad Ecclesiam confugiendo? Respondeo, tametsi de Jure Decretalium videatur. per *c. fin hoc tit.* indubitatum, eos hoc Privilegio destitutos esse, post Bullam tamen Gregorianam, non videntur privari, eo ipso, quod ea certos tantùm casus excipiat, in quibus aliquis gaudere Immunitate non possit, inter quos, cùm non reperiantur ejusmodi violatores Sacrilegi, non videntur esse interdicti hoc Privilegio. Et ita tenet etiam *Diana. ubi suprà. Resolut. 21. cum Peregrino. titul. de Immunit. c. 12. num. 15.*

2. Excepit enim Bulla casus aliquos cum particula taxativa: tantùm. Ergò in alijs casibus Reos Immunitate non privat.

COROLLARIUM SEPTIMUM.

SUMMARIUM.

Haeretici, licet quantum ad crimen hæreseos non gaudeant Immunitate, ut notum est ex constitutione Gregorij XIV. videtur tamen probabile, quòd si ob aliud crimen, v. g. adulterij, vel homicidij confugiant ad Ecclesias, maximè in nostra Germania, ubi passim tolerantur, & liberè commercia ineunt cum Catholicis, non esse privatos asylo Ecclesiæ. n. 1.

Ratio est, quia hic & nunc crimen, propter quod quærunt Immunitatem, non est de exceptuatis in Bulla. n. 2.

1. Quæri-

I.

QVæritur ſeptimò, cùm notum ſit Reum criminis hæreſeos, vi Bullæ non gaudere Immunitate, an ſi, ut in noſtrâ Germaniâ, ubi indifferenter & impunè habitant hæretici inter Catholicos, ob aliud crimen v. g homicidium, confugiant ad Eccleſiam, frui poſſint Immunitate? Et cenſeo breviter cum *Azor. p. 2. lib. 9. c 9. q. 9. Suarez. ubi ſuprà, c. 10. n. 15: Bonac. de legib. diſput. 3. q. 7. §. 3, n. 3.* & alijs, non videri privatum.

2. Et ratio eſt, quia non apparet ſufficiens aſſignari poſſe fundamentum ad excludendam, & excipiendam ab Immunitate perſonam, ubi crimen non eſt exceptum. ſed in propoſito, ut ſupponimus, crimen homicidij, vel adulterij, quod hæreticus commiſit, non eſt exceptum, ergo neque perſona excludenda, vel excipienda eſt à Privilegio Immunitatis. vide etiam *Dianam reſol. p. 1. reſol. 29. Cum Farinac. tract. de Immunit. c. 13. num. 170.* Contrarium tenet *Tann. 2. 2. diſput. 5. q. 8. dub. 1. n. 16.*

COROLLARIUM OCTAVUM.

SUMMARIUM.

An occidens Clericum vel Monachum privatus ſit aſylo Immunitatis? n. 1.

Ratio dubitandi ex Aloys. Riccio. n. 2.

Reſolvitur quæſtio hac negativè. n. 3.

Ratio reſolutionis. 4.

Excommunicatus non deſtituitur Privilegio aſyli Eccleſiaſtici. 5.

Non eo ipſo, quod quis delinquat in Eccleſiam, eſt privatus Immunitate. 6.

Ex iiſdem fundamentis, cum non ſit crimen de exceptis in Bulla, putamus hodie probabiliter etiam decoctores, ſive fallitos (ut vocant) doloſos, poſt Bullam Gre-

gorianam gaudere Immunitate. n. 7.
Pro hac sententiâ, ait Diana, Romæ decisiones in favorem eorum emanasse. eod. n.
Ampliamus; tametsi statutum existat, quòd debitor carcerari possit, eò quod sit suspectus de fuga, non distinguendo, an sit debitor privatus, vel publicus, ut est exactor tributorum, vel alij hoc num. recensiti. 8.9.

I.

QVæritur octavò, an qui homicidium committit in personam Clerici, vel Monachi, careat Immunitate?

2. Respondetur, tametsi teneat *Riccius in praxi. p.2. resolut.* 309. talem homicidam Privilegio asyli privatum esse, tum quod excommunicatus sit, tum quòd videatur in ipsam Ecclesiam delinquere, & committere crimen læsæ Majestatis divinæ.

3. Sentio tamen cum *Farinac. dicto tract. de Immun. c. 7. n.* 114. *& alijs. apud Dianam. ubi suprà. resolut.* 34. *citatis.* videri ejusmodi Clerici vel Monachi percussorem & homicidam non esse privatum Immunitate.

4. Et ratio est, quòd in Bulla Gregoriana homicidia extra Ecclesias commissa solùm destituantur eâ Immunitate, si proditoriè patrata sint, vel per modum assassinij. ergo verba Bullæ ad cædem Clericorum simplicem, & sine prædictis qualitatibus commissam, extendi non debent.

5. Neque argumenta *Riccij* multum urgent. Negamus enim excommunicatum Privilegio Immunitatis carere, cum inter casus in Bulla exceptos excommunicatio non numeretur. neque hoc Privilegium concessum est favore personarum, sed ob reverentiam sacrorum locorum. Deinde inter excepta crimina etsi ponatur crimen læsæ Majestatis, illud tamen specificè limitatum est ad crimen læsæ Majestatis commissum in perso-

personam Principis. ergo ultra verba, & intentionem Pontificis extendi, & ampliari non debet.

6. Et tertiò, tametsi concederemus, talem Clerici percussorem delinquere in Ecclesiam, quia tamen vi Bullæ soli homicidæ & mutilantes in Ecclesia privantur Immunitate, ad alios in Ecclesiam delinquentes ampliari non oportet, & jam superiùs meminimus, Jus Decretalium quo ad hoc correctum esse per constitutionem Gregorij.

7. Cui ulteriùs insistendo dicimus, etiam hodie non procedere, quod suprà cum *Covarr.* circa fallitos sive fraudulentos decoctores ex mente Doctorum advertimus. Putamus enim etiam ejusmodi mercatores fallitos gaudere Immunitate, cum non sint de exceptis in Bullâ. Præsertim si verum est, quod notat *Diana. ubi suprà. resolut.* 32. qui ait: ita Romæ *in SS. Cardinalium congregatione* decisum esse. & in terminis tenet hanc sententiam *Farinac. de Immun. c.* 3. *num.* 64. Et tametsi contrariæ opinionis authores velint, ejusmodi decoctores nomine publici Latronis comprehendi, id tamen negamus. Et vix contingere posse arbitramur, ut in ejusmodi fallitis ea concurrant, quæ necessaria sunt ad publicum Latronem constituendum, & maximè actuum frequentia, quæ communiter deficit in hujusmodi decoctoribus, cùm semel falliti fidem amplius non habeant, nec facilè reperire sit, qui ipsis postliminio mutuantes credant.

8. Et hæc procedere dicimus existente quoque statuto, quod debitor carcerari possit, eo quòd sit suspectus de fugâ.

9. Non distinguendo, num sit debitor privatus vel publicus, velut est exactor tributorum, vel etiam debitor ex causa administrationis, & redditionis rationis, vel obligatus ad ratiocinia publica, vel debitor officialis ex causa Syndicatûs. per

ea,

ea, quæ notat *Farinac. ubi suprà. num. 57. & 62. c. 3. Bonac. de legib. disput. 1. q. 7. §. 4. n. 2. & alij apud Dianam. cit. resol. 32.*

COROLLARIVM NONVM.

Summarium.

An qui veneno dolosè & clanculo interimunt, privati Immunitate existant? n. 1.

Ratio dubitandi est, quia videntur proditoriè occidere. 2.

Communis sententia, inter occidentes proditoriè reputari eos, qui veneno dolosè & clanculo interimunt. 3.

Limitatur communis conclusio. 4.

Consilium Farinacij in hoc casu. 5.

I.

QVæritur nonò. quid respondendum eo in casu, quo mulier turpi alterius amore illectá ad maritum è medio tollendum cibis venenum incoxit, aut alius quivis ad alterum perimendum toxicum fraudulenter præbuit, an si post secutam vi veneni mortem confugerint ad Ecclesiam, gaudeant Immunitate?

2. Ratio dubitandi est, quia videntur proditoriè occidisse, ergo privandi sunt Privilegio asyli.

3. Respondeo *cum Barbos. hoc tit. c. 6. n. 47. & Dianâ. p. 1. tract. 1. resolut. 36.* communiter sentire Doctores, ejusmodi veneficos, inter eos, qui proditorie occidunt, reputari.

4. Quod eatenus probabile existimo, quatenus inter occisum, & occidentem antecedenter inimicitiæ, rancor, rixæ, vel odia notoriè non intercesserint, & simulatâ amicitiâ ad interimendum veneno alterum usi sint: quod si enim manifestè se invicem ejusmodi personæ oderint, notumque fuerit

rit inimicitias, rancorem, vel rixas mutuò exercuiſſe, potiùs inclinarem, eo caſu inter homicidas proditoriè necantes non computari. Si enim ex inſidijs occidens inimicum, vel à tergo ex communi multorum ſententiâ non venit numerandus inter eos, qui proditoriè perimunt, eò quod ſub ſpecie amicitiæ non occiderint, non admodum video, quomodo hoſtis hoſtem veneno interimendo inter proditoriè occidentes recenſeri debeat.

5. Placet tamen conſilium *Farinac. in tract. de Immunit. c. 9. n. 112.* ut in dubio deſuper ad ſedem Apoſtolicam recurratur, illiusque ſtetur deciſioni.

COROLLARIUM DECIMUM.

SUMMARIUM.

Condemnatus ad triremes, vel exilium, ſi libertatem nactus fugerit ex triremibus ad Eccleſiam, vel ſi hoc contingat, antequam includatur triremibus, probabiliter dici poteſt, quòd Immunitate gaudeat. n. 1. & 2.

Diana pro hâc ſententiâ præjudicia allegat cit. loc.

Iudices & alij contra hanc Immunitatem peccantes ſunt ipſo facto excommunicati. n. 1.

Sed an illa excommunicatio reſervata ſit Pontifici, vel ab Ordinarijs locorum abſolvi ab eâ poſſint, non convenit inter DD. eodem. n. 1.

Probabiliter teneri poteſt cum Barboſ. non eſſe reſervatam. 2.

Ratio hujus opinionis. eodem numero.

An quæ ſuperiùs ex Iure communi, & ſecundum receptas DD. opiniones circa hanc materiam diximus, etſi multa eorum ſententiæ & concluſiones à Conſtitutione Gregorij XIV. immutata, & abrogata ſint, omnino inutilia ſint? n. 3.

Procedunt ſuperiùs dicta ſecundum Ius SS. Canonum ſcriptum, ſaltem ibi locorum, ubi illa Bulla nunquam recepta eſt, ſicut de regno Hiſpaniæ teſtatur Diana ſaltem conſentiente Pontifice, vel ea ampliùs in uſu non eſt. 4.

QUæritur decimò, an, sicut hucusque à pæna imponenda, quam quis timet, recurri ad asylum Ecclesiæ posse diximus, id locum etiam habeat à pæna de facto impositâ. v. g. aliquis est condemnatus ad triremes, ad exilium, an si à triremibus fugerit ad Ecclesiam, libertatem. v. g. nactus, vel saltem ante, quam triremibus includeretur, defendendus sit Immunitate?

2. Et censeo cum *Diana* ubi suprà, *resolut.* 40. non improbabiliter dici posse, ejusmodi fugitivum Immunitate gavisurum, maximè, si adhuc in sua naturali libertate constitutus sit. quia non videtur sufficiens discrimen assignari posse, cur fugiens ad Ecclesiæ asylum defendendus sit à pæna imponenda, & non etiam ab impositâ, modò libertatem suam naturalem nondum amiserit; ut: quia jam jurisdictionaliter carceri mancipatus est, vel triremibus innodatus. quamvis etiam hoc casu sentiat *Diana*, si inde ad Ecclesiam confugiat, adhuc defendendum fore immunitate.

3. Et allegat aliquot præjudicia, & casus, in quibus ejusmodi fugitivi ex triremibus ad Ecclesiam, defensi sunt Immunitate Ecclesiasticâ.

4. Utrum autem Judices, vel alij, contra hanc constitutionem Gregorij XIV. venientes & propterea excommunicati ipso Jure, absolvi ab Ordinarijs locorum possint, vel illa reservata Summo Pontifici sit, inter Doctores non convenit, sicut videre est per allegata ab eodem *Diana. resolut. ultima. p. 1. tract. 1. hoc tit.*

2. Fermè probabilius est, non esse reservatam, sicut expressè docuit *Barbos. in suo tract. de pot. Episcop. p. 3. alleg.* 51. *casu.* 3. *n.* 72. qui liber, cùm impressus fuerit, teste eodem

Diana,

Diana, Romæ, non videtur verisimile, Curiam Romanam tolleraturam fuisse hanc sententiam, si indubitatum foret, dictam excommunicationem Summo Pontifici reservatam esse.

3. Cæterum, ne dicis gratiâ, ut ajunt, & inutili labore existimes, nos suprà multa de Jure Decretalium circa præsentem Immunitatem Localem tradidisse, quæ modò secundum constitutionem Gregorianam aliter se habent, & correcta sunt.

4. Sciendum est, illam non ubique locorum receptam esse, sicut de regno Hispaniæ ibidem tradit *Diana*. consequenter, si aliquo locorum ea amplius in usu non sit, sive bene, sive malè, quantum ad initium introducti contrarij usûs, modo contra libertatem Ecclesiasticam non sit, præsertim cum multi teneant. teste *Thom. del bene. cit. c.* 16. *dub.* 6. posse consuetudine legitima Immunitatem Localem imminui, & in certis casibus abrogari, præsertim si illa post constitutionem Gregorianam legitimè præscripta sit. ut idem *Thom. del bene. dub.* 7. *testatur. eodem c.* 16. *tom.* 2. *de Immun. Ecclesiast.* vel à principio suæ promulgationis ex causis rationabilibus consentiente Pontifice non recepta, stabitur Juri antiquo. Et sic vides, non inutiliter ea tradita circa hanc Immunitatem esse, quæ secundum Canones dicenda videbantur.

Disputatio V.

QUOMODO VIOLETUR IMMUNITAS ECCLESIASTICA, ET DE POENIS EANDEM VIOLANTIUM.

CAPUT PRIMUM.

Quotupliciter in genere violetur Immunitas?

Summarium.

Immunitas Ecclesiast. in genere duplici modo violari potest, primo modo directè vel indirectè. Secundo modo vel per viam potestatis legislativæ, vel solo facto & usurpatione privatâ. n. 1.

Duo hi modi lædendi Immunitatem Ecclesiast. in se quidem distincti, frequenter conjunguntur & accumulantur. n. 2.

Exemplum læsionis Immunitatis Ecclesiast. quæ primo modo directè fit, ubi etiam accumulatur secundus modus, quo læditur Immunitas per viam potestatis legislativæ. 3.

Lædi directè vel indirectè Immunitatem Ecclesiasticam, qui primus eam lædendi modus est, per modum generis statuitur, per viam autem potestatis legislativæ, vel solo facto, aut usurpatione privatâ, qui secundus modus est, per modum speciei subjungitur. exempla utriusq;, ibidem. 4.

Quomodo indirectè veniatur contra Immunitatem Eccles. cum exemplis ibidem allegatis. 5.

Hic modus indirectè violandi Immunitatem est obscurior, & difficiliùs cognoscitur, ut satis patet ex diversitate opinionũ, quæ circa ipsum

ca ipsum inter DD. oriuntur. 5. & 6.

Quomodo secundo modo, nimirum per viam potestatis legislativa, vel solo facto, aut usurpatione privatâ lædatur Immunitas Eccles? 7.

Per viam potestatis legislativa triplici modo lædi potest. 8.

Ponitur exemplum primi hujus modi. n. 9.

Exemplum secundi modi. 10.

Exemplum tertij modi. 11.

Incidenter hic consideratur alius modus, quo Principes disponunt circa Ecclesias, & personas vel res Ecclesiasticas, qui fit easdem privilegiando; qui modus non militat contra Immunitatem, ratio ibidem. 12.

Altera species secundi modi, qua læditur Immunitas Eccles. nimirum quando ipso facto vel usurpatione privatâ venitur contra Immunitatem Eccles. & quid hoc sit, vel quomodo contingat? 13.

Si factum concernat solam percussionem Clerici, pertinet læsio ad Privilegium Canonis, de quo suprà jam egimus. 14.

Læsio Immunitatis, quæ fit per modum potestatis legislativa, præsertim si directò intendatur, semper enormior est illâ, quæ fit solo facto, vel privatâ usurpatione, & vix ex levitate materia tantummodò peccatum veniale est. Ratio ibidem. 15.

LAboravimus hucusque, quomodo tripartitam de Jure SS. Canonum Immunitatem Ecclesiasticam, personalem scilicet, realem, ac localem, quæ passim rimas agit, & à multis impiè convellitur, sartam tectam servaremus. Superest, ut, cum variè eandem lædi non nesciamus, de pœnis eandem violantium hac Disputatione tractemus. præfabimur autem breviter per duo capita. Primo, quot modis in genere. Secundo, quibus casibus magis communibus in specie eadem offendatur.

1. Sentio igitur cum *Suarez. hoc titulo. lib. 4. c. 33.* Immunitatem Eccjesiasticam duplici modo in genere temerari, Primò directè vel indirectè. Secundo modo, per viam & modum potestatis legislativæ, vel solo facto, aut privatâ usurpatione, ita tamen utrumque hoc membrum, & modum violan-

di Ecclesiasticam Immunitatem partiendo, ut tam primum, quàm secundum modum lædendi Immunitatem Ecclesiasticam non infrequenter unà jungi, ac cumulari asseramus.

2. Læditur igitur directè Immunitas, quoties per se præcipitur, vel prohibetur aliquid Clericis, alijsque personis Ecclesiasticis, quod est directè contra eorum Immunitatem. ut si jubetur per judicem Sæcularem, persona Ecclesiastica in foro Laicali comparere, ac causam suam dicere. vel si statutum municipale fiat à principe Laico, ut indifferenter omnes Clerici tam in actionibus personalibus, quam realibus teneantur se sistere coram judice sæculari.

3. Et sic vides hic alterum membrum, & modum, quo secundo lædi immunitatem diximus, per viam scilicet potestatis legislativæ, vel solo facto aut usurpatione, primo quoque modo, directè offendendi immunitatem, junctum ac cumulatum esse.

4. Ut adeo directè vel indirectè eam lædi per modum generis statuatur, per viam autem potestatis legislativæ, vel solo facto aut usurpatione, specificè, & subalternativè. primo enim exemplo directè violandi Immunitatem incidit posterior species secundi modi, quo illa læditur solo facto aut usurpatione. ut contingit per ejusmodi judicem facto proprio Clericum ad suum tribunal citantem. posteriori autem casui alterius modi prior species jungitur, quâ contra Immunitatem venitur, per modum potestatis legislativæ.

5. Indirectè verò læditur Immunitas, cùm illud ex verbis quidem non apparet, re tamen vera offenditur. exemplum allegare possumus. *ex c. fin. hoc tit. in 6.* ubi deciditur, excommunicationem incurrere illos Magistratus sæculares, qui Laicis subditis suis præcipiunt, ne Clericis vendant, aut ab illis emant, vel ne eorum triticum molant, aut aliqua similia

obsc-

obsequia eis exhibeant: & ratio redditur ibidem, quia talia in derogationem Ecclesiasticæ libertatis præsumuntur. Similem casum habemus etiam *in c. quanto. de privilegijs.* ubi, cùm nonnulli excommunicare non possent Monachos, excommunicabant eos, qui cum Monachis communicabant, quibus ibidem dicitur: privilegiorum non vim & potestatem, sed verba servantes, Monachos quodammodo excommunicant, quando alijs prohibent, ne cum ipsis communicent.

6. Et hæc quidem violatio Ecclesiasticæ libertatis, vel Immunitatis, obscurior est, & difficiliùs cognoscitur. atque satis patet ex diversitate criminum, quam habent Doctores in casibus ejusmodi occurrentibus, & à jure non decisis, quorum non paucos hucusque retulimus. & plures videri possunt, *apud Sylvestr. verbo. Immunitas. per totum.*

7. Quantum ad alteram divisionem modorum lædendi Immunitatem, quam magis specificam, & subalternatam priori diximus, attinet, quâ scilicet violari immunitatem contingit, secundô modô per viam potestatis legislativæ, vel solo facto, aut usurpatione, Dicimus: per modum potestatis legislativæ tunc illam lædi, quando Principes Sæculares, vel Magistratus civiles, imo etiam Ecclesiastici (nam, ut supra vidimus, potest etiam per hos offendi in libertatem Ecclesiasticam) condunt leges vel statuta, quæ sunt contraria Ecclesiasticæ libertati.

8. Et hoc tripliciter contingere posse credimus.

9. Primò. quando lex, vel statutum, quod conditur, expressè & specificè dirigitur ad personas, vel res Ecclesiasticas gravandas. ut Statutum à Principe factum, quatenus omnes Clerici, aliæque personæ Ecclesiasticæ suæ provinciæ teneantur æqualiter ad contribuendum cum Laicis.

10. Secun

10. Secundò. quando lex vel Statutum generale est. ita, ut in specie Clericorum non fiat mentio etsi eos in sua generalitate includere dubium non sit. ut: si Statutum condat Princeps, quatenus nullus suæ terræ incola, cujuscunque sit conditionis vel Statûs, exportare frumentum extra provinciam possit sine licentia, sub pœnâ caducitatis.

11. Tertiò, ut directè quidem non intendat gravare per legem Princeps, Clericos, se tamen intromittat circa illorum officia, actiones, vitam, & administrationes Ecclesiasticas statuta condere, ut quomodo se gerere debeant in curâ animarum, quid accipere possint pro administratione Sacramentorum, quâ formâ vestimentorũ uti debeant &c. etsi enim rationabilis aliàs in se talis statuti dispositio esse possit, & Ecclesiæ conveniens, quia tamen in hujusmodi rebus jurisdictio non est Laicorum, sed Ecclesiasticorum, sequitur hoc tertiò modô quoque immunitatem lædi ex parte potestatis legislativæ, quam quo ad similia Sæculares non habent. per *text. in c. decernimus. de judiciis. & c. Ecclesia. S. Mariæ. de constit.* Et ratio est, quia Princeps Laicus ferens ejusmodi legem quo ad negotia Ecclesiastica, per ipsam se demonstrat superiorem, & legislatorem in Ecclesiasticis, ergo eo ipso per talem actum contra exemptionem agit.

12. Quartò considerare hic incidenter etiam possumus modum, quo aliquando Principes Sæculares disponunt circa Ecclesias, & Ecclesiasticos, qui tamen per *SS. Canones* non damnatur, quando scilicet dispositio, quam per aliquam legem vel statutum circa Ecclesias & Ecclesiasticos faciunt, merè privilegiativa est. & ratio differentiæ est, quòd privilegium, vel quod idem est, dispositio privilegiativa non includat præceptum respectu illius, qui privilegium accipit, neque per se est actus jurisdictionis, cùm non subdito dari privilegium possit.

poſſit. ut docent communiter Doctores Theologi in *materiâ de legib.* & Canoniſtæ *in titulo. de privilegijs*,

13. Ipſo autem facto vel uſurpatione, qui alter modus ſecundæ diviſionis lædendi immunitatem Eccleſiaſticam eſt, intelligimus quodcunque factum, vel uſurpationem hominis privati, vel publici, & jurisdictionem habentis, modò non fiat per modum poteſtatis legislativæ.

14. Hoc tamen ſingulariter adnotandum eſt, quòd factum illud, vel uſurpatio venire debeat contra privilegium fori, ſive unam ex triplici ſpecie ab initio hujus capitis allegatam. ſi enim factum illud vel uſurpatio ſolam diceret percuſſionem Clerici, pertineret illa offenſio ad læſionem privilegij Canonis, de qua inpræſentiarum non agimus. hoc ergo duplici modô in genere lædi Eccleſiaſticam immunitatem communiter ſtatuitur à Doctoribus. ut videre eſt apud *Suarez* ubi ſuprà, & ex *eô Leyman. lib.* 4. *tract.* 9. *c.* 9. *n.* 1.

15. Modò tamen advertas, læſionem Immunitatis Eccleſiaſticæ, quæ per viam poteſtatis legislativæ contingit, præſertim ſi directè intendatur, ſemper per ſe enormiorem eſſe, quam quæ alterô modô, ſolo ſcilicet factô, vel propria uſurpatione contingit. & illa valde exoſa eſt. SS. Canonibus, atque ex mente *Leyman*, vix unquam ex levitate materiæ, tantummodo peccatum veniale, cùm gravem contineat injuriam ſtatui Eccleſiaſtico illatam, quaſi is ſubjectus ſit poteſtati Laicorum, quem de jure etiam divino immunem, & exemptum ab omni jurisdictione Sæcularium ſtatim ab initio hujus tractatus eſſe, probavimus.

CAPUT II.

Aliquot modi, per quos in ſpecie violatur Immunitas.

Primus modus. in ſpecie lædendi Immunitatem Eccleſiaſticam, & quidem localem, eſt extractio Rei ab Eccleſia, facta ſine conſenſu Ordinarij. n. 1.

Secundus. impoſitio militum in domibus, quæ Eccleſiarum, vel Eccleſiaſticorum ſunt, vel ſi ibi Laici ſibi hoſpitium tanquam Iure debitum vendicent. 2.

Tertius. coactio perſonarum Eccleſ. ad forum Laicale pro cauſa ibi dicenda. 3.

Quartus. quoties eadem angarijs, perangarijs, collectis, contributionibus, à Laicis propriâ authoritate gravantur. 4.

Quintus. exactio gabellarum, pedagiorum, portoriorum, & ſimilium. 5.

Sextus. uſurpatio juriſdictionis fructuum, redituum ad perſonas Eccleſiaſt. pertinentium, vel ſequeſtratio eorum. 6.

Septimus. quoties coguntur obſervare ſtatuta, leges, vel conſuetudines, quæ ſunt contra Immunitatẽ, vel ſi Laici ſecundum illa ſententiã ferant contra Clericos. 7.

Octavus. ſi impediunt, ne cauſæ Clericorum ratione negotiorum, vel perſonarum Eccleſiaſticarum, aut rerum, in foro illorum Eccleſiaſtico ventilentur. 8.

Nonus coincidit cum quarto.

Decimus. prohibitio facta à Magiſtratu Laico, ne ſubditi ſui commercia ineant cum Eccleſiaſticis, vel ne molant, panes coquant, & ſimilia. 10.

Vndecim. ſi Laicus ratione debiti non ſoluti invadat bona Clericorum, ea occupando, arreſtando, & ſimilibus modis. 11.

Duodecimus. ſi leges, vel ſtatuta Laici condunt, Immunitati Eccleſiaſt. contraria. 12.

Decimus tertius. ſi Laici ſe immiſceant in Electionibus Eccleſiaſticis, & ratione earundem quomodocunq; gravant, vel vexant perſonas Eccleſiaſticas aut illorum bona. 13.

1. Vio-

I.

Violatur itaque in specie Immunitas, & quidem Localis, Primò, ut ab hâc ultimâ specie, incipiamus, quoties Magistratus sæcularis Reum ad Ecclesiam, tanquam asylum confugientem extrahere præsumit, sive jam delictum tale quidem sit, propter quod eum Ecclesia immunitate defendat, sive unum de exceptuatis, saltem, si extractio fiat, sine consensu, & licentiâ Episcopi loci illius, & Ecclesiæ, ad quam, etiam indignus confugit. *per expressum text, Constitutionis Gregorianæ.* §. 4. ibi: Ne autem curia.

2. Secundò. Læditur etiam Immunitas, quoties in Ecclesiârum, vel Ecclesiasticorum domibus imponuntur milites, vel Domini temporales hospitium sibi ibi tanquam jure debitum, vendicant. ut suprà notavimus ex *c. 1. hoc tit.* & quæ ibi fusiùs notat *Panormitan.*

3. Tertiò. si sæcularis Magistratus Clericos, aliasque personas Ecclesiasticas coram se causam dicere tanquam in foro Laicali compellat. qui etsi de jure ipso facto probabiliter excommunicati non fuerint, hodie tamen vi *Bullæ Cænæ Domini* ipso facto excommunicati sunt. *per excommunicationem, 15.* & ad hoc vide etiam *c. nullus judicum. 11. q. 1. & c. 2. de foro compet.* ubi, ut diximus, de excommunicatione in ejusmodi judices ferendâ mentio fit. Cæterùm nos plures in specie casus *disput. 2. & 3.* examinavimus, ubi Principes & Magistratus, eò quòd personas Clericorum, eorumve causas ad suum cogant se forum sistere, diximus contra Immunitatem delinquere, atque ipso facto esse excommunicationi innodatos.

4. Quartò. si, & quoties Principes temporales alijve Magistratus & potestates, Ecclesias, Ecclesiasticasque personas angarijs, collectis, exactionibus, Steuris, alijsve contributio-

QUæritur decimò, an, sicut hucusque à pæna imponenda, quam quis timet, recurri ad asylum Ecclesiæ posse diximus, id locum etiam habeat à pæna de facto impositâ. v. g. aliquis est condemnatus ad triremes, ad exilium, an si à triremibus fugerit ad Ecclesiam, libertatem. v. g. nactus, vel saltem ante, quam triremibus includeretur, defendendus sit Immunitate?

2. Et censeo cum *Diana* ubi suprà, *resolut.* 40. non improbabiliter dici posse, ejusmodi fugitivum Immunitate gavisurum, maximè, si adhuc in sua naturali libertate constitutus sit. quia non videtur sufficiens discrimen assignari posse, cur fugiens ad Ecclesiæ asylum defendendus sit à pæna imponenda, & non etiam ab impositâ, modò libertatem suam naturalem nondum amiserit; ut: quia jam jurisdictionaliter carceri mancipatus est, vel triremibus innodatus. quamvis etiam hoc casu sentiat *Diana*, si inde ad Ecclesiam confugiat, adhuc defendendum fore immunitate.

3. Et allegat aliquot præjudicia, & casus, in quibus ejusmodi fugitivi ex triremibus ad Ecclesiam, defensi sunt Immunitate Ecclesiasticâ.

4. Utrum autem Judices, vel alij, contra hanc constitutionem Gregorij XIV. venientes & propterea excommunicati ipso Jure, absolvi ab Ordinarijs locorum possint, vel illa reservata Summo Pontifici sit, inter Doctores non convenit, sicut videre est per allegata ab eodem *Diana. resolut. ultima. p. 1. tract. 1. hoc tit.*

2. Fermè probabilius est, non esse reservatam, sicut expressè docuit *Barbos. in suo tract. de pot. Episcop. p. 3. alleg.* 51. *casu.* 3. *n.* 72. qui liber, cùm impressus fuerit, teste eodem

Diana,

Diana, Romæ, non videtur verisimile, Curiam Romanam tolleraturam fuisse hanc sententiam, si indubitatum foret, dictam excommunicationem Summo Pontifici reservatam esse.

3. Cæterum, ne dicis gratiâ, ut ajunt, & inutili labore existimes, nos suprà multa de Jure Decretalium circa præsentem Immunitatem Localem tradidisse, quæ modò secundum constitutionem Gregorianam aliter se habent, & correcta sunt.

4. Sciendum est, illam non ubique locorum receptam esse, sicut de regno Hispaniæ ibidem tradit *Diana*. consequenter, si aliquo locorum ea amplius in usu non sit, sive bene, sive malè, quantum ad initium introducti contrarij usûs, modo contra libertatem Ecclesiasticam non sit, præsertim cum multi teneant. teste *Thom. del bene. cit. c.* 16. *dub.* 6. posse consuetudine legitima Immunitatem Localem imminui, & in certis casibus abrogari, præsertim si illa post constitutionem Gregorianam legitimè præscripta sit. ut idem *Thom. del bene. dub.* 7. *testatur. eodem c.* 16. *tom.* 2. *de Immun. Ecclesiast.* vel à principio suæ promulgationis ex causis rationabilibus consentiente Pontifice non recepta, stabitur Juri antiquo. Et sic vides, non inutiliter ea tradita circa hanc Immunitatem esse, quæ secundum Canones dicenda videbantur.

Dddd 2 Dispu-

Disputatio V.

QUOMODO VIOLETUR IMMUNITAS ECCLESIASTICA, ET DE POENIS EANDEM VIOLANTIUM.

CAPUT PRIMUM.

Quotupliciter in genere violetur Immunitas?

Summarium.

Immunitas Ecclesiast. in genere duplici modo violari potest, primo modo directè vel indirectè. Secundo modo vel per viam potestatis legislativæ, vel solo facto & usurpatione privatâ. n. 1.

Duo hi modi lædendi Immunitatem Ecclesiast. in se quidem distincti, frequenter conjunguntur & accumulantur. n. 2.

Exemplum læsionis Immunitatis Ecclesiast. quæ primo modo directè fit, ubi etiam accumulatur secundus modus, quo læditur Immunitas per viam potestatis legislativæ. 3.

Lædi directè vel indirectè Immunitatem Ecclesiasticam, qui primus eam lædendi modus est, per modum generis statuitur, per viam autem potestatis legislativæ, vel solo facto, aut usurpatione privatâ, qui secundus modus est, per modum speciei subjungitur. exempla utriusq; ibidem. 4.

Quomodo indirectè veniatur contra Immunitatem Eccles. cum exemplis ibidem allegatis. 5.

Hic modus indirectè violandi Immunitatem est obscurior, & difficiliùs cognoscitur, ut satis patet ex diversitate opinionũ, quæ circa ipsum

ca ipsum inter DD. oriuntur. 5. & 6.

Quomodo secundo modo, nimirum per viam potestatis legislativæ, vel solo facto, aut usurpatione privatâ lædatur Immunitas Eccles? 7.

Per viam potestatis legislativa triplici modo lædi potest. 8.

Ponitur exemplum primi hujus modi. n. 9.

Exemplum secundi modi. 10.

Exemplum tertij modi. 11.

Incidenter hic consideratur alius modus, quo Principes disponunt circa Ecclesias, & personas vel res Ecclesiasticas, qui fit easdem privilegiando; qui modus non militat contra Immunitatem, ratio ibidem. 12.

Altera species secundi modi, quæ læditur Immunitas Eccles. nimirum quando ipso facto vel usurpatione privatâ venitur contra Immunitatem Eccles. & quid hoc sit, vel quomodo contingat? 13.

Si factum concernat solam percussionem Clerici, pertinet læsio ad Privilegium Canonis, de quo suprà jam egimus. 14.

Læsio Immunitatis, quæ fit per modum potestatis legislativæ, præsertim si directè intendatur, semper enormior est illâ, quæ fit solo facto, vel privatâ usurpatione, & vix ex levitate materiæ tantummodò peccatum veniale est. Ratio ibidem. 15.

LAboravimus hucusque, quomodo tripartitam de Jure SS. Canonum Immunitatem Ecclesiasticam, personalem scilicet, realem, ac localem, quæ passim rimas agit, & à multis impiè convellitur, sartam tectam servaremus. Superest, ut, cum variè eandem lædi non nesciamus, de pœnis eandem violantium hac Disputatione tractemus. præfabimur autem breviter per duo capita. Primo, quot modis in genere. Secundo, quibus casibus magis communibus in specie eadem offendatur.

1. Sentio igitur cum *Suarez. hoc titulo. lib.* 4. *c.* 33. Immunitatem Eccjesiasticam duplici modo in genere temerari, Primò directè vel indirectè. Secundo modo, per viam & modum potestatis legislativæ, vel solo facto, aut privatâ usurpatione, ita tamen utrumque hoc membrum, & modum violan-

di Ecclesiasticam Immunitatem partiendo, ut tam primum, quàm secundum modum lædendi Immunitatem Ecclesiasticam non infrequenter unà jungi, ac cumulari asseramus.

2. Læditur igitur directè Immunitas, quoties per se præcipitur, vel prohibetur aliquid Clericis, alijsque personis Ecclesiasticis, quod est directè contra eorum Immunitatem. ut si jubetur per judicem Sæcularem, persona Ecclesiastica in foro Laicali comparere, ac causam suam dicere. vel si statutum municipale fiat à principe Laico, ut indifferenter omnes Clerici tam in actionibus personalibus, quam realibus teneantur se sistere coram judice sæculari.

3. Et sic vides hic alterum membrum, & modum, quo secundo lædi immunitatem diximus, per viam scilicet potestatis legislativæ, vel solo facto aut usurpatione, primo quoque modo, directè offendendi immunitatem, junctum ac cumulatum esse.

4. Ut adeo directè vel indirectè eam lædi per modum generis statuatur, per viam autem potestatis legislativæ, vel solo facto aut usurpatione, specificè, & subalternativè. primo enim exemplo directè violandi Immunitatem incidit posterior species secundi modi, quo illa læditur solo facto aut usurpatione. ut contingit per ejusmodi judicem facto proprio Clericum ad suum tribunal citantem. posteriori autem casui alterius modi prior species jungitur, quâ contra Immunitatem venitur, per modum potestatis legislativæ.

5. Indirectè verò læditur Immunitas, cùm illud ex verbis quidem non apparet, re tamen vera offenditur. exemplum allegare possumus. *ex c. fin. hoc tit. in 6.* ubi deciditur, excommunicationem incurrere illos Magistratus sæculares, qui Laicis subditis suis præcipiunt, ne Clericis vendant, aut ab illis emant, vel ne eorum triticum molant, aut aliqua similia

obse-

obſequia eis exhibeant: & ratio redditur ibidem, quia talia in derogationem Eccleſiaſticæ libertatis præſumuntur. Similem caſum habemus etiam *in c. quanto. de privilegijs.* ubi, cùm nonnulli excommunicare non poſſent Monachos, excommunicabant eos, qui cum Monachis communicabant, quibus ibidem dicitur: privilegiorum non vim & poteſtatem, ſed verba ſervantes, Monachos quodammodo excommunicant, quando alijs prohibent, ne cum ipſis communicent.

6. Et hæc quidem violatio Eccleſiaſticæ libertatis, vel Immunitatis, obſcurior eſt, & difficiliùs cognoſcitur. atque ſatis patet ex diverſitate criminum, quam habent Doctores in caſibus ejusmodi occurrentibus, & à jure non deciſis, quorum non paucos hucusque retulimus. & plures videri poſſunt, *apud Sylveſtr. verbo. Immunitas. per totum.*

7. Quantum ad alteram diviſionem modorum lædendi Immunitatem, quam magis ſpecificam, & ſubalternatam priori diximus, attinet, quâ ſcilicet violari immunitatem contingit, ſecundô modô per viam poteſtatis legislativæ, vel ſolo facto, aut uſurpatione, Dicimus: per modum poteſtatis legislativæ tunc illam lædi, quando Principes Sæculares, vel Magiſtratus civiles, imo etiam Eccleſiaſtici (nam, ut ſupra vidimus, poteſt etiam per hos offendi in libertatem Eccleſiaſticam) condunt leges vel ſtatuta, quæ ſunt contraria Eccleſiaſticæ libertati.

8. Et hoc tripliciter contingere poſſe credimus.

9. Primò. quando lex, vel ſtatutum, quod conditur, expreſſè & ſpecificè dirigitur ad perſonas, vel res Eccleſiaſticas gravandas. ut Statutum à Principe factum, quatenus omnes Clerici, aliæque perſonæ Eccleſiaſticæ ſuæ provinciæ teneantur æqualiter ad contribuendum cum Laicis.

10. Secun

10. Secundò. quando lex vel Statutum generale eſt. ita, ut in ſpecie Clericorum non fiat mentio etſi eos in ſua generalitate includere dubium non ſit. ut: ſi Statutum condat Princeps, quatenus nullus ſuæ terræ incola, cujuscunque ſit conditionis vel Statûs, exportare frumentum extra provinciam poſſit ſine licentia, ſub pœnâ caducitatis.

11. Tertiò, ut directè quidem non intendat gravare per legem Princeps, Clericos, ſe tamen intromittat circa illorum officia, actiones, vitam, & adminiſtrationes Eccleſiaſticas ſtatuta condere, ut quomodo ſe gerere debeant in curâ animarum, quid accipere poſſint pro adminiſtratione Sacramentorum, quâ formâ veſtimentorũ uti debeant &c. etſi enim rationabilis aliàs in ſe talis ſtatuti diſpoſitio eſſe poſſit, & Eccleſiæ conveniens, quia tamen in hujusmodi rebus jurisdictio non eſt Laicorum, ſed Eccleſiaſticorum, ſequitur hoc tertiô modô quoque immunitatem lædi ex parte poteſtatis legislativæ, quam quo ad ſimilia Sæculares non habent. per *text. in c. decernimus. de judiciis. & c. Eccleſia. S. Mariæ. de conſtit.* Et ratio eſt, quia Princeps Laicus ferens ejusmodi legem quo ad negotia Eccleſiaſtica, per ipſam ſe demonſtrat ſuperiorem, & legislatorem in Eccleſiaſticis, ergo eo ipſo per talem actum contra exemptionem agit.

12. Quartò conſiderare hic incidenter etiam poſſumus modum, quo aliquando Principes Sæculares diſponunt circa Eccleſias, & Eccleſiaſticos, qui tamen per *SS. Canones* non damnatur, quando ſcilicet diſpoſitio, quam per aliquam legem vel ſtatutum circa Eccleſias & Eccleſiaſticos faciunt, merè privilegiativa eſt. & ratio differentiæ eſt, quòd privilegium, vel quod idem eſt, diſpoſitio privilegiativa non includat præceptum reſpectu illius, qui privilegium accipit, neque per ſe eſt actus jurisdictionis, cùm non ſubdito dari privilegium poſſit.

possit. ut docent communiter Doctores Theologi in *materiâ de legib.* & Canonistæ *in titulo. de privilegijs,*

13. Ipso autem facto vel usurpatione, qui alter modus secundæ divisionis lædendi immunitatem Ecclesiasticam est, intelligimus quodcunque factum, vel usurpationem hominis privati, vel publici, & jurisdictionem habentis, modò non fiat per modum potestatis legislativæ.

14. Hoc tamen singulariter adnotandum est, quòd factum illud, vel usurpatio venire debeat contra privilegium fori, sive unam ex triplici specie ab initio hujus capitis allegatam. si enim factum illud vel usurpatio solam diceret percussionem Clerici, pertineret illa offensio ad læsionem privilegij Canonis, de qua inpræsentiarum non agimus. hoc ergo duplici modô in genere lædi Ecclesiasticam immunitatem communiter statuitur à Doctoribus. ut videre est apud *Suarez* ubi suprà, & ex *eô Leyman. lib.* 4. *tract.* 9. *c.* 9. *n.* 1.

15. Modò tamen advertas, læsionem Immunitatis Ecclesiasticæ, quæ per viam potestatis legislativæ contingit, præsertim si directè intendatur, semper per se enormiorem esse, quam quæ alterô modô, solo scilicet factô, vel propria usurpatione contingit. & illa valde exosa est. SS. Canonibus, atque ex mente *Leyman,* vix unquam ex levitate materiæ, tantummodo peccatum veniale, cùm gravem contineat injuriam statui Ecclesiastico illatam, quasi is subjectus sit potestati Laicorum, quem de jure etiam divino immunem, & exemptum ab omni jurisdictione Sæcularium statim ab initio hujus tractatus esse, probavimus.

CAPUT II.

Aliquot modi, per quos in ſpecie violatur Immunitas.

Primus modus. in ſpecie lædendi Immunitatem Eccleſiaſticam, & quidem localem, eſt extractio Rei ab Eccleſia, facta ſine conſenſu Ordinarij. n. 1.

Secundus, impoſitio militum in domibus, quæ Eccleſiarum, vel Eccleſiaſticorum ſunt, vel ſi ibi Laici ſibi hoſpitium tanquam Iure debitum vendicent. 2.

Tertius. coactio perſonarum Eccleſ. ad forum Laicale pro cauſa ibi dicenda. 3.

Quartus. quoties eadem angarijs, perangarijs, collectis, contributionibus, à Laicis propriâ authoritate gravantur. 4.

Quintus. exactio gabellarum, pedagiorum, portoriorum, & ſimilium. 5.

Sextus. uſurpatio juriſdictionis fructuum, redituum ad perſonas Eccleſiaſt. pertinentium, vel ſequeſtratio eorum. 6.

Septimus. quoties coguntur obſervare ſtatuta, leges, vel conſuetudines, quæ ſunt contra Immunitatẽ, vel ſi Laici ſecundum illa ſententiã ferant contra Clericos. 7.

Octavus. ſi impediunt, ne cauſæ Clericorum ratione negotiorum, vel perſonarum Eccleſiaſticarum, aut rerum, in foro illorum Eccleſiaſtico ventilentur. 8.

Nonus coincidit cum quarto.

Decimus. prohibitio facta à Magiſtratu Laico, ne ſubditi ſui commercia ineant cum Eccleſiaſticis, vel ne molant, panes coquant, & ſimilia. 10.

Vndecim. ſi Laicus ratione debiti non ſoluti invadat bona Clericorum, ea occupando, arreſtando, & ſimilibus modis. 11.

Duodecimus. ſi leges, vel ſtatuta Laici condunt, Immunitati Eccleſiaſt. contraria. 12.

Decimus tertius. ſi Laici ſe immiſceant in Electionibus Eccleſiaſticis, & ratione earundem quomodocunq; gravant, vel vexant perſonas Eccleſiaſticas aut illorum bona. 13.

1. Vio-

1.

VIolatur itaque in specie Immunitas, & quidem Localis, Primò, ut ab hâc ultimâ specie, incipiamus, quoties Magistratus sæcularis Reum ad Ecclesiam, tanquam asylum confugientem extrahere præsumit, sive jam delictum tale quidem sit, propter quod eum Ecclesia immunitate defendat, sive unum de exceptuatis, saltem, si extractio fiat, sine consensu, & licentiâ Episcopi loci illius, & Ecclesiæ, ad quam, etiam indignus confugit. *per expressum text, Constitutionis Gregoriana.* §. 4. ibi: Ne autem curia.

2. Secundò. Læditur etiam Immunitas, quoties in Ecclesiarum, vel Ecclesiasticorum domibus imponuntur milites, vel Domini temporales hospitium sibi ibi tanquam jure debitum, vendicant. ut suprà notavimus ex *c.* 1. *hoc tit.* & quæ ibi fusiùs notat *Panormitan.*

3. Tertiò. si sæcularis Magistratus Clericos, aliasque personas Ecclesiasticas coram se causam dicere tanquam in foro Laicali compellat. qui etsi de jure ipso facto probabiliter excommunicati non fuerint, hodie tamen vi *Bulla Cana Domini* ipso facto excommunicati sunt. *per excommunicationem.* 15. & ad hoc vide etiam *c. nullus judicum.* 11. *q.* 1. *& c.* 2. *de foro compet.* ubi, ut diximus, de excommunicatione in ejusmodi judices ferendâ mentio fit. Cæterùm nos plures in specie casus *disput.* 2. *&* 3. examinavimus, ubi Principes & Magistratus, eò quòd personas Clericorum, eorumve causas ad suum cogant se forum sistere, diximus contra Immunitatem delinquere, atque ipso facto esse excommunicationi innodatos.

4. Quartò. si, & quoties Principes temporales alijvè Magistratus & potestates, Ecclesias, Ecclesiasticasque personas angarijs, collectis, exactionibus, Steuris, alijsvè contributio-

butionibus onerent. ut patet *ex c. non minus. c. adversus. hoc tit. & c. quanquam. de censib. in 6.* quibus, & alijs passim juribus, sub anathematis comminatione prohibitum est. hodie autem est excommunicatio bullaris in ordine decima octava. & plures ad hanc quoque materiam *disput. 3. superius.* casus expendimus, in quibus gravantes Ecclesias Laicos contra Immunitatem peccare sensimus cum communiori Doctorum opinione.

5. Quintò. si sæculares potestates pedagia, gabellas, seu portoria ab Ecclesijs, vel Clericis, alijsque viris Ecclesiasticis exigant, modò, cum res illorum propriæ essent, causa negotiationis non detulerint. qui vi. *c. quanquam. in 6. cit.* excommunicati ipso facto sunt, si singulares personæ fuerint, si communitas, interdicti ipso jure. Et hodie probabilissimè est excommunicatio Papæ reservata in bulla Cænæ, excommunicatione 18. per illa verba: vel similia onera. ut post alios plures tenet noster *Sayrus. lib. 3. sui Thesauri. c. 22. num. 9. Suarez de censur. disput. 23. sect. 4. n. 23.*

6. Sextò. quoties Domini temporales, quamlibet jurisdictionem, reditus, vel fructus, attinentes personis Ecclesiasticis, ratione Ecclesiarum, vel Monasteriorum, aut aliorum beneficiorum, usurpant, aut sequestrant inconsulto Summo Pontifice, vel sine aliorum, ad quos de jure spectat, expressâ licentiâ. & feriuntur excommunicatione Papæ reservata in *Bullâ Cænæ. excommunic. decima septima.* vide adhoc *Navarr. in Manuali. c. 27. n. 70. & 71. vers. sexto. & Sayrum ubi supra. c. 21.*

7. Septimò. si Statuta, leges, vel consuetudines introductas observari, etiam ab alijs primitus vulgatas, & conditas, contra Ecclesiæ Immunitatem militantes præcipiant. imò tametsi

tametsi solùm secundum illas sententiam ferant. Et sunt ipso jure anathemati subjecti per *c. noverit. de sent. excommunic.*

8. Octavò. si quovis modo impediant, ne causæ ratione personarum, negotiorum, aut rerum, ad forum Ecclesiasticum ordinario, aut jure delegato pertinentes in eodem definiantur. Et habemus contra ejusmodi violatores excommunicationem bullarem decimam quartam, & decimam sextam, atque ipso etiam jure vibratam. *in c. quoniam. hoc titul. in 6.*

9. Nonò. quoties Magistratus Sæcularis, vel Princeps Laicus personas Ecclesiasticas compellit ad angarias, vel perangarias, aliavè munera sive servitia indebita, maximè si sordida sint. de quibus suprà satis fusè. & videtur probabiliter etiam in *Bullâ Cœnæ Domini* sub excommunicatione latæ sententiæ inhibitum. *excommunicat.* 18. & exempti sunt ab his Clerici etiam de jure civili per *L. item nulla. C. de Episcop. & Cler.* & est constitutio *Friderici Imperat.*

10. Decimo. si Domini temporales subditis suis interdicant, ne Ecclesiasticis personis vendant aliquid, aut ab eis emant, ne molant, aut panem coquant, aut alia hujus generis obsequia exhibeant. & sunt ob ejusmodi prævaricationem ipso facto excommunicati. *c. ult. hoc tit. in 6.*

11. Vndecimò si Laicus in bona Ecclesiasticorum, ea occupando, arrestando, contra jus & SS. Canones invadat, sub prætextu debiti non soluti. ut hodie frequenter contingit ratione Steurarum, vel ob justitiam non administratam, vel non ministrandam. cùm non desint ordinaria remedia, querelandi desuper apud Papam. vel in feudalibus apud Augustissimum Imperatorem. de quibus vide *Martham. p. 4. casu 41. n. 31. & casu. 125. n. 18.*

12. Duodecimò. quoties Sæculares Magistratus, vel potestates, leges, vel statuta condunt, aut servari faciunt, quæ sunt contra libertatem Ecclesiæ. Et præterquàm quod excommunicentur *in c. noverit. de sent. Excommunic.* adest etiam contra eosdem excommunicatio bullaris, decima quinta.

13. Decimo tertiò. si Laici authoritativè se immiscere præsumant in Electionibus Ecclesiast. pro quo text. est in *c. quisquis. de elect.* ubi hæ pœnæ adjiciuntur, ut qui Electioni taliter de se factæ assentiuntur, electionis commodo carere debeant, & ad quamcunque aliam dignitatem ineligibiles maneant; donec cum ijsdem ab Episcopo dispensetur. teste *gloss. ibidem. in verbo. fiat.* illi vero, qui taliter eligunt, jure eligendi pro ea vice priventur, suspendendi ab officijs, & beneficijs. vide etiam adhoc. *c. sciunt cuncti. de elect. in 6.* ubi ipso jure excommunicantur, qui Ecclesiasticas personas, vel eorum consanguineos, Ecclesias, aut bona gravant, propterea, quòd eum, pro quo rogantur, eligere noluerint, vel postulare, instituere, confirmare. Sicut eatenus Doctores communiter extendere docet *Suarez de cens. disput. 23. sect. 4. n. 5. Sayrus, ubi suprà. lib. 5. cap. 34. n.* 8 atque hi potiores sunt casus de jure proditi, in quibus Immunitatem Ecclesiasticam in specie violari manifestum est. plures alios passim in præcedentibus discussimus, quos hinc inde Theologi jurisque Doctores examinandos sibi putabant. & tractant plerumque Summistæ in verbo Immunitas, quos apud eosdem videre pluribus potes. Maximè apud *Thom. del. bene. c. 1. à dub. 16. usque ad dub. 18. & toto. c. 3. & 4. usque ad dub. 13. & c. 5. dub. 1.*

CA-

CAPUT III.

Variè puniti divinitus violatores Immunitatis Ecclesiasticæ.

SUMMARIUM.

Violatæ Immunitatis Localis pœnas cælitùs illatas dedit Eutropius, teste S. Chrysostomo. n. 1.

Ejusdem violata causâ divinitùs graviter multantur Mediolani milites. 2.

Raccolinus ejusdem violator teste Gregorio Turon. à Deo gravissimè punitus. 3.

Benedictus quidam nomine, coactus sacrilegam manum inferre hærenti in Ecclesia ad aram est, maledicta Benedicti manus avulsa brachio, altari, à quo impiè eo, confugientem abstraxerat, cohæsit sanguine ubertim distillante. 4.

Sanctius Rex Hispaniarum casu injurius in Altare templi jam diruti divinitùs pœnas dat. 5.

Verba S. Augustini ad Bonifacium comitem exhortatoria, quantùm ad eandem Immunitatem violatam. 6.

Quomodo mulctati à Deo Imperatores, qui Clericorum causas ad sua fora avocavêre, & quantum malorum sibi, & regnis suis conciverint. à n. 7 usq. ad 13.

Origini & incrementis fidei Lutheranæ ansam & vires præbuit, quod causa illa fidei directò Pontificem & Ecclesiam tangens, comitiis imperialibus examinanda subderetur. 14.

Saniùs quo ad hoc Sigismundus Imperator sensit, dixit, & egit. ibid.

Bona Ecclesiarum, & Ecclesiasticorum haud facile profanâ manu impunè contrectantur. 15.

Aliquot ex Brunero exempla, cælitùs castigatorum ob illatas manus rebus Ecclesiarum per impietatem. n. 16. 17. 18.

Quàm iniquum sit, & Cælo teste damnatum, tollere bona uni Religioni, Sancto, vel locis sacris dicata, & pro affectu addicere alteri, falsis precibus sæpenumero ad hoc Summo etiam Pontifice persuaso & consentiente. Exemplum in Ottone. 2. ad hoc probandum, est luculentum. 19.

Etiam bello gliscente, dum agri & pascua

pascua ad Ecclesias spectantia vastantur, Deus ulciscitur. 20.

Aliud exemplum terrore plenum in milite Ecclesiam S. Clementis despoliante. 21.

Etiam cùm necessitas publica ingruit, quàm graviter Deus vindicet, si principes thecas Reliquiarum argenteas, & aliam supellectilem pretiosam conflent, invito, vel inscio Pontifice, & quorum interest, etiam ad sublevandas necessitates publicas. 22.

Aliud de Petro Arragoniæ Rege morte mulctato, Ius sibi vendicante in bona Ecclesiarum temporalia. 23.

Bona Ecclesiarum, Ecclesiasticorumq; Ærario Principum iniquè, & contra eorum Immunitatem illata, malè adjuvant Rempublicam. 24. & 25.

Philippus Pulcher, Rex Galliæ, centesimam, & mox quinquagesimam omnium bonorum à Clericis extorquet, etiam Pontifice dehortante, gravissimo suimet, & regni malo. 26.

Aliud ex eadem Gallia petitum in Rege Carolo. & Clothario, ex Gregorio Turonense. 27. & 28.

Carolum Calvum rebus Ecclesiarum abutentem venenum misere sustulit. 29.

S. Benno olim Misnensis Præses, Marchionem VVilhelmum ob iniquas exactiones, quibus Clerum iniquè emunxerat, ardenti faculâ in vultum contortâ exoculat. 30.

Experientia docet, has malè ex Ecclesiarum, Ecclesiasticorumq; bonis & reditibus corrasas opes, alijs etiam justè quæsitis mistas, detrimentum, jacturamq; inferre. 31.

TAmetsi sæpiusculè superiùs *disput.* 2. & 3. ubi se occasio offerebat, aliqua ex Historicis interspersimus, quibus palàm fieret, quomodo ultio divina Ecclesiæ suæ Immunitatem non infrequenter vindicârit. constitui tamen hic loci, velut in sede sua naturali, ubi de pœnis violantium Immunitatem ordine agendum est, aliqua attexere, etsi paucula è multis.

1. Ordiendo igitur de Immunitate Locali, quam proximâ disputatione tractavimus, lubet audire *Chrysostomum*, præsentem Dei vindictam in eum, qui eandem paulò antè oppugnatum potenter iverat, graphicè perorantem: *Præclusit* (inquit,

quit aureus Orator in Homilia in Eutropium, qui author erat Arcadio Imperatori, ut lege dicta, Ecclesiæ asylum negaret confugis ad Sacraria) *hujus loci refugium, legibus scriptis, quibus hoc irritum facere conatus est. at nunc reipsa didicit, quale sit quod fecerat, & suomet facto legem suam primus abrogavit: factus orbis totius spectaculum. Et sileat licèt, omnes tamen admonet: Nolite hæc facere, ne qualia ego patiamini. Sua calamitate alios docet; & altare hoc ipso illustrem ex se splendorem emittit, ac venerationem sibi comparat, quòd Leonem vinctum continet.* hæc & plura alia egregiè Chrysostomus in eadem Homilia. certè abs sanctissimi hujus Præsulis oratione fuisset, à furente milite, & exasperatissimo in eum odijs populo frustillatim discerptum urbs Eutropium spectâsset, dignum ultionis divinæ exemplum, ut qui, annó priùs confugientes ad Ecclesiam abstraxit, Imperatorem ad crudelem illam sanctionem, quæ habetur in *C. Theod. leg.* 3. *de his, qui ad Ecclesias confugiunt.* induxit, post lapsum anni illius, pavens & ejulans altari hæreret, impium sanguinem digna læsæ Immunitatis hostia effusurus. Nec enim, ut canit Poeta.

- - - - - - - - Lex justior ulla est,
Quam necis artifices arte perire sua.

2. Alterum refert *Paulinus in vita S. Ambrosij. Honorius* Imperator *Mediolani* leonum exhibebat munus per amphitheatrum. mittebantur milites à *Stilicone* Comite, ut *Cresconium* ad Ecclesias fugitivum abstraherent. quem etsi *Ambrosius* inter Clericorum cuneos tremebundum defensaret, prævaluit tamen militum manus, atque avulsum in arenam intulêre. vix consederant impij raptores, cùm dimissi ex caveis ad spectaculum leones, quà data porta ruunt in Ecclesiæ violatores, reliquis adsidentibus innoxijs, & horrendùm laniatos sceleris multant. Et vide justum Dei judicium. idem *Stilico* militiæ famosissimus Magister, qui *anno Christi.* 369. dicti

flagitij, & violatæ Immunitatis author militibus erat, anno subsequente 408. confugium Ecclesiæ quærere debuit, & aram prendere, ut vitam precariò servaret.

3. Tertium *Gregorius Turonensis. lib. 2. Miraculorum S. Martini. c. 27.* scribit. *Raccolinus* quidam, cùm urbem Turonensem oppressisset, misit, qui plebem in Ecclesiam confugam vi extruderent, extrema flammæ & cinerum minatus templo, ni jussa fierent. concurritur inter lachrimosos ejulatus, & mœstas quiritationes in Ecclesiam, & Numen fatigatur precibus, cùm ecce *Raccolinus* morbo confestim regio percutitur, & pediculis morè scelerati quondam Herodis imam intimam cutem peresus sicut cera à facie ignis guttatim difluit, donec quinquagesima pòst die hydrope distentus horrendùm creparet.

4. Addo quartum ex *Manclero. Volumin. 2. generat. 37. ad annum Christi. 1095. Colomannus* Ladislai Regis Vngariæ filius, *Almum* fratrem germanum, quem, ne (exoculatum antè à se invidiâ) jam fatali morbo supinatus, Vngariæ Regem relinqueret, rapi in vincula jusserat. *Almus* carcerem, & catastam declinaturus, Monasterio se condidit, Arâ Ecclesiæ utrâque manu prehensâ. Sed quôd Impietatem, ne ultima quidem fata mollirent, *Benedictum* quendam nefandum facinus moliri jubet, ac ab aris rapere cæcum confugam. en Numinis vindicias! dum raptat atque ab altari *Almum* discriminat, hæsit avulsa *Benedicti* manus aræ, sanguine ubertim diffluente. territus ille manca manu se in equum librat, sed subitò humi allisus fractis cervicibus, cùm ultimum spirâsset, sacrilegum cadaver canibus in pabulum cessit.

5. Coronidem addo ex *Baronio ad annum Christi.* 1031. qui refert ex Hispanorum fastis, obvenisse, ut *Sancius Navarræ* atque *Castellæ* Rex, animum venando laxaturus aprum insectaretur,

retur, fessus ille cùm vix pedes traheret, se inter obvios parietes, qui ex ruderibus templi Divi Martyris *Antonini* reliqui erant, ex fuga recepit, sacro ibi altari relicto accubuus. cùm ecce Rex telo fixurus feram sentit brachium torpere, nervos incidi, manum labare: malo præsenti doctus, debitam Ecclesijs immunitatem nec inter templorum parietinas impunè violari.

6. Neque garrias cum nostri ævi hæreticis: hæc recentia Paparum commenta esse, nullâ ætate commendanda. audi *Augustinum epistola. 6. in append. Bonifacius* quidam Comes cùm in *Africa* exercitum duceret, quòd fugientem ad Ecclesiam inde abstrahi mandâsset, ita S. Pater litteris exagitat: Miror, quomodo tam subitò fidei murum aries ruperit inimici. Novi enim quâ religione semper sis Ecclesiam veneratus. Quo instigante hominem de Ecclesia rapuisti? Tuus si de Tuo amico fortè præsumeret fugitivus, posset procul dubio intercessoris causâ veniam promereri. Ergo si amicus intenditur, cur Deus offenditur? Sed si de potestate præsumitur, *Nabuchodonosor* Regem attende, qui causa superbiæ in bovem est ex homine commutatus. Non ut confundam te hæc scribo, sed ut filium meum charissimum moneo. Ecclesiæ igitnr illæsum revoca, quem ut irreligiosissimus rapuisti. Oblatio verò Domus tuæ à Clericis ne suscipiatur, indixi. communionemque tibi interdico, donec peracta pro ausibus vel errore à me definita tibimet pœnitentia, & tempore condonato pro hoc facto, corde contrito & humiliato dignum offeras Deo sacrificium. hæc *Augustinus*.

7. Quod ad causas Clericorum attinet, quanto malo ad Sæcularium fora discutiendæ rapiantur, aliqua superiùs delibavimus, restat ut nonnulla hic loci ex probatissimis Historicis subjiciamus. Refert ex *Baronio Spondanus in Epitome ad an-*

num Christi 385.*n.6.* *Maximum* Imperatorem, etsi cætera non illaudatum, & imperio & vita exutum esse, quòd judicium sacerdotale, etiam blandientium quorundam Episcoporum adulatione sibi delatum usurpârit.

8. *Valentinus* tertius Imperator *Novellam* condidit: *de Episcop. judic.* quâ omne sustulit judicium Ecclesiasticum, nullamque voluit esse Clericis fori exceptionem; sed quo Ecclesiæ, imò totius Imperij malo? passim attrita ejus potentia, per orbem avulsæ ab Imperio Provinciæ, vix Italia servata. non *Valentini*, sed *Leonis Magni* curâ & pietate. hoc flabello, vel ut veriùs loquar flagello, temperari debuit ardor Imperatoris impij, quo contra sacrosanctam Ecclesiæ Immunitatem efferbuerat.

9. Quid *Iustinianum* tamdiu laudabilem Orientis Imperatorem, quamdiu jura & judicia Ecclesiæ impiè non sibi vendicavit? ubi jus dicere Ecclesiasticis, occæpit, lapsus potentiâ, fide, imperio, in fœdum hæreseos barathrum est, repentina morte extinctus. ita *Evagrius lib. 4. c. ult.* testatur. ita *Baronius ad annum Christi.* 485.

10. *Ottones* famosissimos Imperatores, ita ut Magni nomen primus mereretur, quid radicitus exscidit? usurpata in Ecclesiam & Ecclesiasticos potestas. ita loquitur *Spondanus ad annum Domini.* 1002. extinctum in *Ottone* tertio penitus est Stemma regnantium *Ottonum*. ita divinâ ulciscente vindictâ scelera, quæ in Sedem Apostolicam perpetrârunt, quamvis nonnisi pietatis intuitu id agere præseferrent; magno siquidem damno quovis prætextu pietatis à Laicis quibuscunque sacra tentari, & ipsæ. SS. Scripturæ de *Saule, Oza, Ozia*, aliisque demonstrant. hucusque Spondanus.

11. *Balduinum* Regem Hierosolymorum quid evertit? si *Baronio* credimus *ad annum*. 1100. simultates inter ipsum &

Daiber-

Daibertum ſubortæ. hoc jura Eccleſiæ propulſante, illo crudeliter lacerante. hinc illa malorum ſeges, quam impius Eccleſiaſticorum maſtyx toto Regni ſui tempore inter continuas calamitates meſſuit.

12. Quantâ autem Eccleſiarum ſtrage, & proprio ſuipſiuſmet damno *VVilhelmus* Rex Angliæ Regnum perculerit, *Edinerus* in vita *Anſelmi*, & *Malmesburienſis* luculenter teſtantur. cùm raperet, & velleret Eccleſiarum bona *VVilhelmus*, Archi-Præſulem *Anſelmum*, quòd contrà ſtaret, Eccleſias defenderet, in exilium egit. quem triduo antè quàm infelicem animam, ſagittâ in cervum vibratâ inter venandum percuſſus, cùm ſanguine vomeret, *S. Hugo* Cluniacenſis ad ſubſellia Dei raptum, accuſatum, condemnatumq́ue vidit.

13. Quid *Henricum*, quid *Fridericum* Imperatores fœdiſſimo Schiſmate involuit, Imperium ingentibus damnis attrivit, Clero in omnem petulantiam habenas laxavit? quàm uſurpata poteſtas in Sedem Apoſtolicam, & in Eccleſiaſticos jus & jurisdictio præſumpta? hinc tot bellis convulſa Germania, Infulæ Pontificiæ paſſim precio venales, Clerici nundinatores Simoniaci, ventris ac Veneris pudenda tunc mancipia. Lege *Baronium ad annum.* 1076. & *Lambertum* hiſtoriographum *Henrico* coævum. & miraberis ſcelera, calamitates, & prodigia quæ tunc orbi fataliter incubuêre Sed quæ cataſtrophe utrumque Imperatorem poſt hanc fabulam tam tragicè, tam impiè per fines Imperij luſam manſit? *Henricus* coronâ, & regno exutus, diris devotus, carceri mancipatus, animi mœrore conſumptus interijt, toto quinquennio Chriſtianâ ſepulturâ ſuo merito privatus. *Fridericus* etſi multis numeris melior *Henrico*: in hoc tamen ſuppar, quod Sedis Apoſtolicæ, & juris Eccleſiaſtici hoſtis & invaſor, tantam

maculam in Oriente occidens si eluit, non nisi aquis deterserit. sicut ominatur *Spondanus ad annum Christi.* 1190. *n.* 4.

14. Et quæso unde *lues Lutherana* tam pestiliter in *Germaniam* grassata, quàm quòd per Imperatorem, dum comitijs Augustæ vacaret, non illicò ad Sedem Apostolicam, cujus est de hæreticis judicare, sit relatâ? imo parùm ex pietate Veterum super eadem sectâ tunc *Augustæ* consultum, ac definitum. Meliùs longè *Sigismundus* Augustus *Sigismundi* Regis Polonorum filius, de quo testatur Cardinalis *Hosius*, eum, cùm instarent procerum aliqui in Comitijs *VVarschaviensibus*, ut de causa Religionis cognosceret, constanter recusâsse, dixisséque, non sui id esse muneris, Regem se, non Pontificem agere velle. satis sibi negotij esse cum profanis causis. plura *Surius in suo Comment. rerum in orbe gest. anno.* 1548. utinam moderni Principes ab hoc pijssimo *Sigismundi* exemplo non longiùs abeant, relictisque Clericorum causis foro Ecclesiastico, messe sua contenti falcem acuant in profana, ac politica!

15. Quantum ad bona Ecclesiarum, Ecclesiasticorumque spectat, passim volumina, & libri exundant exemplis, quibus templorum expilatores, violatores Jurium, & tributorum, quibus Ecclesiasticas personas impiè onerabant, exactores, divinum Numen passim ultum est, & profligavit.

16. Ordiar à levioribus. refert *Bruncrus annal. p.* 2. *fol.* 892. *Richildem Adalberoni* Dynastæ Eberspergensi nuptam Locum, cui *Pöscnpojo* nomen, mariti voto destinatum. *D. Sebastiano*, transferre in *VVessonem* fratris filium jam viduam laborâsse, Regemque ad id exoratum, ut munus ratum esse vellet. jamque manum extulerat Rex, vocem ex formulâ emissurus testem suæ authoritatis, cùm triclinium, ubi hæc acta, repente concidit, convivasque gravi casu allisit. Rex cùm imus volveretur, effusique supèr caput ejus complures magno

gno ei pondere incumberent, periculo tamen, brachij solùm summâ cute perstrictus, defunctus est. *Richildis*, Episcopus, Abbas *Altmannus Eberspergensis*, qui sacrilegio consenserant, sublati pro mortuis, in paucis diebus expirârunt. neque ulli dubium fuit iratum Numen has avaritiæ in *D. Sebastiani* opes grassantis pænas exegisse involutis eâdem ruinâ omnibus, ad quos mali consilij noxa pertinuit.

17. Alterum ex eodem *Brunero eadem parte. fol.* 515. attexo: *Bertoldus* quidem Marchio fuit, qui Divi *Emmerammi* opibus inhians (ut frequenter impiam orexin bona Ecclesiarum, Ecclesiasticorumque Laicis movent) cùm *Michaelis*, tunc *Ratisbonæ* antistitis constantiam perfringere nequiret, juratos testes daturum promisit, & rebus necessarijs omnibus ostensurum, se merum, liquidumque jus postulare. compositâ strenuè fallacia duodecim viros boni omnes sanguinis produxit; eos *Michael* tactis aris ad pastorale pedum. *S. Emmerammi* concipere jusjurandum jussit: quod cùm illi intrepidè fecissent, pessimis exemplis ordine omnes perierunt. *Arnoldus* quidam præsentario supplicio obstupescente brachio multatus, post annos pauculos *Nabæ* fluminis vorticibus haustus est, salvo Comitatu, quem unà duxerat. Reliqui nihilo mitiora passi perfidiam suis quique supplicijs luerût. Oculis alius, alius mente captus, alter animam cum alvo effudit, alteri laqueo extorta est. Duo arserunt. prior cælesti, posterior familiari flamma, quæ domum juxtà, Dominumque eodem incendio involuit. alius resolutis nervis, aqua intercute alius, extabuerunt. fuit, quem herculanus morbus, fuit quem carcinoma depasceret. denique qui mitissimè plexus est, mancus, luscusque sua sociorumque funera, jam non integer, spectavit. *Bertoldus* tot exemplis monitus dicicit ve-

reri

reri Divos, & S. *Emmerammi* iram prædio suburbano, cui *Isininga* nomen fuit, placavit.

18. Tertium idem *Brunerus eodem loco* subtexit. Æs campanum ex æde *D. Emmerammi*, ejus tinnitu *Otto* Imperator captus, poposcit. Neque difficilis in re non maxima, suâ quidem opinione, præfatus *Michael*, Episcopus Ratisbonensis; efferri illud templo jussit. Sed nola velut indignaretur esse Cæsaris, quæ modò Sacra Ecclesiæ fuerat, extemplo irrausit, & ferali sono intempestivam cupiditatem *Ottonis*, præsulisq; indulgentiam coarguit. hucusque *Brunerus*.

19. Subjicio ex Cardinale *Baronio. tom. 10. Annal. ad ann. Chr.* 983. ut tuâ fide, lector, arbitreris, quàm mala fide & conscientiâ intutâ hodie principes tollant bona uni Religioni sacra, & pro suffragio affectûs addicant alteri, falsis precibus sæpenumero ad hoc Pontifice persuaso, & consentiente.

Otto secundus *Ottonis* Magni filius, cum exercitu in *Calabriam* adversus Saracenos, Græcis junctos, profectus, offenso Numine in Sanctis ejus, infeliciter pugnavit, exercitu pessimis modis contuso. Nam Episcopatum quem ejusdem Pater honori *D. Laurentij* erectum sanxerat, dejecit, ut Archiepiscopatum, quem alterius Sancti cultibus destinaverat, omnibus numeris absolveret. sustulit ergo bona *Laurentio*, & *Parthenopoli* addixit *Mauritio*. ob hoc peccatum victoriam *Otto* perdidit adversante sibi *D. Laurentio*, & diebus suis omnem confusionem recepit. Prius verò quàm fato suo fungeretur, ut ad pœnitentiam stimularet Imperatorem Deus, sicut est semper clemens, visione insolita viro probo facta eundem erudijt. Nocte intempesta is intueri sibi videbatur *Ottonem* aureo solio sedentem, sub pedibus ejus argenteum scabellum. Episcoporum, & adstantium Procerum circa ipsum prospexit seriem longam. Intravit autem decorâ facie, instar ignis,

Ju-

Juvenis nivea veste velatus, stolâ pectus purpureâ amiciente. qui mox impetu, & indignatione actus, suppedaneum ex argento substratum pedibus Cæsaris rapuit, averso vultu januam spectans. Rogatus ab eo, cui hæc visio objiciebatur, velut rei indignitate commoto, Et cur Scabellum subripis adolescens, Imperatoris Majestatem non vereris? Imò subjicit juvenis, si meum dedecus non emendat (erat enim ipse *D. Laurentius*, sicut Episcopo, qui videre meruit, Deus revelavit) majora faciam, rapto suppedaneo, ipso quoque solio excutiam.

20. Cæterùm, quid communius, quam, dum movente exercitu eques ducendus est, obvia passim prata, agros, segetes pabulari? jocus sis, oportet, & sannis lacereris, si depasturis militibus oggeras: arva ad Ecclesiam attinere, messem Monachorum esse. frequenter hæc fabula nostris bellis, communi multorum Cænobiorum egestate, lusa est, sed nunquid parcendum fuit? ridebunt milites. Sed quid ad hæc Deus suorum vindex? Narrat *Baronius ex Dietmaro Episcopo Mesburg. tom. 10. ad annum Christi. 999.* morante cum exercitu *Ottone* 3. *Romæ*, cùm Ducis *Hermanni* milites Monachorum *S. Pauli* prata vi publica pabularentur, multis precibus suppliciter rogati nequidquam audiebantur grassaturi per arva, dum luberet. cùm ecce miscetur cælum tetris nubibus, micant fulmina, consequitur tonitru terribile, & ex equitum ala quatuor terrâ prosternit, atque reliquum equitem fugat. & subnectit *Baronius*, documentum id mundo luculentum esse futurum, pauperes Christi in hâc vitâ non esse contemptibiles. Protector enim talium, ut ait, misericors Dominus, & hos honorantes, & in necessitate suâ exaudientes digna retributione provehit, eorumque persecutores, aut hic (quod leviùs habetur) aut in futuro (quod graviùs) punit.

21. Cæterùm metu, & irâ divini Numinis plenum est,

quod ex eodem *Dietmaro Cardin. Baron tom. 11. anno Christi, 1011.* subjicit de milite immunitatis Ecclesiasticæ, & rerum Ecclesiæ *S. Clementis* violatore. is in bona dicto Martyri Sacra temerarius involaverat, domum sibi, aut tectum domûs inde structurus. cùm ecce dum inter cubiculum miles desidet, mures hinc inde ex angulis properi impetum cient, & adoriuntur. nudat is gladium, & excipit insultus: sed quòd incassum aerem verberaret, commentum meditatus ingeniosum, quo rabiem soricum eluderet; in arcam se abdidit, quam aura sublimem trochleis appendit Sed quid non pervium Numini; cùm pœnam merentibus destinavit? nam cùm pauxillò pòst ex aere demitteretur, occlusâ arcâ fœdum cadaver fataliter corrosum apparuit. tunc, subjicit *Dietmarus*, cunctis præsentibus manifestum fuit, quòd hunc ira Dei, vindex prædicti facinoris, sola consumpsit.

Mira est vindicta, quam *S. P. Benedictus* in *Rainaldum* Nortmannorum Regem, suum Floriacense Cænobium impiè lacessentem, exercuit, *teste Aymon. in Bibliotheca ejusdem Monast. de miraculis ejusdem S. Patris. lib. 2.* effusis Paganorum ingentibus copijs, cùm passim Rainaldus in Gallias flammâ, ferro, cædibus grassaretur, denique Floriacum, ubi *D. P. Benedicti*, lipsana sanctissimè colebantur, impius turbo se præcipitavit. Monasterium, dilapsis fugâ Monachis, viduatum, ubi ex captivis antè *S. P. Benedicti* fuisse domicilium didicit, ibi Sede sibi, stativisque sacrilegè fixis, postquàm inauditis locum, ubi Monachi olim se quieti dabant (dormitorium vocamus) criminibus incestâsset, unà noctium forte indormiit, commessationibus, stuprisque fatigatus. cùm ecce *S. P. Benedictus*, duobus unà latus ejus coronantibus Monachis, truci vultu spectabilis se Regi objecit. Et heus tu, inquit, Rainalde, quid à meis, meve in te peccatum, ut nos exturbes ædibus? neque

ossi-

ossibus per te meis sua quies sit? at senties, Benedicto curam sui, suorumque te adversum esse.

Dixit, & impacti pulsat caput ære bacilli.

Ex verbere subitò expergefactus Rex, tremiscere artubus, horrendùm vociferari, atque ô opem, opem milites, inclamare. Hem ut Benedictus extrema Regi minitatur? vasa colligite, arma refigite, fugam capessite, instat ultor a tergo Deus. experior jam modo gravem Numinis manum, ossa per omnia malum serpit. atque his dictis tumultuariò vestitus, ubi in equum emersit, ocyus cum suis Floriaco excedit: depascente interim sacrilegum Regem imis intimis fibris Dei vindictâ. Ubi Patria Seminecem excepit, paulò pòst inter cruciatus infelicem animam exhalavit. Dixisses, tumultuatos elementa per omnia tunc Stygis genios fuisse, ita mox à Rainaldi fato aer turbine cieri, alta tectorum decuti, arbores stirpitùs evelli, equos præsepibus solutos hac illac ferri; humato corpori superædificatam pyramidem tellus, velut honoris tyranni, onerisque impatiens humo applausit, mox tumbâ sepulchrali cadaver sacrilegum funditùs regurgitante. Denique cælo terraque indignum prædonem culeô insutum, appensoque Molari, Sequanâ fluvio mergendum extulêre. non aliter eluendum crimen Numini visum, quô in Ecclesiam, manesque *S. P. Benedicti* Rainaldus sacrilegè ferociverat.

22. Et audiant, quod *Leo Hostiensis* in Chronico suo & ex eo *Baron. anno.* 1038. recenset, qui tam liberè consultum eunt principibus Laicis, quos adulantur, ut cum ærarij res angusta est, cum urgent bella, vel domestica necessitas, sacræ ex auro argentove lipsanorum Thecæ igne liquentur, publicis necessitatibus medicaturæ, sicut id quoque nostro ævo pessimis consilijs tentatum meminimus. nam refert præfatus

Cardinalis, *Pandulphum* Principem *Capuanum*, *Adelgisium* quendam, cum ære alieno urgeretur, *Cassinum* destinâsse, ut quæ Imperator ex auro, argentoque munera cœnobio dicâsset, & si quæ alia inpræsentiarum usui forent, Monachis extruderet. armatæ preces erant principis *Pandulphi*, abnuerent? vim armatam in Monasterium concirent: assentirentur? turpissimo crimine se polluerent. conventum ex consilio *Adami* cœnobitæ, qui tunc rei sacræ curam gerebat, aræ *S. Benedicti* sacra lipsana, omnemque reliquam supellectilem pretiosam publicè expositam concredere. sed quid non audet avaritia, cùm depuduit? Manum *Adelgisius* nec templi sacrosanctum honorem, nec *D. Benedicti* reverentiam, nec Numinis iram causatus in prædam sacrilegus mittit, cùm subitò humi stratus, epilepsi, paralysique corripitur, cunctis adstantibus mirum sui, dirumque spectaculum futurus. Et tametsi *S. Benedictus* jam saniora ægro corpore meditantem ex præsenti morbo recrearet, distortum tamen os, oculumque, dum vixit, testem præsentis vindictæ circumtulit. cujus tamen *Pandulphi* Principis tantùm abest, ut avaritiam compescuerit calamitas *Adelgisij*, ut pauxillo temporis intervallo omnem Monasterij thesaurum expilârit. quem post fata principis, ferreis nexibus vinctum, fætitoque lacui à malis geniis ingurgitatum, frequenter se conspectui inter ejulatus obtulisse scribit idem *Leo Ostiensis*, clamore querulo in hæc se damnatum, quod in sacram *S. Benedicti* supellectilem temerarius involâsset. Sed hæc nostris nasutulis commenta, & fabulæ Monachorum sunt. Seria fuisse, æterno damno apud inferos serô nimis experturi.

25. Mitior equidem pæna fuit, quâ Numen *Petrum Arragoniæ* quartum Regem perculit. utinam cum eo percussi saniora molirentur, qui passim, nostrâ etiam ætate principibus,

re-

regibusque authores sunt, ut in bona Monasteriorum, Ecclesiarumque, velut in bona Cameralia, ut vocant, jus sibi vendicent. hic itaque *Petrus* Rex, cùm Dominium, utile omnium oppidorum, locorumque civitati, Episcopatuique *Tarraconensi* subjectorum arrogaret, gravi bello eam Ecclesiam afflixit: cùm objecta ejus aspectui *B. Thecla*, in cujus tutela, ac præsidio ea civitas est, porrectâ manu temerarium Regem alapâ percussit, ex qua pulsatione viribus defectus, summâ agniti criminis detestatione mortuus est, confectis desuper tabulis mandans, ut *Tarraconensis* Episcopus in jus suarum possessionum restitueretur. ita refert *Beyrlinck in suo Theatro. verbo. Sacrilegium. ex Hieron. Surit. lib.* 10. *Annal. c.* 39. *fol.* 57.

24. Et ecce, quàm bona Ecclesiarum, Ecclesiasticorumque expilata, continuis exactionibus corrasa, ac Ærario principum illata malè adjuvent Rempublicam? nam testis est *Nicol. Sanderus. de Schism. Anglic. anno Domini.* 1543. *Henricus* Rex *Angliæ*. 8. post tot expilatas Ecclesias, bona Monasteriorum in fiscum illata, ita redactus ad incitas est, ut pro nummo, sive moneta argentea, qui purgatissimus eo in regno semper fuit, convertere in æreum coactus sit, non sine manifestâ Dei vindictâ in sacrilegia, & rapinas regias. cùm enim, inquit Sanderus: tot, & tanti Monasteriorum in *Anglia* Thesauri essent, ut eorum vel decima pars, Regis etiam avarissimi mentem explere potuisset, tamen *Henricus* cùm Thesauros ubique omnes, cùm cruces argenteas, aureas, omniaq; vasa sacra, cùm altarium ornamenta, cùm omnem supellectilem, mille pænè Monasteriorum, cùm omnia prædia, fundos, fructus, jura & actiones in suam potestatem redegisset, cùm præterea decimas, & Annatas omnium beneficiorum per universam *Angliam* exigeret, & adeò, cùm ipsum plumbum, ligna, atque lapides Monastariorum ubique venderet, ex eoque debuisset

ſet in æternum omnia civibus ſuis tributa, ac vectigalia remiſiſſe (id quod ſe facturum ſimulabat, ut cives eò libentiùs in Monaſterijs evertendis ipſius libidini aſſenſum præberent) imò cùm debuerit, quocunque Chriſtiani orbis Rege, argento præſertim, & auro ditior extitiſſe, adeò tamen in contrarium ea res ex Dei juſtiſſima voluntate ceſſit, ut multò pauperior, intra paucos annos poſt expilationem iſtam, fuerit, quàm unquam antè, aut ipſe, aut majores ejus fuerunt. Quin ille ſolus plura tributa & vectigalia civibus ſuis impoſuit, quàm omnes ſimul Reges per quingentos antè annos fecerant. Cumque ſtantibus adhuc Monaſterijs vulgò Pſeudo-Evangelici jactitarent: neminem in *Anglia* deinceps pauperem fore, ſi ſemel clauſtra dirumperentur, & Theſauri, quibus Abbates incubarent, prædiaque, & agri, quibus pauci jam Monachi alerentur, in manus plurium devenirent, adeò nihil eorum reipſa extitit, ut pro ſingulis, qui antè oſtiatim victum quæritabant, nunc viginti ad minimum, non modò idem vitæ genus ſequantur, ſed etiam, quod miſerrimè quæritant, interdum vix inveniant. Hucusque *Sanderus*.

25. Viderint noſtri temporis Monacho-Maſtyges, qui conſultum ire principibus audent, ut tantum religioſorum per cænobia numerum arctent, reliquam redituum partem fiſco inferant, certum afflictis rebus, & Reipublicæ neceſſitatibus futurum ſolatium. ita ſcilicet divini Numinis honori conſulitur, ut propter quem omnia facta ſunt, & creata, ipſe privetur, ut mundo, & mundi principibus pleniùs & planiùs provideatur? hæc Sapientia juſtè ſtultitia per Apoſtolum eſſe apud Deum dicitur, ut dum illi accumulando per fas & nefas, & contra Dei, & *SS. Canonum* præcepta, nummos nummis, bona bonis, principibus ſæculi divitias & potentiam impiè moliuntur, juſto Dei judicio æraria exhauriantur, poten-

tentia fatiſcat, & vix privatis neceſſitatibus ſit, quod ſuppetat. nam qui quinque panibus novit quinque millia hominum ſaturare, novit non minus multa millia Florenorum malè corraſa ita incidere, ac extenuare, ut nec in paucos ſufficiant.

26. Sed ad alia propero. refert *Matth. Tympius in ſuo theatro hiſtor. folio mihi.* 69. de *Philippo Pulchro*, Rege *Galliæ*, qui cùm *An. Dom.* 1295. à Clericis omnium bonorum centeſimam, mox quinquageſimam extorſiſſet, Papa *Bonifacius* miſſis litteris ab ejuſmodi injuſtâ exactione dehortatus eſt. Nuncio à Rege malè accepto, ubi Pontifex *Ioannem* Cardin. Gallum, qui *Philippum* ad meliorem mentem placidè reduceret, miſit, eum Rex cuſtodiæ mancipavit. uſus ergo Papa remedijs acrioribus, Regem anathematè percuſſit, abſolvitque Galliæ ſubditos ab obedientiæ, quâ *Philippo* attinebantur, juramento. Quocirca Rex iratus clam miſit, qui Pontificem *Anagniæ* comprehenderent, ij mandata fecère, *Anagniâque* adductâ in poteſtatem, Papam in ſua domo in cuſtodia detinuerunt: donec paulò poſt ejecti ſunt *anno.* 1303. Hic igitur *Philippus Flandriam* vivens amiſit, exercitumque florentiſſimum prælio commiſſo, *Britanniam gallicanam* coactus eſt *Angliæ* Regi reſtituere. Tres ejus Nurus impudiciſſimæ, adulteris ultimo ſupplicio affectis, regiam familiam dedecore aſperſerunt. Ipſe, dum venaretur, apro irruente dejectus equo, è vita migravit, peſte ac fame *Galliâ* vexatâ. ob quæ mala, *Philippus* toties injurius in Eccleſiam, à nonnemine Galliæ peſtis appellatur. certè *Maucler. lib.* 7. *p.* 4. *c.* 8. etſi molliſſimè *Philippi* ulcera calamo ſtringat, non tamen ſubticuit, eundem Regem pecuniam bello ſacro deſtinatam in *Gallia*, ac collectam, publicè quoque depeculatum eſſe. ita centeſimam, quam iniquus Rex à Clericis impiè expreſſit, juſto Dei judicio mille

da-

damnis regni sui redemit. utinam non etiam æternùm obses, præs, & vadis tantorum scelerum.

27 Sistimus ex eadem *Gallia Carolum*, etsi aliquot sæculis majorem: quid adegit precarium à *Northmannis* regnum ingenti vi auri redimere? iniqua manus, quam in bona Ecclesiarum misit. audi *Spondanum ad annum Christi.* 850. *n.* 3. ubi ita loquitur: Quæ quidem pati meruit Carolus, quòd à majorum pietate, per quam ipsi facti sunt adversus barbaros omnes invicti, ipse degener inventus est, justoque Dei judicio accidit, ut qui Ecclesiarum bona Laicis traderet, coactus sit sua largiri *Northmannis*.

28. *Clotarius*, non minori injuriâ grassabatur in Ecclesiarum bona. Et utinam ut suo ævo ex antistitibus Ecclesiast. habuit, qui se opponerent pro domo Dei, itâ nostrâ ætate præsulum majorum constantia & fervor non elanguerit, quoties contra Ecclesiarum mastyges duellandum est! audi *Gregor. Turonens. de gest. Franc. lib.* 4. *c.* 2. cùm Rex *Clotarius* indixisset, ut omnes Regni sui Ecclesiæ tertiam partem fructuum fisco solverent, idque reliqui Episcopi, licet inuiti, consensissent, viriliter Episcopus Turonensis, Injuriosus nomine, respuens, ac subscribere dedignans, Regi dixit: si volueris res Dei tollere, Dominus Regnum tuum velociter auferet, quia iniquum est, ut pauperes, quos tuo debes alere ex horreo, ab eorum stipe tua horrea repleantur. ô veriverbium Sancti Viri! & multis principibus nostro etiam sæculo inculcandum.

29. *Carolum Calvum* quid florentissimo *Galliæ* Regno, non minimam partem, exuit, quàm quòd rebus Ecclesiarum abuteretur? certè, *Spondano* teste, justa Numinis vindicta. *Northmannos*, acerrimos hostes, in partem Regni admittere debuit, qui magnam partem Abbatiarum, bonorumque Ecclesiastico-

eorum in proceres suos prodegerat, veneno denique hac iniquâ siti per proprium Medicum restinctâ. ut fusè *Baronius*, & ex eo *Spondanus ad annum.* 846. *&* 877. prosequitur. Utinam in Imperij nostri calamitates hæc vetus & vera nænia omnibus suis numeris non quadret! & occini possit, nisi delicatæ multorum aures contra obstipentur.

30. Recipio me ad Germanos, & finio in sanctissimo *Bennone*, nostro, *Misnensi* quondam antistite, Monacensium modo in *Bavaria* lectissimo hospite & Thaumaturgo, cui etiamnum periclitantem Patriæ Immunitatem omnibus votis commendatam volumus. *Bredenbachius* mihi testis est. *lib.* 5. *c.* 54. *VVilhelmus* quidam, Marchio *Misnensis* passim in Ecclesias manum profanam inferebat, exactionibus, angarijs, oneribus, Ecclesiasticos impudenter discruciabat. *Brutenus*, qui tunc Præpositi *Misnensis* officio fungebatur, cùm pijs admonitionibus in coercendo Marchione aërem verberaret, ad D. *Bennonem* confugit, unicum Ecclesiæ suæ, & Ecclesiasticorum asylum, quem cùm jugibus lachrimis, assiduisque precibus toto animo pulsâsset, conspicuum se *VVilhelmo* in somnis *Benno* objecit. Et heus tu, inquit, filios meos, Ecclesiamque meam hucusque tributis gemebundam exsugis, nec serijs admonitionibus aurem præbes? Hactenus Patris, dein noveris te in *Bennone* dirum pœnæ exactorem, ni desinis, sensurum. Retulit somnium Marchio, ijs, qui à Consilijs erant. Sed ut his fungis pleraque sacra inter aniles fabulas rejectitia sunt, avertêre *VVilhelmum* à serijs, quæ animo conceperat. Cùm ecce iterum semisopito objectus per noctem visibilis *Benno* oculum Marchioni, acriter increpito, faculâ, quam manu prætentabat, perurit. Neque fabula serò sapienti *VVilhelmo* fuit, nam expergefactus oculum sibi exustum seriò luxit. Et tametsi da-

mna, quæ Ecclesijs intulerat, ut ſuperos propitiaret, abunde reſarſerit, ſpe tamen prolis totam Marchionis poſteritatem orbatam voluit, ut icti hoc malo manus impoſterum violentas Eccleſiarum bonis inferre pertimeſcerent.

31. Sed manum jam nunc de tabulâ. quid enim opus pluribus lectorem fatigare? nam quid firmatum frequentius hiſtorijs? quid experientia? quid moribus? quam malè rebus publicis, malè domeſticis conſulere, quisquis Deo ſacros Antiſtites, Clericos, Monachos, bona, vel loca tangit. Jam olim effatum Numinis ore prophetæ fuit: Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei. Et notum vulgo, decantatumque ad Rhombos anicularum eſt, nummos, & opes ab Eccleſijs, Eccleſiaſticisque tralatitios hoc contagionis ſpargere, ut miſti etiam juſtè quæſitis mutuò contabeſcant, & ſeſe deprædentur.

- - - - - dedit hanc contagio labem,
Et dabit in plures. ſicut grex totus in agris
Vnius ſcabie cadit, & porrigine porci,
Vvaq; conceptâ livorem ducit ab uvâ,
Sic bona quæ ſacro ſunt dedita, debita Clero,
Poſtquàm cum nummis male ſunt commiſta profanis,
Nummus uterq; perit. - - - - - - -

CA-

CAPUT IV.

Pœnæ Violantium Immunitatem de Jure Civili.

SUMMARIUM.

Primò, est peccatum mortale ex genere suo agere contra Immunitatem Ecclesiasticam, est enim hæc violatio contra Ius divinum & SS. Canonũ, qui eandem sub gravissimis pœnis interdicunt. n. 1.

Secundò, violatores Immunitatis peccant contra justitiam, & tenentur ad restitutionem. 2.

Tertiò, incurrunt culpam sacrilegij. 3.

Hæ culpæ communiter afficiunt Immunitatis Eccles. violatores. ibid.

Ius Civile in quantum directè, imò & indirectè, aliquid statuit disponendo in præjudicium libertatis Ecclesiasticæ, illud est ipso Iure nullum, & irritum. In quantum autem favorem Clericorum concernit, & Privilegium continet id, quod à Iure Civili statutum est, nec SS. Canonibus adversatur, sed ab iisdem recipitur, etiam hodie vim habet in decidendo. Ratio decisionis, ibid. n. 4.

Prima pœna de Iure Civili ex constitut. Friderici Imperator. prodita est, quod omnia statuta, & consuetudines, quæ sunt contra Immunitatem Ecclesiast. ipso Iure sint irrita & cassa. 5.

Secunda, ut qui similia de novo attentare præsumunt, privati existant sua jurisdictione. 6.

Tertia, locus, ubi talia imposterum præsumpta fuerint, banno 1000. marcarum auri subjiciatur. 7.

Quarta, Consules, Rectores, & Consiliarij judicantes secundum ejusmodi statuta, & consuetudines, quæ sunt contra Immunitatem Ecclesiast. ipso Iure sunt infames. 8.

Quinta, post annum promulgatæ hujus Constitutionis, & consequenter hodie, omnes ejus prævaricatores omnibus suis bonis sunt privati, ita ut ab omnibus impune occupari possint. 9.

Sexta, Idem Imperator punit pœna tripli refundendi, & applicandi Ecclesijs & Ecclesiasticis, si quis eis collectas, vulgo Steyr/ *exactiones, angarias, & perangarias,* Robolt/ oder Scharwerck *imponere præsumpserit. 10.*

Septima, ut ejusmodi violatores Ecclesiarum praeter dictas poenas nihilominus banno Imperij subjaceant. 11.

Et hae quidem 7. poenae prodita sunt in allegata Constit. Authen. Cassa. C. de SS. Eccles. per Fridericum Imperatorem. eodem numero.

Secunda poena de Iure Civili, post septem illas à Friderico Imperatore in Authent. cassa. sancitas, constituta est in illos, qui in Ecclesias irruunt, ita, ut si sacra mysteria turbent, ac celebrari prohibeant, capite puniantur: quòd si sacra loca, ministros, cultum, vel Sacerdotes injuria affecerint. in exilium relegentur, aut fustigentur. 12.

Poena tertia de eodem Iure. Qui Episcopum invitum ad civilem vel militarem judicem duxerit, Index, si hoc jusserit. post cinguli privationem. 20. libras auri Ecclesiae, cui praesidet talis Episcopus, persolvere cogatur. Executor autem hujus jussionis privatus cingulo, aut in exilium deportabitur, aut verberibus subjicietur. 13.

Poena quarta. Iudex Laicus, qui ausus fuerit Monachum vel monialem ad se pro causa dicenda in suo tribunali citare, remotus ab administratione mulctabitur 10. *auri libris.* 14.

Poena quinta. Is qui praesumpserit personam Ecclesiasticam, sive in causa criminali, sive civili, trahere ad Iudicium saeculare, si actor fuerit, cadet Iure suo, nec judicatum tenebit, Iudex verò si id attentaverit, judicandi potestate privatus existet.

Quòd si vero quis Clericis, vel alijs personis Ecclesiasticis justitiam administrare noluerit, vel ijsdem petentibus negare praesumpserit, si id tertiò requisitus recuset, jurisdictionem suam amittit. 15.

Antequam poenas de Jure civili in violatores Immunitatis Ecclesiast. constitutas ordine tradamus, supponimus ex communi doctrina tam Theologorum, quam Canonistarum, ut videre est apud *Sylvestr. verbo Immunitas. Angelum. Tabienam.* & alios Summistas. *Leym. lib. 4. tract. 9. c. 9. Sayrum ad excommunicationes Bullae Coenae Domini. lib. 2. c. 9. c. 19. & c. 22. Filliut. tom. 1. tract. 16. c. 10. & 11. ad excom. 15. & 18. Reginald. lib. 9. c. 25. num. 371. Suarez. de Immunitate lib. 4. c. 33. Panormit. & Canonistas communiter in c. adversus. & c. non minùs. hoc tit. Barbos.*

ibidem

ibidem. & in c. noverit. de sent. excommunic. Geminianum eod. tit. de Immunit. & in tit. de censib. c. quanquam. Hujusmodi violationem Immmunitatis Ecclesiasticæ gravissimis censuris, atq; pœnis de Jure *SS. Canonum* subjacere.

1. Estque ea Primò ex se, & objecto suo mala, atque ex genere suo peccatum mortale. cùm immediatè sit contra jus divinum, & contra jus Canonicum, sub severissimis pænis hanc violationem prohibens.

2. Secundò, cùm *SS. Canones*, immò Jus divinum personas Ecclesiasticas, atque eorum bona eximat à jurisdictione, ac potestate Laicorum, ejus violatio erit etiam contra justitiam, cùm sit usurpatio jurisdictionis incompetentis, & non habitæ, ac consequenter coactio aliqua vel exactio sub titulo potestatis legitimæ, sine competenti jurisdictione, & potestate, trahetque secum necessariam obligationem restituendi ea, quæ ex defectu potestatis & jurisdictionis legitimæ exacta sunt, atque refusionem damnorum inde emergentium.

3. Tertiò adnexam habet culpam sacrilegij. tùm quia prohibitio illa intuitu Religionis & cultûs divini facta est. tum quia injuria illata, circa personas, & materiam sacram versatur. vide, quæ notat *Cajetanus in Summa. verbo. Sacrilegium. Azor. tom. 1. lib. 9. c. 27. q. 8. Barbos. cum citatis. in c. sicut in judicijs. de privileg. n. 11.* ubi allegati ab eodem tenent, etiam sacrilegium committi, licet violentia solùm circa bona, vel fundos Ecclesiæ, vel Clericorum contingat, Nam eatenus ex mente *Cajetani cit. loco.* Deo dicata dicuntur, ac intelliguntur, quatenus immunia, & libera ab omni vi, exactione, invasione, & rapinâ Sæcularium esse debeant. Atque hæ quidem culpæ violationi Ecclesiasticæ Immunitatis communiter insunt.

4. Quantum igitur ad pænas attinet, de quibus hic modò, in quantum illæ de jure proditæ sunt, agendum est. Sci-

endum restat, illas in duplici differentia esse. infliguntur enim aliquæ de jure civili, aliquæ de jure *SS. Canonum.* tametsi verò jura civilia, in quantum directè statuendo disponunt circa personas, res, vel actiones Ecclesiasticorum, ut ejusmodi dispositionum de jure civili factarum exempla passim sunt obvia in *Codice. titulo. de SS. Ecclesijs. de Episcopis. & Cler.* atque alibi hinc inde *in Novell.* nullius sint roboris atque invalida, neque hodie ullatenus observanda. per ea, quæ fusissimè notat *Felin. in c. Ecclesia sancta Maria. de Constitut.* Et *Barbos.* cum citatis ibidem. *Panormitan.* & alij; in quantum tamen favorabilia sunt Clericis, & privilegium continent, nec SS. Canonibus adversantur, sed ab ijsdem recipiuntur, atque canonizantur, etiam hodie vim habent in decidendo. atque hujus ratio est, quòd eò in casu non disponant de Clericis, alijsque personis Ecclesiasticis, tanquam sibi de jure subditis. Sed tanquam bene meritos, etsi extraneos, & extra suam jurisdictionem constitutos, ob Statûs sui dignitatem remunerant, & beneficio privilegij afficiunt. Privilegium enim etiam ei, qui subditus non est, concedi potest, ut suprà meminimus.

5. Loquendo igitur de pænis, quibus violatores Immunitatis Ecclesiasticæ secundum jus civile plectuntur, & quidem de magis præcipuis ac potioribus sermonem texendo Dicimus: primam esse, quæ vulgata, ac statuta dignoscitur in *Authentica. Cassa.* post legem. *privilegio C. de SS. Ecclesiis.* ubi Fridericus Imperator in favorem Libertatis Ecclesiasticæ primò omnia Statuta & consuetudines, quæ eidem adversantur, cassa, & irrita esse decernit.

6. Secundò si qui similia de cætero attentârint, ipso jure privati existunt sua jurisdictione.

7. Tertiò, locus, ubi talia præsumpta imposterum fuerint, banno. 1000. marcarum auri subjicitur, adeò quidem, ut

8. Quar-

8. Quartò, quicunque Consules, Rectores, consiliarij &c. secundum ejusmodi Statuta, quæ sunt contra libertatem Ecclesiasticam, judicaverint, ex tunc ipso jure reddantur infames. Et

8. Quintò post annum publicatæ hujus constitutionis ejusdem prævaricatores omnibus suis bonis privantur, ita, ut impune ab omnibus occupari possint.

10. Sextò. Idem Imperator punit pœna tripli refundendi & applicandi Ecclesijs, & Ecclesiasticis, si quis eis collectas, vulgo Steür / exactiones, angarias, vel perangarias, Roboldt oder Scharwerck. imponere præsumpserit. ita ut

11. Septimò nihilominus banno Imperij subjecti maneant. sicut fusiùs in eadem constitutione Friderici Imperatoris legere est, quæ habetur impressa post libros feudorum, in corpore Juris.

12. Secunda Pœna præter illas à Friderico Imper. constitutas statuitur in *Authenticâ. sed novo Iure. ad L. si quis in hoc. C. de Episc. & Cler.* contra eos, qui irruentes in Ecclesias Sacerdotibus, Ministris, vel ipsi divino cultui, vel loco injuriam inferunt, ea distinctione, ut si sacra mysteria turbaverint, vel celebrare prohibuerint, capite puniantur, aliàs verò injuriâ afficiens sacrum locum, cultum, ministros, vel Sacerdotes, relegetur in exilium, vel verberetur.

13. Pœna tertia statuitur in *Authenticâ. nullus. post. L. si qua. C. eodem titulo.* contra illos, qui Episcopum invitum ad civilem, vel militarem judicem duxerit, ita, ut Judex, qui hoc jusserit, post cinguli privationem, viginti libras auri Ecclesiæ, cui præsidet talis Episcopus, persolvere cogatur. Executor verò huius jussionis privatus cingulo, aut in exilium deportetur, aut verberibus subjiciatur.

14. Quarta pœna legitur statuta in *Authentica. causa. post*

L. omnes.

L. omnes. C. eodem titulo. ubi Judex Laicus, qui Religiosum claustralem, vel Sanctimonialem, ad se citaverit, causam illius ventilaturus, ab administratione removetur, multandus. 10. auri libris.

15. Quinta desumitur ex *Authentica. statuimus. ante L. sacrosanctæ. C. eodem titulo.* ubi, qui Ecclesiasticam personam, sive in causâ criminali, sive civili, præsumpserit trahere ad judicium sæculare, si actor fuerit, jure suo cadit, nec judicatum tenet. judex verò id attentans judicandi potestate privatus existit. Quòd si verò quis Clericis, vel alijs personis Ecclesiasticis justitiam administrare noluerit, vel eandem petentibus negare præsumpserit, si tertiò requisitus id facere recuset, jurisdictionem suam amittit.

Atque hæ quidem potiores pœnæ sunt, quæ in violatores Immunitatis Ecclesiast. proditæ de jure civili dignoscuntur.

CAPUT V.

Pœnæ violantium Immunitatem de Jure Canonico.

SUMMARIUM.

De Iure Canonico præter peccatum mortale, quod violatores Immunitatis incurrunt, plerumq; in casibus excommunicationi subjiciuntur tam de Iure SS. Canonum scripto per citata capitula, quàm vi Bullæ Cænæ Domini; excommunicationibus ibidem allegatis. n. 1.

Hoc procedit, sive directè, sive indirectè adversentur Immunitati, impediendo, ne causæ Ecclesiasticorum in suo foro examinentur. n. 2.

De Iure scripto excommunicati sunt citatis cc. quotquot statuta, vel leges condunt, & secundum illas judi-

siasticam pugnare. 19. 20. 21. 22. 23. *Ratio quantùm ad prædicta allegatur.* 24.

PRærogativam Immunitatis Ecclesiasticæ proximè post jus divinum *à Iure SS. Canonum* profectam esse, indubium est. hinc tametsi de Jure quoque civili eidem à pijs legislatoribus, ut vidimus, aliqualiter cautum fuerit, pænisque in violatores ejusdem animadversum, SS. tamen Canones singulari curâ eam sartam tectam conservare laboraverunt, pœnis à se principaliter in pervivaces ejusdem immunitatis violatores acribus constitutis.

1. Certùm igitur primò est; præter peccatum mortale, quod incurrunt ejusmodi violatores, aliasque pænas de quibus supra. *c.* 4. *n.* 2. *&* 3. in plerisque casibus excommunicatos esse tam excommunicatione de Jure *SS. Canonum* scripto lata. per *c. quoniam. hoc tit. de Immunit. in 6. & c. noverit, de sent. excomm.* quam bullari. illâ scilicet, quæ fertur in Bullâ Cænæ Domini, & est excommunicatio *decima quarta, decima quinta, decima sexta, decima septima, & decima nona*, reservatæ Summo Pontifici, à quibus præter articulum mortis nemo absolvere potest.

2. Dixi primò in plerisque casibus. sive enim directè, sive indirectè aliquis personas Ecclesiasticas impediat, ne illarum causæ, sive actio civilis, sive criminalis, realis vel personalis sit, quibuscunque etiam alijs casibus de jure *SS. Canon.* non exceptis, illas excommunicationes incurrit. neque distinguimus, num causæ illæ jure ordinario, vel solùm delegato ad forum Ecclesiasticum pertineant. Dicimus enim indistinctim, omnibus istis casibus & causis, eum, qui quomodocunq; etiam impedit, ne apud judicem competentem causa definiatur, ipso jure excommunicatum esse.

3. Di-

3. Dixi ſecundò. eos excommunicatos eſſe de Jure SS. Canonum ſcripto. indubitatum enim eſt, per textus allegatos *citt. cc.* omnes eſſe excommunicatos, quotquot Statuta, vel leges etiam municipales condunt, ſecundum illas judicant, vel judicare faciunt in quibuscunque cauſis ad forum Eccleſiaſticum pertinentibus. neque intereſt tametſi prædictum Laicale judicium princeps ſæcularis per perſonas Eccleſiaſticas exerceat. non minùs enim ejusmodi princeps, & perſonæ Eccleſiaſticæ excommunicatæ ſunt. eô ipsô quòd nomine & authoritate Laici principis contra privilegiatos immunitate Eccleſiaſticâ, ut ſupponitur, eam poteſtatem & judiciùm exerceant, ſicut non neſcio uno vel altero loco id taliter malè practicari. cùm enim ejusmodi perſonæ Eccleſiaſticæ nomine, & vi jurisdictionis Laicæ (ſicut aliam non habent principes Sæculares) ab ijs conſtitutæ in Clericos aliosque exemptos aliâ non utantur, nec de facto uti poſſint jurisdictione, quàm illâ, quam accepère à præfatis ſæcularibus principibus, illa autem jurisdictio merè Laica, & profana ſit, quis non videt contra prohibitionem SS. Canonum hoc caſu perſonas Eccleſiaſticas, tametſi Clerici Aſſeſſores exercitium judicandi habeant, ad forum Laicale trahi? tale enim forum eſt, qualis jurisdictio, quæ in foro exercetur. per ea, quæ notantur *in c. forus. de verb. ſignif.*

4. Dixi tertiò. quàm bullari. quibus verbis maximè intelligendæ veniunt allegatæ excommunicationes in ordine bullæ. nimirum *decima quarta, decima quinta, decima ſexta, & decima nona*. ſed nunquid excuſantur ejusmodi ſæculares prædictis caſibus Immunitatem Eccleſiaſticam violantes ex eo, quod aſſerant: prædictam *Cœnæ Domini Bullam* in iſtis partibus non eſſe receptam? Reſpondeo improbabilem, imo falſam eſſe illorum opinionem, qui aſſerunt, quòd excuſari

principes posse videantur ab incurrendis ejusmodi censuris, eò quod excommunicationes, quæ in Bulla Cænæ Domini continentur, non sint receptæ. Et ratio est, tum, quia violatores immunitatis Ecclesiasticæ peccant contra jus divinum, quo immunes esse Clericos à jurisdictione Laicorum, suprà fusè probavimus, consequenter locum non habebit exceptio, cùm juri divino omnes stare teneantur, omnesque indifferenter obliget. absque eo, ut ipsis liberum sit, recipere, vel non recipere, quæ de jure divino statuta sunt. tum, quia, ut rectè notat *Fillincius* ubi suprà *tom.* 1. *tract.* 16. *c.* 10. *n.* 258. hæc bulla legis Ecclesiasticæ naturam habet, quam recipere vel non recipere non est penes liberam voluntatem subditorum, sed, si videtur in certa regione non admodum moribus hominum quadrare, illud supremo legislatori, Romano scilicet Pontifici, significandum est pro consensu. & ratio est, quia Pontifex suam potestatem legislativam non habet ex delatione populi Romani, sicut sentiunt Doctores de potestate Imperatoris Rom. sed habet eam immediatè à Deo. hoc non videtur negandum, quòd, si aliqua constitutio Ecclesiastica ab initio recepta non est, tametsi non sine peccato prævaricationis Ecclesiasticæ legis, & consequenter neque moribus utentiū approbata successu temporis, qui non servat ejusmodi, constitutionem Ecclesiasticam, non videtur peccare. non præcisè quia ab initio recepta non est, sed quia lapsu temporis in usu illius loci esse desijt. sed longè aliud est, quantum ad Bullam Cænæ Domini, quam sufficit Romæ promulgatam esse, ad hoc, ut omnes, sive nolentes sive volentes obliget. per ea, quæ notat *Abb. cit. c. noverit. de sent. excomm. & Navarr. consil.* 11. *de constit.* atque maximè ob eam rationem, quod præfata Bulla singulis annis in die Cænæ Domini promulgetur, consequenter omnes Christi fideles, ubicunque locorum fuerint,

modo

modo ignorantiâ probabili non excuſentur, obligabit. Neque quantum ad Bullarem conſtitutionem locum habet, quod paulò ſuperiùs de lege Eccleſiaſtica ab initio non recepta, atque lapſu temporis deſinente in uſu hominum eſſe, diximus. eo ipſo, quod ea ſingulis annis de novo promulgetur, omnes omnino viventes Chriſti fideles obligatura. Et quidem in ſpecie vibrentur contentæ in Bulla excommunicationes in ipſius transgreſſores. atque hoc eo rigore, ut neque etiam antiquiſſimæ conſuetudines in contrarium introductæ, vel introducendæ, prævaricatores excuſent. neque etiam tolerantia & ſcientia Summi Pontificis, bullam ſuam, non obſervari, cauſam & titulum præſtet, ob quem ſe de reatu & transgreſſione tueri poſſint. ſicut bene advertit ibidem *Filliuc. n. 255. & ſequenti.*

5. Dixi quartò. ſive indirectè, & per quandam reſultantiam lædatur immunitas. ut communiter exemplificant Doctores in eo caſu, quo princeps Sæcularis ſtatuit: ne immobilia vendantur exteris, ſive alijs, quàm qui de ſua jurisdictione ſunt. tunc enim ſaltem indirectè perſonæ Eccleſiaſticæ hoc ſtatuto gravantur, cùm ab emendo immobilia excludantur, eo ipſo, quòd exemptæ ſint à jurisdictione ejusmodi principis Sæcularis.

6. Et dicimus velut in compendio: omnia ea ſtatuta, leges, conſtitutiones, conſuetudines, opiniones, & ſententias contra libertatem Eccleſiaſticam eſſe, quæ in genere vel in ſpecie tollunt, lædunt, vel reſtringunt privilegia generalia à Deo, Papâ, vel Imperatore, Eccleſiæ, Eccleſiaſticisque perſonis conceſſa, tam in ſpiritualibus, quàm temporalibus. ſicut non minùs in genere huc referuntur ea, quæ à Sæcularibus auferuntur Eccleſijs, vel perſonis Eccleſiaſticis competentia ipſis ſecundum libertatem naturalem, ſive, quod idem eſt, quæ

ipsis communia sunt cum sæcularibus, de jure divino, vel humano. ut emere, vendere, mutuare, &c. Et Tertiò si ea, quæ nullo jure divino, vel humano personis Ecclesiasticis prohibita sunt, Laici facere impediant. Immò quoties aliquid fit, quo Ecclesiastici timidiores, aut conditione deteriores, sæculares verò audaciores, honoratiores, vel conditione meliores redduntur. sicut est exempli gratia statutum, quo punitur percutiens Clericum, in decem aureos, percutiens autem hominem Laicum, in viginti. Item, cùm vi statuti contribuendum est indifferenter à Clericis ac Laicis, & Clerici servata propositione plus conferre debent Principi terræ, quàm Laici: vel proles (filius aut filia) in testamento patris eo ipso quo ad capiendam hæreditatis portionem deterioris conditionis est, quia Ecclesiasticum statum elegit, quàm is, qui in sæculo remansit. De quibus vide pluribus *Filliucium citato superiùs loco. n. 270.* & aliqualiter Felin. *allegato c. noverit de sent. Excomm.*

7. Dixi quintò. sive in actione criminali, sive civili impediantur coram suo Judice Ecclesiastico litigare. Sicut expressa excommunicatio constituta est in *Bulla Cœnæ Domini*, atque ea in ordine *Decima quinta* contra violatores Immunitatis Ecclesiast. trahentes Clericos in actione civili ad forum Laicum, & *Decima nona* in eadem Bulla, contra eos, qui personas Ecclesiasticas in causis criminalibus ad forum sæculare trahunt.

8. Dixi sextò. sive id fiat Jure ordinario, sive delegato. Sunt enim taliter gravantes Clericos in præfata Bulla utroque casu excommunicati excommunicatione *decima quarta* & *decima quinta* in ordine.

9. Dixi ultimò. excommunicationi ipso facto subjectos esse, qui quoquo modo Ecclesiasticas personas trahere ad forum Laicum moliuntur. ad quæ verba nota. non intelligi per verbum trahere: solam tractionem physicam & rea-

& realem, sed quamcunque etiam citationem authoritativè à Laico Magistratu factam, aliósve actus contra Clericos judicialiter expeditos, vel authoritate Judicis expediendos. per ea, quæ notat *Filliucius sæpe cit. tract.* 16. *c.* 10. *num* 160.

10. Secunda pœna excommunicationis, tam de Jure *SS. Canonum* scripto *in c. non minùs. c. adversus. hoc tit. & c. quanquam. de censib. in* 6. quàm Bullæ Cænæ Domini in ordine *decima octava*, lata est in violatores Immunitatis Ecclesiast. eo in casu, quo quotiescunque Ecclesijs, vel Personis Ecclesiasticis imponunt collectas, talias, steuras, angarias, perangarias, aliasque similes contributiones, vel onera. huc referuntur etiam pedagia, quidagia, gabellæ, portoria, vectigalia, & similia. utitur enim Pontifex: in dicta Bulla, excommunicatione *decima octavâ* his formalibus verbis: Et alia onera: atque ita tenet etiam *Sylvester.* verbo. *excommunicatio.* 9. *excommunicatione.* 21. *Suarez. de censur. disput.* 21. *sect.* 2. verbo. *Excommunicatio. decima octava. n.* 99. *& disput.* 23. *sect.* 4. *n.* 23. *Sayrus. in suo Thesauro. lib.* 3. *c.* 22 *Filliuc. ubi supra. c.* 11.

11. Adverte hîc ex eodem *Suarez. cit. disput* 21. *sect.* 2. *Excommunic.* 18. Successores eorum, qui hujusmodi onera Ecclesiasticis imposuere, eâdem censurâ stringi, si vi indictæ talis exactionis, vel constitutionis aliquid in futurum exigant. immò tametsi de novo nihil exigant, modò vi exactionis antecedenter factæ oblata accipiant, Quòd si Successor neque exigat, neque vi exactionis priùs impositæ oblata accipiat, pro exactione tamen oblatorum antè intra mensem non satisfecerit ex ijs, quæ ad eum pervenerunt, si modò ea haberi & restitui possint, nihilominus excommunicationi subjacebit usque ad satisfactionem. Etsi hæc excommunicatio Bullaris non sit, sed lata *in c. non minùs. & c. adversus. hoc titulo,*

Ita

Ita *Suarez. ubi suprà. n.* 101. Et vide *Filliuc.* ad eandem excommunicationem *decimam octavam*, ubi satis distinctè explicat, quid sint præstantiæ, gabellæ, & alia onera à Laicis contra Immunitatem Ecclesiasticam imponi solita.

12. Tertia pœna Excommunicationis fertur in eos, qui tanquam Domini territoriales reditus, seu fructus ad Personas Ecclesiasticas ratione Ecclesiarum, Monasteriorum, vel beneficiorum pertinentes usurpant, vel sequestrant absque Summi Pontificis expressâ licentiâ. Et est in Bulla Cœnæ Domini in Ordine *Excommunicatio decima septima*. Ad quam vide *Sayrum. ubi supra c. 21.* bene explicantem, requisita ad eandem incurrendam. & *Suarez. cit. loc. num 95.*

13. Quarta Pœna Excommunicationis de Jure SS. Canonum scripto publicata legitur, in *c. noverit. de sent. Excommun*, in omnes eos, qui statuta, vel consuetudines contra Ecclesiæ libertatem introductas observari præcipiunt; vel secundum eas judicant. & est Excommunicatio latæ sententiæ, vibraturque eadem in *Bulla Cœna Domini*, & est in ordine *decima quinta.* ibi: qui statuta, ordinationes &c. & vide etiam *Suarez. ad eandem. ubi suprà. sect. 2. n. 79.*

14. Quinta Pœna Excommunicationis fulminatur in eâdem Bullâ, & quidem in ordine *decima sexta*, in eos, qui contra sententias latas à judicibus Ecclesiasticis recurrunt ad curias, & Magistratus Sæculares, pro impetrandis inhibitionibus, & mandatis contra prælatos Ecclesiasticos. Unde intelligis, quid ponderis habeant ea, quæ integro libro *Salgado* Hispanus *de protectione regia* disputavit.

15. Sexta excommunicationis pœna ipso Jure statuta est in eos, qui interdicunt subditis suis, ne Ecclesiasticis Personis aliquid vendant, vel ab eis emant, néve eis molant, aut alia obsequia exhibeant. & habetur in *c. finali. hoc tit, in 6.*

16. Septima

16. Septima pœna excommunicationis ipso Jure incurrendæ fertur in Bulla Gregorij XIV. de quâ superiùs, in eos Judices, & Magistratus, qui Reum confugientem ad Ecclesiam inde extrahere præsumunt. Plures alias pœnas in sacrilegos Ecclesiarum violatores constitutas legere potes. *tota causâ. 17. q. 4.* quæ quia pleræque non videntur hodie admodum usu receptæ, & per te legere potes, supersedeo pluribus referre.

17. Cæterùm cùm plurimis alijs modis lædi Ecclesiastica Immunitas possit. Censeo: quoties in Jure pœna expressè constituta in ejusmodi Sacrilegos violatores non est, arbitrio judicis Ecclesiastici relinquendum esse, qualiter puniri debeant. per ea, quæ notat *Zerola in sua praxi. p. 1. verbo. pœna.*

Alios casus & modos magis Specificos, minus tamen frequentes, quibus violatur Immunitas Ecclesiastica. vide apud *Sylvest.* verbo. *Immunitas. Secundo. & tertio. Leyman. lib. 4. tract. 9. c. 9. Suarez. de cens. disput. 23. sect. 4. n. 2. n. 6. n. 16. & n. 48. Azor. tom. 1. lib. 5. c. 13. & 14.* satis fusè.

16. Hoc tamen te interim singulariter notare velim, quæ hucusque de violatione Ecclesiarum, & Ecclesiasticorum, ac pœnis de Jure statutis, plerumque à Laicis factâ, ac fieri solitâ diximus, à fortiori procedere, si ea violatio contingat à personis ipsismet Ecclesiasticis, quas cum non minùs stringat & obliget Jus divinum, & SS. Canones, intolerabile erit, si Ecclesiastici, in quorum favorem principaliter hæc Immunitas introducta est, ausu temerario violatores ejusdem Immunitatis extiterint.

19. Hinc bene notat *Sylvest. dicto loco. verbo. Immunitas 2. versiculo. Nono quæritur.* statutum illud contra Ecclesiasticam Immunitatem futurum, si Clerici vel Episcopus legem faciant, ne quis de sua Parochia vel Diœcesi Religiosos possit ad funus

vocare. nam Religiosos divinas Laudes circa funera peragere, tanquam Dei Ministros. & inde eleemosynam accipere, est Privilegium totius Cleri.

20. Idem censeo, stante præsertim paupertate notoriâ Clericorum, & abundantiâ redituum Episcopatûs. quales revera in Germania nostra passim largi & locupletes sunt, in casu, quo Episcopus ejusmodi, sine prævio consensu Summi Pontificis singulis annis charitativum subsidium exigeret, vel certam partem fructuum, decimarum, obventionum solvendam imponeret, præter id, quod Jure constitutum est. Et pro hoc optimus textus est *in c quia cognovimus*. 10.*q*.3.ubi *Concilium Toletanum tertium*. *c*. 20. ita loquitur: Quia cognovimus, Episcopos per parochias suas non sacerdotaliter, sed crudeliter desævire, & dum scriptum sit: forma estote gregi, neque ut dominantes in Clero &c. exactiones diœcesi suæ vel damna infligant, ideo censemus (excepto quod veterum constitutiones à parochijs habere jubent Episcopos) ut alia, quæ illis hucusque præsumpta sunt, denegentur, hoc est, neque in angarijs presbyteri, aut Diaconi; neque in aliquibus fatigentur indictionibus, ne videantur in Ecclesia exactores potiùs, quam Dei Pontifices nominari. Hi verò Clerici tam locales, quàm diœcesani, qui se ab Episcopo gravari cognoverint, querelas suas ad Metropolitanum deferre non differant, &

Metro-

Metropolitanus non moretur ejusmodi præsumptiones coërcere. Hucusque verba *Concilij*.

21. Idem dicendum videtur, si pro potestate ab hæresi, vel à casibus reservatis, & similibus licentijs vel gratijs precium aliquod exigeret, cum hoc nullo Jure permissum sit, & vitio Simoniæ proximum videatur.

22. Quantum ad id, quod de charitativo subsidio diximus, vide *Azorium. tom.* 2. *lib.* 9. *c.* 14. satis fusè.

23. Quantum verò ad id, quod recipitur vel petitur in dicta expeditione gratiarum. *Barbos. ad Trident. sess.* 21. *de Reform. c. 1.* & Declarationem ad *ad Trident.* ibidem, per quam consuetudo in contrarium introducta reprobatur. *Et Suarez. tom.* 1. *de Religione. in tit. de Simonia. lib.* 4. *c.* 48. & sequent. ubi: *c.* 48. *a. n.* 5. benè examinat, quænam consuetudo prava sit quo ad ejusmodi receptionem munerum, deciditque eam toties reprobandam, quoties Simoniacæ labis vel sordidæ avaritiæ habet suspicionem. Sicut etiam quo ad hoc expressus *textus est in eodem Concil. Trident. sess.* 24. *c.* 14. *de Reform.* quem præter Doctores *in c.* 1. *& penult. de censib. in* 6. *c. statutum.* §. *insuper. de rescript. eodem lib.* 6. omnino vide.

24. Et ratio est, quia, cùm Clerici Immunes sint ab omnibus oneribus de Jure divino & humano, sanè neque à Laicis, neque à personis Ecclesiasticis contra hanc exemptionem gravari poterunt, nisi in quantum de Jure *SS. Canonum* in certis casibus aliud definitum est.

Disputatio VI.

DE SEX CAUSIS, QUIBUS VIOLATORES IMMUNITATIS SE FREQUENTIUS AB EJUSDEM LÆSIONE EXCUSARE NITUNTUR.

SUMMARIUM.

Passim admodum licenter, & sine scrupulo violatur Immunitas Ecclesiastica ab omnis generis, & conditionis hominibus. n. 1.

Solent temerarij hi Violatores plerumq; causas aliquas praetexere, quibus putant se muniri, ut licitè veniant contra Immunitatem. n. 2.

Sex plerumq;, & à potiori, causa sunt, quas hinc inde praetendunt ad colorandas suas transgressiones. 3.

Recensentur ea, n. 4.

I.

EXpediti igitur cum bono Deo de totâ hâc fusâ, & amplâ Ecclesiasticæ Immunitatis materiâ, quantum satis videbatur, cum passim interim incomperto sit, quam licenter, & sine scrupulo ea ab omnis generis, & conditionis hominibus violetur.

2. E re & conscientiâ multorum futurum mihi visum est, cum *Suarezio* causas excusationum, quibus honestare hujusmodi transgressiones plerique nituntur, pertexere, & examinare, atque saluti animarum, de quâ non vulgariè plures hujusmodi periclitantur, quantum possumus, consulere.

8. Sex

3. Sex autem apud *Suarezium in cit. sæpiùs tractatu de Immunit. Eccles. lib.* 4. *c.* 34 invenio passim usitatas Excusationum larvas, quibus ceu quidam personati, Cleromastyges in libertatem Ecclesiasticam grassantur.

4. Videlicet ignorantia, necessitas, consuetudo, concordia, vel partum Privilegium, & denique justa defensio, quas ordine expediemus.

CAPUT PRIMUM.

De ignorantia, prima se excusantium causa.

SUMMARIUM.

Ignorantia non est modus fundandæ Iurisdictionis. n. 1.

Alia est Iuris, alia facti, cum subdivisione ignorantiæ Iuris. n 2. *&* 3.

Etiam ignorantia facti subdividi potest. 4. *&* 5.

In dubio fori externi recurrendum est ad probationes, & præsumptiones. 6.

Exempla, ibidem.

Ignorantia Iuris liquidi & indubitati per se in nullo foro excusat. maxime quantùm ad principes, consiliarios, Iudices & similes personas. 7.

Quantùm absolute in foro interno operetur ignorantia. vid. remissivè citatos. 8.

In casu ignorantiæ juris dubij, statur Regulis generalibus de opinionum delectu 9.

Quando in tali dubio quis teneatur sequi sententiam magis probabilem? eodem n.

Applicatur tradita à DD doctrina ad præsentem Immunitatis casum. eodem n.

Ignorantia facti alieni, sive sit materia, sive persona, regulariter excusat à pœnâ & culpâ. 10.

Ex hucusque dictis manifestum videtur, nec à Culpâ nec à pœnâ excusari Principes, Magistratus, vel Iudices, qui condunt statuta contra Immunitatem Ecclesiast. vel secundum ea judicant: cum nullum probabilem ignorantiam prætendere possint. 11.

1.

QUantum itaque ad ignorantiam, quatenus violatorem Immunitatis à culpa excusare possit, cùm certum sit, modum non esse fundandæ Jurisdictionis, Dicimus: communiter duplicem ignorantiam assignari tam à Theologis, quam jurisperitis. unam Juris, alteram facti.

2. Et Juris quidem ignorantiam subdividimus in illam, quæ juris indubitati est, & liquidi, & se habet tantummodò ex parte personæ nescientis, aliquid ita Juris esse. ut: confugientem ad Ecclesiam in casibus non exceptis, sine læsione immunitatis Ecclesiasticæ extrahi non posse.

3. Et illam, quæ se habet, & est juris controversi, & dubij, apud ipsos etiam Doctores & Jurisperitos. ut: an hæc vel illa actio sit hic & nunc contra Immunitatem Ecclesiasticam. v. g. an reconvenire Laicus Clericum contra se coram judice sæculari agentem possit. Variæ enim sunt circa hoc opiniones, ut *supra disput. 2. c. 4. vidimus.*

4. Ignorantia facti non incommodè dividi quoque potest in eam, quæ est ex ignoratione personæ, circa quam actio versatur. ut: Laicus capiens Clericum arbitratus eum esse Laicum.

5. Et eam quæ est ex ignoratione materiæ, quæ oritur ex defectu cognitionis ipsius materiæ, de quâ tractatur. an scilicet sit Ecclesiastica. v. g, vel Sæcularis,

6. Et nota, in dubio fori externi, recurrendum esse ad probationes & indicia præsumptionum. an nimirum verisimiliter judicandum sit, hic & nunc aliquem invincibiliter ignorâsse, personam, quam v. g. percussit, Ecclesiasticam fuisse. materiam in quam se Magistratus sæcularis intromisit, nescîsse ad suum forum non pertinere. de quibus *toto titulo. de præsumptionibus, & probationibus* agitur. Et videndus est quo ad

hoc

hoc Mascardus, cum Menochio, qui fusè hanc præsumptionum, & probationum materiam tractant. vide etiam Interpretes ad *c. si judex. de sent. excomm. in* 6. & quæ ibi notant.

7. Dico igitur, his ita suppositis, ignorantiam Juris liquidi & indubitati per se nullo foro ignorantem excusare, præsertim in principibus, consiliarijs, judicibus, & similibus personis. tenentur enim vi sui muneris, & officij, jus intelligere. neque sunt de personis exceptis, in quas juris ignorantia probabilis cadit, ut tamen sunt mulier, Monachus, minorennis, miles, rusticus, saltem in casibus jure expressis, & ubi peritiores consulere non potuerunt. per ea, quæ notantur *in L. finali. C. de jur. & facti ignor. & tradit VVesenbec. in paratitlis. ad ff. & C. eodem tit.* adeò, ut regulariter neque à pœna excusentur. ut ibidem *tradit VVesenbec.* maximè, si factum tendat in alterius injuriam.

8. Quantum ad forum internum, quid & quantum operetur ignorantia, tam quoad excusationem à culpa, quàm à pœna vide brevitatis causâ eundem *Suarez in materia. de legib. lib. 5. c. 12. Leyman. tract. 2. c. 4. lib. 1 & tract. 4. c. 20.* quibus locis satis fusè ista pertractant.

9. Quòd si ignorantia Juris dubij sit, standum erit Regulis generalibus de opinionum delectu, de quibus agit *aliquot folijs Azor. tom. 1. lib. 3. c. 18. Sayrus. in clavi regiâ. lib. 1. c. 6. Bonac. in tract. de legibus. disp. 2. q. 4. punct. 9. & de Missæ sacrific. disp. 4. q. ultim. punct. 7. §. 2.* ubi breviter ex communiori Theologorum sententia ita quæstionem resolvit: ut tunc in conscientia aliquis non possit sequi stante dubiâ opinione sententiam probabilem, dimissâ probabiliori, sed teneatur probabiliorem amplecti, quotiescunque subest periculum faciendi injuriam proximo, vel quando aliud postulat prudentia, justitia, & charitas, & vel maximè, cùm favor Religionis contrsame-

trover-

troveртitur, ut in proposito, adeoque sententia illa consequenter præferenda sit, quæ in favorem & ampliationem Religionis inclinat, illi sententiæ, quæ eundem Religionis favorem, & in proposito Immunitatem Ecclesiasticam restringit. Sicut bene advertit *Suarez ubi supra*. præsertim, cum certum sit, Ecclesiasticas personas saltem secundum Theses suas generales de Jure divino Immunes esse à Jurisdictione Laicorum, etsi de hoc in certis casibus particularibus, & à Jure non definitis dubitetur inter Doctores, consequenter cum in genere & absolutè loquendo, certum sit Clericos exemptos esse à potestate Sæcularium, quoties in casu particulari dubium erit, præsumetur pro Immunitate, & exemptione Ecclesiasticorum, quod bene notandum est. & ita in terminis tenet etiam *Diana. resolut. p.* 1 *de Immun. Eccles. tract* 2. *resolut. 66. per textum in c. fin. de sent. & re Iudic.* ubi in dubio sententiam ferendam esse pro causa favorabili deciditur. causa autem favorabilis est hæc Immunitas, & Religio Personarum Ecclesiasticarum. *L. sunt personæ. ff. de Religios. & sumptib. fun.* & ita docet etiam *Felin. c.* 1. *de constit. n.* 104. *Ieson. in L. filius fam.* §. *dixi. ff. de Legatis.* 1 *Decianus lib.* 3. *cons.* 80. *num.* 22. & alij allegati apud *eundem Dianam*. vide etiam quæ supra *disput.* 3. *c.* 6. diximus de delectu opinionis magis probabilis in concursu opinionum minus probabilium.

10. Quantum ad ignorantiam facti, sive personæ, sive materiæ attinet, si sit ignorantia facti alieni, regulariter excusat tam à culpa, quam à pœna, modò sufficienter probata sit; & præsumptio non militet contra illum, qui ignorantiam prætendit. per *L.* 2. *ff de Iur. & fact. ignor. & L. fin. ff. pro suo.* & quæ notat *Leyman.* ubi supra. in ordine ad forum conscientiæ

11. Unde colligis ex dictis, quomodo neque in foro conscientiæ, per se loquendo, neque in foro externo, tam à culpà,

pa, quam à pœna excusabiles sint Principes, Magistratus, Judices, qui vel statuta contra Immunitatem Ecclesiasticam condunt, vel secundum ea judicant, tametsi prætendant, se ignorâsse, illud prohibitum esse, atque aliud de Jure. SS. Canonum constitutum, cùm hæc ignorantia Juris Pontificij communis, intolerabilis sit, & nihil excuset, maximè cùm hæc Immunitas sit, ut *disp. 3. c. 2.* probavimus, Juris divini.

CAPUT II.

De necessitate, secundâ se excusantium causâ.

SVMMARIVM.

Altera excusatio violatæ Immunitatis sumitur ex causa necessitatis, quæ dicitur legibus non subesse. n. 1.

Allegatur ibidem exemplum impositæ v.g tempore necessitatis steuræ, quo ad personas Ecclesiasticas. eodem n. 1.

Eandem pro se militare necessitatis causam putant in casu, quo officium suum facere negligit Iudex Ecclesiasticus. n. 2.

Rejicitur prætensa causa ficta necessitatis, & allegatur fundamentalis ratio. 3.

In quo casu necessitatis possit Princeps Laicus in conscientiâ tutus esse, si collectam imponat Clericis, irrequisitis locorum Ordinarÿs, vel Summo Pontifice? 4.

Quomodo debeat esse qualificata dicta necessitas? n. 5.

Limitatio notanda, n. 6.

Respondetur ad alterum membrum prætensæ necessitatis ex capite negligentiæ à Prælatis & judicibus Ecclesiasticis commissæ. n. 7. & 8.

Sola necessitas non tribuit Iurisdictionem. 9.

Exemplo res elucidatur. 10.

Glossa, & c. in contrarium allegata explicantur, vel hodie correcta esse ostenduntur ex textu. c. qualiter & quando. cit. 11.

 1. Altera

1.

ALtera excusatio, quam communiter prætendunt Immunitatis Ecclesiasticæ violatores, sumitur ex capite Necessitatis, quæ cùm dicatur: legem non habere, vel legibus non subesse, consequenter Clericos non defendet, quo minus tempore necessitatis ad tributa. v. g. aliaque onera subeunda cogi possint. contingit enim non raro, ut tantus sit defectus pecuniarum in ærario Principis, ut nisi præter Laicos, Clerici quoque contribuant, scribi sufficiens miles ad resistendum hostibus Religionis, non possit, aliaque onera Reipublicæ sufferri. ubi rectè æquitas naturalis, & ratio dictare videtur, ut non obstante concessâ aliàs Clericis Immunitate à contributionibus, stante communi necessitate teneantur ad communia onera, adeoque cesset tunc per Epyichiam obligatio, vel potiùs exemptio *SS. Canonum*, quâ Clerici, aliæque personæ Ecclesiasticæ immunes sunt à collectis Nam tametsi Immunitatem Clericorum secundum theses quasdam generales ex communi sententia Juris divini esse dixerimus, certum tamen videri potest, applicationem, & determinationem casuum particularium, saltem quoad modum, Juris solùm humani, sive Pontificij esse, & consequenter in casu aliquo particulari per Epyichiam cessare posse.

2. Idem communiter tenent, qui se hac necessitate excusando tuentur, per dictas modo rationes, in casu negligentiæ intervenientis ex parte Judicis Ecclesiastici, quatenus scilicet tunc ipsa necessitas, & ratio naturalis dictare videatur, ut Judex sæcularis se cognoscendo intromittere, quo ad causas Ecclesiasticas & Clericorum possit, cum ob negligentiam Judicum Ecclesiasticorum, Clerici vel Laici tunc Jus & Justitiam aliter consequi non posse videantur. Et pro hac sententia communiter allegant *Glossam in c. filijs, vel nepotibus.* 16. q. 7.

3. Sed

2, Sed Respondeo: non obstantibus his prætensæ necessitatis rationibus, nihilominus Clericos à Laicis collectari, vel ad contributiones compelli, aut causas eorum ad forum suum trahere non posse. Ratio fundamentalis est, quia licet necessitas, & eandem consequens Epyichia dictet, Clericos hic & nunc non gaudere hac Immunitate, vel exemptione, ne contribuant, nullatenus tamen dictat, quòd, etsi contribuere teneantur, ad contribuendum per Laicos compelli possint. Duo enim privilegia habet Clericus in hoc passu. Primò. ut immunis sit à contributionibus pro bono Reipublicæ faciendis, quotiescunque suppetunt Laicorum facultates. Secundò. ut nonnisi jurisdictioni, & potestati legislativæ & coactivæ Ecclesiasticorum judicum, & personarum subsit, quæ cùm valde diversa, & in se separata sint privilegia, ad cessationem unius in casu aliquo particulari, nullo modo dicendum est, cessare alterum, ad cujus cessationem nulla ratio, vel æquitas naturalis impellit

4. Hoc fatemur, si tanta quoque aliquando necessitas ingrueret, ut res moram non pateretur ullam, consequenter Summus Pontifex, & Ordinarij locorum desuper consuli non possent, quatenus deliberent, an hîc & nunc & qualiter Clerici teneantur ad contribuendum, & quomodo pro ratâ suorum redituum ea ordinari, ac exigi per ministros Ecclesiasticos ab ipsis constituendos debeant, fatemur inquam, tunc stante tantâ necessitate mox, secundum dictamen tamen rectæ rationis, & illibatæ conscientiæ, Laicum principem personas Ecclesiasticas collectare posse, & ad contribuendum effectivè compellere, non quidem, quod bene notandum est, per modum jurisdictionis, quam ejusmodi necessitas nunquam tribuit, sed per modum justæ defensio-

nis, de quâ in *capitulo finali hujus disputationis* fusiùs differemus.

5. Notoria autem debet esse necessitas, & quæ sit omnis moræ impatiens, ac non tantùm ficta, & simulata, atque paucorum aliquorum consulentium judicio æstimata. ut contingere potest, si subitò hæretici provinciam armis & milite lacessant, si urbem ex improviso hostes obsideant. &c. Et propterea stante tantâ necessitate, neque Ecclesiasticas personas Pontifex à custodiâ murorum immunes esse vult, etsi sine dubio regulariter exempti sint ab ejusmodi oneribus, ut videre est per *textum c. 2. hoc tit. de Immunit. Eccles.*

6. Immò existimo, tametsi dicta talis subita necessitas ab initio improvisa sit, & moræ impatiens, ex post facto autem tractum successivum habeat, ut interim pro futuro Romanus Pontifex consuli possit, sicut contingit in bello subitò quidem exortô, diu tamen durante, omnino Papam pro secuturis quot annis contributionibus adiri, ac consuli debere, pro naturâ enim & qualitate necessitatis instantis temperari debet justa illa defensio Laicorum, qua personas Ecclesiasticas ad contributiones, & onera, à quibus regulariter immunes sunt, inconsultâ potestate Ecclesiasticâ, trahere per se Principes possunt.

7. Quantùm ad alterum membrum attinet, quatenus Laici ob negligentiam Prælatorum, & judicum Ecclesiasticorum ex eadem necessitate jus sibi quæsitum esse prætendunt, judicandi suo in foro causas Ecclesiasticas. Respondemus primò cum *Suarezio dicto loco. de Immunit. c. 13. & c. 34. n. 7.* ob negligentiam judicum Ecclesiasticorum ipsis nullo jure competere, ut causas Ecclesiasticas ad suum forum trahere possint, cùm id manifeste repugnet SS. Canonibus *toto titulo. de supplenda negligentia Prælatorum.* & alibi passim.

8. Se-

8. Secundò. negamus unquam, saltem in locis & provincijs Catholicis tantam oriri posse necessitatem, ut necessariò ad sæcularem judicem recurratur in hujusmodi causis, cùm negligentia inferioris Prælati semper ab immediato superiore usque ad Summum Pontificem suppleri possit. Qui si & ipse negligens esse videatur, monendus per terræ principes erit, & cum debita submissione rogandus. Et quæso cur in casu negligentiæ administrandi justitiam in certo loco vel regno Rex, judex, vel magistratus alterius Regni, vel loci, ex eâdem causa negligentiæ non potest invadere, vel supplere jurisdictionem (quis enim hoc pateretur?) & instante negligentiâ Ecclesiasticorum, judex sæcularis toto foro, & specie jurisdictionis alienus invadere possit Ecclesiasticam? consequenter à potiori verum erit, ut, quamdiu datâ neglgentiâ unius Ecclesiastici judicis, alius vel proximus, vel remotior judex ejusdem in specie jurisdictionis adiri potest, judex sæcularis nunquam sine peccato mortali, ex læsione immunitatis Ecclesiasticæ ad se trahere causas Clericorum possit.

9. Ratio secundum *Suarez. dicto loco.* est. quòd sola necessitas non tribuat jurisdictionem, ergo in judice Sæculari etiam in casu necessitatis deficiet potestas cogendi, & judicandi Clericos.

10. Sicut, si quis fortè indigeat correctione & pœnâ, & desit ipsius superior, qui possit eum coercere, non potest alius privatus aliquis jurisdictionem in illum usurpare, sed ea tunc ad summum concessa ac licita erunt, quæ ad justam, & moderatam defensionem, ita dictante æquitate naturali fuerint necessaria, quia aliàs pax & justitia in humanâ societate conservari non possent. ita *Suarez. ubi suprà. n.* 8, Dixi saltem in provinciis & locis Catholicis, quia in locis hæreticis

& paganorum, ubi nulli sunt Prælati vel Judices Ecclesiastici; neque consuli Romanus Pontifex desuper commodè potest, tunc casus reduceretur ad terminos juris naturalis, vel juris gentium. Et ideò licebit tunc uti remedio quocunq; honesto, secundum rectam rationem. Vel convenietur Clericus coram judice Laico jure defensionis. quia tunc ille modus se defendendi suavior, & commodior, & dictamini rectæ rationis magis conformis est.

11. Ad Glossam, *& textum in c. filijs, vel nepotibus. 16. q. 7.* superiùs in contrarium allatos, Respondeo cum *Panormitan. in c. qualiter & quando. de judicijs. & Barbos. ibid. Azor. tom. 1. lib. 5. c. 14. q. 2.* illud quod ex opposito intenditur, non erui ex textu, & dato etiam, quòd illud ex textu convinceretur, id tamen capitulum correctum esse per *textum citati. c. qualiter. & quando.* ubi expresè deciditur, pro defectu justitiæ Clericos trahi à Laicis ad judicium sæculare non posse. etsi interim à contrario inconcessum non sit, ex capite negligentiæ sæcularium judicum, recurri pro justitia, etiam à Laicis, ad forum Ecclesiasticum posse. per expressum textum. *in c. licet. 1. c. ex tenore. c. ex transmissâ. de for. compet.*

CAPUT III.

De consuetudine, tertia se excusantium causa.

Tertia excusatio sumitur ab ijs, qui tam impunè violant Immunitatem, ex causâ contrariæ consuetudinis, & quidem Immemorialis, quâ putant se tutos in conscientia, quia vi hujus consuetudinis hoc faciunt sciente, & non contradicente Pontifice. n. 1.

Fundamenta illorum hæc sunt: primò, quia talis consuetudo æquivalet Privilegio. 2.

Secundò. talis consuetudo est saltem indicium

I.

TErtia Excusatio, quâ se communiter defendunt Immunitatis Ecclesiasticae violatores, desumitur ex capite praetensae consuetudinis Immemorialis, quâ audacter fulti, multos actus exercent, qui sunt contra praerogativam libertatis Ecclesiasticae, eò quòd, sciente maximè & non contradicente Romano Pontifice, ejusmodi actus, qui contra Clericorum & Ecclesiae Immunitatem sunt, exerceant, ac operentur.

2. Fun-

2. Fundamenta, quibus nituntur, ac se defendunt, potissimùm hæc sunt: Primò. quia consuetudo immemorialis æquivalet privilegio, ergo sicut vi privilegij potest aliquis venire contra immunitatem impunè, ita & vi consuetudinis Immemorialis.

2. Secundò. tametsi concederetur consuetudinem Immemorialem non æquivalere privilegio, saltem est indicium, & sufficiens probatio, præcessisse aliquod privilegium, virtute cujus consuetum, & usitatum fuerit, ab immemoriali tempore in certâ aliquâ provinciâ, vel regno, operari contra Immunitatem. præsumitur enim Immemorialis consuetudo honesta, & bona, eo ipsoquia non potest probari mala, consequenter originem suam sumpsisse, ac derivâsse ex præhabito aliquo privilegio à Sede Apostolicâ in proposito.

4. Tertiò. licet SS. Canones prohibeant consuetudinem contrariam immunitati: quia tamen illi tantummodò vim legis positivæ habent, non est ratio, cur per posteriorem consuetudinem abrogari ejusmodi Canones nequeant, cùm id fieri possit per subsequentem constitutionem Pontificiam. eandem enim vim habet quo ad derogationem Legis, vel Canonis, lex scripta, & lex non scripta: ut est communis sententia Doctorum.

5. Quartò. potest saltem per legem scriptam, vel privilegiũ Pontificium in certo aliquo casu ex aliquâ parte Immunitati Ecclesiasticæ derogari, ergo etiam per consuetudinem, saltem, si illa immemorialis fuerit. quia sicut ejusmodi derogatio per legem vel privilegium præsumitur prudenter facta, & esse rationabilis, ita etiam consuetudo immemorialis.

6. Ultimò. videmus passim invictissimum Imperatorem in suis provincijs hereditarijs, Christianissimum Regem Galliæ, Catholicum Regem Hispaniæ, Electores, aliosque Princi-

pes

pes Catholicos, vi ejusmodi consuetudinis non pauca facere, vel tolerare, quæ contra Immunitatem Ecclesiasticam sunt, quos sacrilegij incusare velle, vel excommunicatos esse, dicere, nimisdurum foret.

7. Respondeo itaque, præter ea, quæ suprà *disput.2. c. 9.* circa valorem consuetudinis Immemorialis in ordine ad jurisdictionem Laicis in Clericos vigore illius communicandam ac vindicandam diximus, neque generali, neque particulari consuetudine etiam immemoriali obtineri jurisdictionem à Laicis in Clericos ullam posse, atque nullatenus à censuris incurrendis atque peccato mortali prætextu illius excusari.

8, Ratio præter superiùs allegatâ *disput. 2. c.* 9. adducta, & probata. Primò, est, quod ejusmodi consuetudo à SS. Canonibus reprobata sit, eò, quòd in gravamen & perniciem Ecclesiasticæ libertatis redundet. Et propterea Honorius Papa excommunicat omnes in *c. noverit. de sent. excomm.* qui consuetudines introductas contra libertatem Ecclesiasticam servari faciunt. sicut idem constituitur *in c. Clerici. de judicijs. c. cùm terra. de elect. c. ad nostram. de consuet.* & quæ ibi notant *Interpretes.* Et expressus *textus est in Authent. Cassa. C. de SS. Ecclesijs.* ubi omnis consuetudo contra libertatem Ecclesiast. cassa, & irrita denunciatur. quam constitutionem tanquam in æternum valituram Honorium Pontificem confirmâsse, *Suarez. cit. loc. c. 32. n.* 3. affirmat.

9. Respondeo secundò. cum hæc Immunitas sit generale privilegium, personis Ecclesiasticis de jure divino, Ecclesiastico, & civili competens, inferior, qualis est Laicus, illud Clericis tollere non potest, & sibi, ob incapacitatem Juris spiritualis, vel illi connexi aquirere. Atque hoc dicimus procedere, sive dicatur derogari immunitati à consuetudine per modum abrogationis, quô quasi retractatur lex, vel ca-

non, sive per modum præscriptionis contra Legem, vel Canonem, aut jus ex illo quæsitum. neutrô enim modô prævalere consuetudo contra Immunitatem potest.

10. Ratio prioris est, quòd, quando derogatur legi, vel Canoni à consuetudine, per modum abrogationis, illa derogatio innitatur voluntati legislatoris, quam voluntatem, vel tacitè, vel expressè consentiendo consuetudini mutat, & ita legem suam, vel Canonem revocat. atqui tantùm abest, ut Pontifex tacitè, vel expressè consentiat ejusmodi consuetudini, ut eam potiùs irrationabilem esse pronunciet, corruptelam vocet, & abusum. sicut bene advertit *Suarez. dicto. lib. 4. c. 32. n. 12.* immò quotannis protestatur de contrariâ voluntate in promulgatione *Bullæ Cœnæ Domini*, teste eodem *Suarez* ibidem. *n.* 11. ergô hoc modô derogari immunitati à consuetudine per modum abrogationis non potest.

11. Ratio posterioris est, quatenus scilicet derogari immunitati à consuetudine per modum præscriptionis non possit, quia licet in hac derogatione per modum præscriptionis non requiratur consensus legislatoris tacitus vel expressus, sed illa consuetudo, quæ in genere fit per modum præscriptionis, fundetur potiùs in aliquo jure positivo, quo talis præscriptio concessa est, ut rectè notat *Suarez. ibidem, n. 6.* deest tamen in tali præscribere volente bona fides, necessaria ad præscribendum, per *text. in c. vigilanti. c. si diligenti. & c. finali. titulo. de præscript.* Ergo per modum præscriptionis immunitati à consuetudine derogari non potest. est enim talis consuetudo *de iure SS. Canonum* reprobata, tanquam irrationabilis, consequenter actus talis consuetudinis erunt illiciti, ac proinde malâ fide facti.

12. Ut taceam, defectum possessionis quoque intervenire quo ad Laicos, cùm incapaces sint juris spiritualis possiden-

dendi, vel ejus, quod eidem juri spirituali annexum est. ut notat *Abbas in c. Novit. de judicijs. n. 22. & ibi Decius. num. 12. Ioan. Andr. in c. 2. de prabend. in 6.* quæ capacitas non nisi per expressum Summi Pontificis consensum in ipsis de novo creatur, & non nisi prævia diligenti deliberatione, v. g. per privilegium. ut adeò rectè concludant Doctores nostri: multa posse privilegio concedi, quæ consuetudine aquiri non possunt. argumento. *c. quanto. de consuetudine.*

13. Quantùm ad fundamenta, & rationes in contrarium allatas attinet. Respondeo ad primum, absolutè verum non esse, quòd omnia, quæ per privilegium haberi possunt, consuetudine immemoriali aquiri valeant, ut modò paulò antè audivimus. deinde ad Summum procedit, ubi talis consuetudo tanquam irrationabilis, & quæ potius corruptela sit, non est à SS. Canonibus, & Legibus reprobata, concurrente præsertim in nostro casu incapacitate volentis jus spirituale possidere, ac præscribere. Etsi enim concedamus, contra consuetudinem prohibitam, & sic tantùm irrationabilem, quia prohibita est, aliam consuetudinem posteriorem prævalere posse, negamus tamen id in proposito locum habere, cùm non tantum irrationabilis sit, quia prohibita, sed prohibita, quia irrationabilis. Et licèt in certis casibus particularibus possit Pontifex concedere privilegium contra Immunitatem, nullo tamen modo sequitur: ergo potest hoc etiam consuetudine fieri.

14. Et ratio disparitatis præter jam superiùs dicta est, quia cum derogatur immunitati in casu solùm aliquo, & loco tantùm particulari, major deliberatio & consideratio circumstantiarum intervenit, quàm in solâ consuetudine fieri soleat, suppleturque incapacitas ab illo, qui potestatem ha-

habet, eam supplendi, quod nunquam vi solius consuetudinis contingere potest, ut per se manifestum est.

15. Ad secundum Respondeo: negando Immemorialem consuetudinem esse sufficiens indicium, & probationem, præcessisse aliquod privilegium, virtute cujus consuetum fuerit, in certâ provincia, certos actus fieri contra Immunitatem. Neque præsumitur ejusmodi consuetudo honesta, & bona, etsi ejus contrarium probari non possit.

16. Quia hoc ad summum solummodò procedit, quando talis consuetudo non est per Leges vel SS. Canones reprobata. imò eô ipsô sufficienter probatum ejus contrarium videtur, quatenus ejusmodi consuetudo honesta, & bona non sit, quòd per leges vel SS. Canones, tanquam irrationabilis, etiam in futurum introducenda, sit damnata, & prohibita. vide *Suarez* qui *dicto c.* 34. *n.* 17. asserit ita tenere *Rochum Curtium*, & alios in *titulo de consuetudine*. Et ratio esse potest, quia ejusmodi privilegium est valde odiosum, & rarò conceditur, consequenter solus, & nudus usus, etsi antiquus, cùm in mero facto consistat, non probat sufficienter privilegium.

17. Hoc minus improbabile videtur, quòd, si cum consuetudine conjungatur constans fama, & traditio æque antiqua, sive immemorialis, præcessisse privilegium, atque hoc legitimè probetur, posse tunc concedi, ut operantes vi talis consuetudinis à peccato, & injusta læsione Immunitatis excusentur. Poterit tamen Pontifex revocare talem consuetudinem, quotiescunque volet, cùm ea vires suas non tam habeat à præscriptione, quam præsumpto aliquo Privilegio. Contra Papam enim nemo præscribere potest in his, quæ ad supremam ejus potestatem pertinent. per ea, quæ notat *gloss.* & *Abb.*

Abb. in c. cum non liceat. de praescript. vide etiam *Suarez.* ubi suprà *n. 18.*

18. Ad tertium responsio patet ex dictis. licet enim legi priori per legem posteriorem derogari posit, & regulariter eadem vis sit, quo ad derogationem legis scriptæ & legis non scriptæ, sive consuetudinis, fallit tamen hoc, quotiescunque Lex non scripta, sive consuetudo in omnem casum irrationabilis esse, per legem vel Canonem declaratur, atque propterea introduci prohibita est: ac etiam ex dictis patet ratio disparitatis, cur aliquando in casu aliquo particulari possit Pontifex per constitutionem, vel concessionem privilegij derogare immunitati, id autem fieri non possit per consuetudinem. Et reverà talis consuetudo toties à jure damnata, tanquam corruptela, nihil aliud est, quàm frequentia peccandi. peccatum autem subsequens non excusatur propter frequentiam præcedentium, sed, ut bene notat *Suarez. ibidem. c. 34. n. 12.* quodammodo potiùs augetur. hinc teste eodem Doctore, *Rota in antiquis. titulo. de consuetudine. decision.* 804 damnat consuetudinem, quæ jam ante Schisma, in Angliâ inoleverat, ut Clerici in actionibus realibus, & personalibus judicarentur à Laicis, qui abusus hodieque in Germaniâ nostrâ frequentissimus est, & meritò culpandus.

19. Responsio ad quartum patet ex responsione ad primum, & secundum. tunc enim consuetudo solùm præsumitur rationabilis, quando, ut diximus, in omnem casum damnata non est, & tanquam irrationabilis totaliter reprobata. ut tamen fit in proposito.

20. Ad ultimum Respondeo, illos actus, qui hinc inde passim, & impunè ac liberè contra Immunitatem fieri à magnis Principibus referuntur, non ad jus sed ad facta hominum pertinere, propter quæ, ut loquitur *Suarez. cit. c. 32. in fine.*

veritatem negare non possumus, neque illorum rationem, aut excusationem dare tenemur. Sed viderint ipsi, qui tantos Principes ad hoc inducunt, quomodo de eô rationem Deo reddere velint, aut valeant.

CAPUT IV.

De concordia sive pacto, quarta se excusantium causa.

SUMMARIUM.

Quarta excusatio praetenditur ex capite concordiae, vel pacti initi inter Principes & Episcopos ac Clericos, quae sunt in duplici differentia. n. 1.

Assignatur haec duplex differentia. n. 2. & 3.

Respondetur ad primum casum differentiae initi pacti cum Episcopis & Clericis: sine consensu Pontificis illud nullatenus valere, cum allegatione rationum ad hoc probandum. 4. & 5.

Responsio ad secundum casum differentiae initi pacti vel concordiae, mediâ authoritate & consensu Summi Pontificis, quod licitum sit. n. 6.

Quare, tametsi Pontifex consentiat ejusmodi initis pactionibus inter Principes Laicos & Episcopos, nihilominus eas revocare possit? 7. & 8.

An si ipse Pontifex ineat cum certa natione ejusmodi concordata, nihilominus ea rescindere & revocare possit, & quibus concurrentibus? n. 9. 10. 11.

Ratio fundamentalis affertur. n. 12. & 13.

Quid Iuris sit in alijs contractibus & conventionibus initis à Pontifice cum Regibus, vel Principibus, aut alijs? 14.

Vnum singulare notabile, quantùm ad concordias certis casibus initas inter Principes & Episcopos, sine consensu Summi Pontificis. 15.

Exemplum affertur. 16.

An revocari ejusmodi pactata inter Principes & Episcopos succedente tempore ab Episcopis, maximè ex rationabili causa possint? 17.

Quarta

I.

QUarta Excusatio, quâ se quoque nonnunquam defendere solent, & posse putant, Immunitatis Ecclesiasticæ violatores, est concordia, vel pactum, inita inter Principes, & Prælatos Ecclesiæ, vel Clericos, quâ fulti contra Immunitatem Ecclesiasticam veniunt. Quæ quidem concordata sub duplici respectu considerari possunt.

2. Primò. ut fiant inter Reges, populum, Principes, & Clerum, atque Ecclesiarum Prælatos, sine consensu, & approbatione expressâ Summi Pontificis.

3. Secundò. ut id contingat interrogato priùs Summo Pontifice, & approbante, atque hoc vel per se, vel per delegatum, ad hoc speciale mandatum habentem. &

4. Respondeo: certum esse, quod si primô modô fiat ejusmodi concordia vel pactum sine approbatione, ea nulla esse, & consequenter vi illorum neutiquam excusari transgressores à peccato & violatione Immunitatis. Ratio manifesta est, quia inferior non potest dispensare in lege superioris, neque etiam per modum Renunciationis contra ejusmodi Immunitatis prærogativam venire. quia hoc privilegium & exemptio continet in se vim legis & præcepti, respectu illorum quibus conceditur est. enim publicum Jus

5. Et hæc est differentia inter hoc privilegium, & alia, quæ in favorem privatorum conceduntur, ut hæc privatorum privilegia sint potiùs permissiones, & favores, quibus uti possint, si velint, vel non uti, si ita lubet: illa autem necessitent, tanquam juris publici sanctiones. ut bene advertit sæpe citatus *Suarez dicto, lib. 4. de Immunitate. c.* 31. *n.* 1. ubi Respondet ad *textus aliquot capitulorum*, quæ videntur contrariari.

6. Si

6. Si secundò modò contingit fieri ejusmodi concordias, non est dubium valere, & consequenter excusare à peccato, & injusta violatione Immunitatis.

7. Notandum autem est, ejusmodi consensum, & approbationem Summi Pontificis, utut ex parte inferiorum interveniat contractus, habere nihilominus in se vim privilegij. est enim peculiaris favor permanens & stabilis, cum aliquâ Juris communis derogatione, factâ à superiore potestatem ad hoc habente, sicut notat *Rebuff.* allegatus à *Suarez. ubi suprà.* in *concordatis. titulo de approbatione conventorum. verbo. privilegijs.* consequenter etsi ipsi inferiores invitâ alterâ parte per se resilire à tali pacto vel concordiâ non possint, revocare tamen illa concordata nihilominus Pontifex poterit, eo ipso, quia per modum privilegij confirmatio illorum facta est, ut diximus.

8. Et hoc casu habet se Papa, confirmando concordata, solùm ut supremus dispensator, favorem, & gratiam concedens utrique parti contrahenti, tanquam subdito, & inferiori.

9. Immò dico, tametsi Pontifex ipse ejusmodi concordiam ineat cum aliquo Rege, ut *Rebuffus* testatur, factum inter *Regem Galliæ Franciscum, & Leonem* 10. *Pontificem*, & nota sunt concordata inter *nationem Germanicam, & Nicolaum quintum*, nihilominus Pontificem ab ejusmodi concordatis vel ex toto, vel ex parte resilire posse, licitè quidem & validè, si contingat ex causâ rationabili. ut: quia ex post facto videt, concordata vergere in Ecclesiæ nocumentum. Præsumuntur enim sub hac tacita conditione inita esse à Pontifice: dummodo in præjudicium, vexationem, aut vilipendium status Clericalis non cedant, aut saltem cum tempore istâ ex concordiâ initâ non sequantur.

Putarem tamen cum *Suarez.* ubi suprà *n. 24.* valdè consentaneum rationi, ut & hoc casu, quo ex causa rationabili Papa

à con-

à concordatis recedit, teneatur alteri parti damnum, si quidem aliquod damnum ratione pacti præcedentis ea patiatur, compensare. argumento à simili ducto. quia etiam Rex aliquis, vel Imperator potest Privilegium subdito suo concessum, licet in vim pacti transierit, revocare, dummodo talis revocatio bonum commune concernat, & subdito restituat, vel recompenset, quod in vim pacti præcedentis ille contulerat. vide quæ notat idem *Suarez. in tract. de legibus l. 8. c. 37. num. 5.*

11. Quòd si verò Pontifex per ejusmodi concordata solum & merum favorem intendit præstare Regi alicui. v. g. vel populo, in cujus gratiam concordiam init, ita ut Ecclesiæ, vel sibi inde nihil emolumenti accedat, ut in proposito exemplo, in favorem *Regis Galliæ* Immunitatem Clericorum aliquâ ex parte imminuendo, eosque in certis casibus ejusdem Juri ac Jurisdictioni subjiciendo, certum videtur, ex causa rationabili superveniente, absolutè, & sine ulla recompensatione concordiam revocare posse.

12. Ratio fundamentalis est, quia per nullum contractum, vel conventionem, supremam suam potestatem spiritualem, quam immediatè habet à Deo, ad ea disponenda, quæ ad convenientem Ecclesiæ gubernationem pertinent, à se abdicare potest, quamdiu Papa est, Et propterea ejusmodi contractus, & concordata irregulares sunt, & diversi à naturâ contractuum cum alijs initorum. eatenus enim ex parte Pontificis claudicant, quatenus licitè & validè maximè ex causa rationabili resilire possit.

13. Et quid mirum? si hoc de Pontifice asseramus ob prærogativam illius supremæ potestatis spiritualis, quam à se abdicare non potest, ut quocunque casu, causa rationabili existente, & necessitate urgente eâ uti possit, non attento quòd obstare contractus videatur, cùm in simili idem dicamus de pu-

pillorum, vel impuberum conventionibus cum alijs initis? ut non obstante, quòd pacta de Jure gentium observanda sint, resilire nihilominus pupillus vel impubes à contractu inito alterâ etiam parte invitâ possit. Et si hoc, & alijs casibus Jus gentium ita limitari à jure humano potuit, à fortiori limitari non poterit à Jure divino? Ratum igitur & fixum manet, quòd Pòntifex tametsi ejusmodi concordiam cum Regibus. v. g. vel certâ natione ineat, resilire ab ejusmodi concordatis ex causâ rationabili possit, tametsi ejusmodi Reges, vel natio, inter quos, & Papam conventio facta est, ex sua parte resilire non possint. Et hoc vel maximè procedit in propositâ materia, ut resilire Papa possit, quando nimirum per talem concordiam Immunitas, & exemptio Clericorum, quæ ipsis de Jure divino concessa est, ita imminuitur, ut non raro ob excessus & abusus Laicorum inde Clerici graviter lædantur, cum Summus Pontifex potestatem suam à Deo acceperit in ædificationem, non in destructionem.

14. Cæterùm in alijs contractibus vel conventionibus, quos Pontifex ut pars & membrum Societatis humanæ cum alijs init, ut est contractus emptionis, venditionis, mutui. &c. indubium videtur, quòd ijsdem stare teneatur, cum hoc non ineat ut Pontifex, sed ut pars & membrum Societatis humanæ, consequenter suprema potestas spiritualis hîc non convertatur, sed ea, quantum ad personam Pontificis, hîc & nunc taliter contrahentis, se merè concomitanter habeat, adeoque à vinculo obligationis ex contractu resultantis illum non eximat.

15. Nota hîc singulariter, ad id, quod suprà absolutè, & in genere diximus, pactum vel concordiam inter Principes & Clerum, vel Ecclesiarum prælatos initam, sine consensu & approbatione Summi Pontificis nullam, & irritam esse: illud solummodò procedere, quando ejusmodi concordata aliqua-

liter

liter læsiva sunt Immunitatis Ecclesiasticæ, ex eo. v. g. quod virtute eorum Laicis tribuatur jurisdictio, Jus, vel potestas in Clericos, quæ de *Iure SS. Canonum* ipsis non competeret. quòd si enim eô solùm fine ejusmodi pacta inirentur inter Episcopos & Principes, in ijs maximè regionibus, ubi Episcopi non habent Jurisdictionem sæcularem, sicut tamen habent nostri Episcopi Germaniæ tanquam Principes Imptrij, quatenus scilicet vi concordatorum Episcopi Principum brachio sæculari usuri, (absque eo tamen, ut aliquam jurisdictionem in Clericos eis, vel illorum ministris Episcopi conferant) nudum facti usum ac ministerium ab eis paciscantur, non video cur per se damnari ejusmodi pacta, vel concordata debeant. cùm enim usus, & invocatio brachij sæcularis Episcopis & Ecclesiasticis personis licita, ac concessa sit per *textum in c. fama. de sent. excomunic.* & ibi *Panormitan.* non videtur aliquid obstare, cur ea in pactum & conventionem certis præsertim casibus exprimendis deduci non possit.

16. Hinc sentio omnino contra *SS. Canones* & Immunitatem Ecclesiasticam non esse, si Ordinarij locorum, etiam irrequisito Summi Pontificis consensu cum principibus vel magistratu sæculari paciscantur. ut: casu quo Clericum cùm armis prohibitis, v. g. noctu deprehendunt, ea auferre liceat. vel si in tumultu, digladiationibus nocturnis, scelere, vel delicto aliàs carcere plecti solito fortè ejusmodi personam Ecclesiasticam inveniunt, capere, ac ad judicem Ecclesiasticum deducere possint. Supponimus enim, ibi per hujusmodi pacta non intervenire commissionem jurisdictionis, cum præfatis principibus in pactum deductam, sed solum usum pacti; ac ministerium brachij sæcularis, quo Prælati utuntur ad comprehendendum subditum suum delinquentem. facit enim hoc ad sedandas rixas, & cædes evitandas, servitque bono publi-

co, & communi Reipublicæ tranquillitati. sicut hoc passim in *Gallia* & *Italia*, maximè *Romæ*, practicatur. vide ad hoc aliqualiter *Navarr. in consilia. titulo. de sent. excomm. mihi consil. 27.*

17. Sed nunquid Ecclesiæ Prælati pro suo arbitrio revocare ejusmodi commissionem Laicis factam, ac in pactum deductam poterunt? Respondeo cum *Suarezio, dicto. lib. 4. c. 34. n. 25.* omnino posse, præsertim cùm subest periculum abusûs, & inde arrogatæ sibi alicujus Jurisdictionis in Clericos, quod frequenter contingere potest. Et ratio est, quia per ejusmodi pacta, ut ut firmata sint, non possunt jus aliquod super Clericos judicibus sæcularibus in hac parte tribuere. Sed tantùm illis, ut instrumentis: uti instrumentum autem, ut idē præfatus Doctor ait, pendet à motione agentis principalis. Et hoc videtur admodum expedire ad bonum regimen Statûs Clericalis, & oppositum exemptioni Clericorum plurimùm derogaret.

CAPUT V.

De Privilegio, quintâ se excusantium causâ.

SUMMARIUM.

Quinta excusatio desumitur ex causa Privilegij. num. 1.

Potest Princeps tutâ conscientiâ uti tali Privilegio sibi à Romano Pontifice concesso, licet illud ex parte sit contra Immunitatem Eccles. 2.

Privilegium etiam legitimè concessum à Pontifice, potest, cùm vult, ab eodem revocari. 3.

Ejusmodi Privilegia contra Immunitatem concessa principibus, revocantur singulis annis per Bullam Cœnæ Domini. 3. 4. & 7. 8. & 9.

Privilegia concessa à Principibus Ecclesijs & Ecclesiasticis, non possunt revocari, ratio hujus ibid. 5.

Ratio fundamentalis cur Pontifex Privilegia

I.

QUinta Excusatio, quam violatæ Immunitati frequenter hodie prætendunt transgressores, est prætextus privilegij.

2. Et adverte primò. certum esse, Principem aliquem, vel populum sine scrupulo uti posse privilegio sibi à Romano Pontifice legitimè hâc in parte etiam ex causa Immunitatis Ecclesiasticæ aliquatenus imminuendæ concesso, dummodo ab eodem revocatum non sit. potest enim Papa ejusmodi privilegia concedere, atque sæpè concessisse, usu constat. Et propterea notanter diximus: Immunitatem Ecclesiasticam hodie frequenter prætextu privilegij violari, vi enim, & vigore veri privilegij violari Immunitatem Clericorum nemo prudens dixerit. qui enim jure suo, & favore sibi concesso utitur, nemini facit injuriam. *c. cùm Ecclesia vulterana. de elect. L. injuriarum.* §. 1. *ff. de injur.*

3. Adverte secundò, privilegium etiam legitimè concessum, posse per Summum Pontificem revocari, ut ex quotidiano etiam usu, & stylo Curiæ constat. quid enim frequentius in Concilijs, & Bullis Pontificum, quam hæc verba: non obstantibns quibuscunque privilegijs? Et ejusmodi privilegiorum revocationem quotannis fieri in *Bullâ Cœnæ Domini* certum est, & eam vel obiter legenti constat. præsertim *ex-*

communicatione quartâ his verbis ibidem insertis: Ut neque ob quodcunque privilegium, &c. *Excommunicatione septima.* ibi: Non obstantibus quibuscunque privilegijs. *Excommunicatione decima quarta.* ibi: Quarumcunque exemptionum, & litterarum Apostolicarum prætextu, *Excommunicatione decima octava.* ibi: Qui absque Romani Pontificis speciali, & expressâ licentiâ onera Clericis imponunt. *Excommunicatione decima nonâ.* ibi: sine speciali & expressâ sanctæ Sedis Apostolicæ licentiâ. & passim in *Concilio Trident.* ejusmodi clausulæ privilegiorum derogatoriæ occurrunt.

4. Et ratio est, quòd privilegium subdito concessum revocari ab eodem superiore, qui illud dedit, vel ejus successore ex causa rationabili possit. ut est communis sententia Doctorum. per ea, quæ notat *Suarez in tractatu de legib. lib. 8. c. 37.* Dixi autem notanter: concessum subdito. ut confirmare ea quæ suprà de privilegijs ab Imperatoribus, alijsque Principibus, Ecclesijs, Ecclesiasticisque personis concessis diximus. ea enim revocari ampliùs non possunt ex defectu jurisdictionis, quâ carent ejusmodi Sæculares Principes, quantum ad Ecclesias, & Ecclesiasticos omni jure ab illorum potestate exemptos.

6. Ratio autem propria, quantum ad præsentem materiam privilegiorum à Romanis Pontificibus concessorum, revocabilium tamen ab ijsdem ex causâ rationabili eadem reddi potest, quam suprà circa concordata à Pontifice cum Rege aliquo, aut certâ natione inita, & nihilominus revocabilia diximus. Quia per nullum privilegium potest supremam jurisdictionem, & potestatem, quam immediatè à Deo; & sic

sic de jure divino habet, à se abdicare, vel impedire, quo minùs, in quantum opus est, eâ liberè uti possit ad regimen Ecclesiæ. consequenter inconcessum Pontifici non est, ex causa rationabili Principi Sæculari prohibere usum temporalis potestatis, quam is ex dispensatione, vel privilegio à Sede Apostolica impetrato hucusque in Clericos exercuit. Dixi notanter, ex dispensatione vel privilegio. videtur enim in effectu potius dispensatio esse, quàm aliud, cùm sit quo ad certos casus relaxatio juris divini, & Canonici; secundum quod Clerici soli judici Ecclesiastico parere obligati sunt, & ab eodem judicantur, vel ad Summum delegatio quædam jurisdictionis Ecclesiasticæ dici potest, quam Summus Pontifex per verba privilegij tali Principi concessi, (semper tamen dependenter à voluntate suâ) datam commiserit. cùm plus non videatur requiri, aut necessarium esse ad ejusmodi privilegium, nec communiter plus ex verbis privilegij erui possit.

7. Dico itaque insistendo verbis *Bullæ Cœnæ Domini.* per ea, quæ paulò superiùs, diversas excommunicationes ex *eâdem Bullâ* allegando, retulimus, certum videri, privilegia omnia antehàc à Sede Apostolicâ concessa, & immunitatem Ecclesiast, lædentia revocata esse, & consequenter excusationem à prætextu & prætensione privilegij nihil adjuvare.

8. Et hoc de valde antiquis privilegijs indubitanter affirmandum esse existimo. Viderunt enim Pontifices, quantùm concessio hujusmodi privilegiorum olim liberè, liberaliterque facta, cum tempore cæperit vergere in præjudicium, & vilipendiũ Ecclesiasticæ Immunitatis ut adeò meritò ad revocationem datorum contra libertatem Ecclesiasticam privilegiorum compulsi sint, velintq; eandẽ quotannis in *Cœna Domini*, ut nemo de ignorantia se excusare possit, repeti, & rememorari.

rari. Et hoc tenet etiam *Navarr. c. 27. n. 72. in Manuali.* vide etiam *Suarez. cit loc. c. 34. n. 29.*

9. Dixi de valde antiquis privilegijs. quòd si enim recenter data forent ejusmodi privilegia, non dubitarem asserere, privilegiatum talibus privilegijs securè uti posse, non obstante *Bullà Cœnæ Domini*, qua singulis annis concessa de novo privilegia abrogat. intelligenda enim venit ejusmodi abrogatio de antiquioribus, vel valde antiquis privilegijs. Quàm enim ineptè ac imprudenter & peteretur, & daretur privilegium, quod certò certius hoc eodem anno & petens & concedens sciret esse revocandum. præsertim si de privilegio tractum successivum habente, & non de momentaneo, & ad unum actum concesso loquamur.

10. Cæterùm non est, quod hîc moremur aliquos, qui putant ea privilegia in Bullæ revocatione non comprehendi, quæ immemoriali consuetudine firmata sunt. Nam suprà dixi, consuetudinem in præsenti materiâ Immunitatis tanquā juris spiritualis nil roboris addere, eò ipsò, quòd consuetudo, ut vidimus, nullum jus superinducat, consequenter immemoriale privilegium nihil speciale habet, ratione cujus sub generali revocatione aliorum privilegiorum non comprehendatur.

11. De Remuneratorijs etsi *Suarez*, ubi suprà, idem sentiat, quod de alijs, Ego tamen probabiliter contrarium esse statuendum censeo, neque credo sub generali clausulâ revocationis illa comprehendi.

12. Ratio ipsiusmet *Suarezij* potenter aliud evincere videtur, & quidem hoc ipsum, quod nos intendimus, eò quod hujusmodi privilegia remuneratoria longè diversæ Naturæ sint ab alijs privilegijs sicut proportionaliter de donatione Remuneratoriâ, quantum ad alias donationes Doctores, argumen-

gumentantur. neque, ut suprà quoque vidimus, hujus generis privilegia remuneratoria revocari possint, nisi resarciatur id, quod ipsi privilegiato perit ex abrogatione privilegij, eô ipsô, quia tollit privilegium, quô remunerabat suo jure privilegiatum, & consequenter, cùm Remuneratio ex aliis facienda maneat, quantum ad personam privilegiantis, sine illo, quòd satisfecerit ei, cui debuit remunerationem, solis & generalibus verbis, quibus privilegia in genere revocat, non erit præsumendum, quòd ullo modo intenderit hæc remuneratoria privilegia illâ verborum generalitate revocare.

13. Hinc hodieque *Rex Galliæ*, ut ex usu, & facto Regni constat, pluribus utitur privilegijs, ipsi à Sede Apostolicâ, ex causa Remunerationis indultis, non obstante illa generali clausula, in *Bullâ Cœnæ Domini* privilegiorum revocativâ, ex eo fortè, quod frequenter eandem Sedem Apostolicam ingentibus sumptibus, missisque in auxilium exercitibus, pro debellandis hostibus Ecclesiæ, adjuverit. Sicut passim ex historijs palam est, neque tamen interim Sedes Apostolica tantas expensas & belli sumptus aliter compensaverit, hodieque compenset vel resarciat, si quidem efficaciter vult esse revocata Privilegia, quæ titulo remunerationis eidem Regi concessit.

14. Consequenter si quæ alia alijs Principibus ex similibus causis Privilegia indulta sunt, non video, cur, non obstante illâ generali clausula *Bullæ Cœnæ Domini*, ijs etiamnum hodie uti non possint, donec aliter ijsdem à Sede Apostolicâ in vicem remuneratorij Privilegij satisfactum fuerit.

CAPUT VI.

De justâ defensione, sexta se excusantium causa.

SUMMARIUM.

Pro sextâ & ultimâ excusatione violatæ Immunitatis obtenditur justa defensio ex jure & æquitate naturali competens, quæ quid sit, ibidem explicatur. n. 1.

Hæc defensio difficulter in praxin redigitur sine læsione conscientiæ, præsertim in materia Immunitatis. 2.

Quæ causa assignetur usurpandæ, usurpatæq; à multis hujus justæ, ut putant, defensionis, cum ratione, quâ nititur. n. 3. & 4.

Vt hæc defensio justificetur, duo debent concurrere. 5. 6. & 7.

Vt sic, etsi speculativè vera, & licita censeatur, eâ tamen in praxi cautissimè utendum est. 8.

Rationes hujus opinionis ibidem allata. n. 9.

Rejicitur praxis in Hispaniâ recepta, quantùm ad hoc, quod Regia tribunalia recipiant ex causa & titulo justæ defensionis tam sui, quam alterius de jure naturæ competentis, ut asserunt, quatenus causa Clericorum jam judicata in foro suo Ecclesiastico, de novo à Laicis examinentur. 10.

Aliqui Hispanorum volunt, & contendunt ex jure probare: competere Regibus, in certis casibus ejusmodi jurisdictionem in personas Ecclesiasticas, per textus allegatos. n. 11.

Respondetur ad textus allegatos. 12.

Concluditur demùm, nihil exinde excusari Laicos. 13.

1.

Ultima, & sexta Excusatio, quâ se Violatores Immunitatis Ecclesiasticæ tueri volunt, est defensio, ut prætendunt, justa, ac ex jure, & æquitate naturali competens, qua quis vel se, vel proximum innocentem injustè oppressum, vel inte-

integrum aliquod regnum, aut populum sibi commissum ab injusta vi, & violentiâ tutatur. vim enim vi repellere licet, & concessum est de Jure naturali primævo. per *textum in c. Ius naturale,* ibi: Violentiæ per vim repulsio. *distinct.* 1. *L. ut vim. ff. de just. & jur. c. si vero.* 3. *de sent. Excomm. & in c. significâsti.* 2. *de homicidio.* Ut adeò defensio ex suo genere sit omnibus licita, si quidem necessaria sit & debito modo fiat, ita, ut etiam contra Papam concessum Regibus sit, se defendere, ut tradit *Cajetanus in opusculo de potestate Papæ. c.* 27. & plures alij citati *à Suarez. lib.* 4. *de Immun. Eccles. c.* 34. *n.* 30.

2. Cæterùm, utut hæc defensio licita de Jure, & ex æquitate naturali sit, illam tamen ad praxin applicare, in qua passim Galli, Hispanique eâ se tuentur & excusant à læsione Immunitatis, ut videre est apud *Salgado in suo tractatu de protectione Regia*, difficillimum esse, & periculi lædendæ Immunitatis Ecclesiasticæ plenum arbitror, cum facilè sub hoc prætextu Laici jurisdictionem in Clericos, quæ nulla eis etiam hoc casu competit, quærant. Vel necessariam esse defensionem hic & nunc, & quidem debito modo fieri contendant, cùm tamen neutrum reipsâ subsit, ac fiat.

3. Causa autem, & casus usurpandæ hujus defensionis communiter assignatur: injusta oppressio Clericorum ab immediatis eorum Judicibus, & Prælatis Ecclesiasticis, ita, ut tunc vel omnino non possint, vel non sine magno dispendio, pro auxilio, & competenti aliàs de Jure remedio recurrere ad superiores Ecclesiasticos, præsertim ob nimiam viarum distantiam ad Curiam Romanam.

4. Et rationem assignant colorandæ hujus defensionis, quòd, sicut quilibet homo privatus habet Jus vim vi repellen-

di, non solùm quando ea infertur toti corpori, verùm etiam quando ea fit uni solum particulari membro, ita Respublica habet potestatem ad propulsandam vim, & toti Reipublicæ, & unicuique membro suo illatam. Consequenter cum Respublica hanc suam potestatem transtulerit in Imperatorem, vel Reges, sane defensio hæc specialiter & Jure proprio illis competet, atque justa erit. per textum *in c. Regum.* ibi: vi oppressos, &. *c. Principes. 23. q. 5. c. Maximianus. eadem causa. q. 3.* neque enim actio hæc, eo ipso, quod procedat ex legitima potestate, est contra exemptionem Clericorum. cùm non sit actus jurisdictionis competentis Regi, tanquam superiori, sed sit actus necessariæ defensionis, quæ cuilibet, ut vidimus, de Jure naturali concessa est, & contra quam nulla tuetur exemptio. Et patet in Exemplo quotidiano, quo. v. g. Clericus aliquis stricto me gladio invadit, possum enim non obstante quidquam ejus exemptione cum moderamine inculpatæ tutelæ vim vi repellere, usque ad occisionem aggressoris, necessitate ita urgente. Et sic intelligis, hanc defensionem solùm esse facti, liciti tamen, & de Jure naturali concessi, non autem Jurisdictionis, quam nullam habet Laicus in Clericum.

5. Utut autem hæc defensio, quâ vim vi repellere concessum est, apud Gallos, & Hispanos justa esse; passim atque indifferenter asseratur. ad illam tamen sufficienter justificandam duo necessariò concurrere debent.

6. Primò. ut revera vis actualis inferatur, & quæ clara ac manifesta sit, non dubia, & solùm præsumpta. Et ratio est, quia cùm hîc, ut suprà vidimus, prætendat Magistratus sæcularis, vel potestas Laica, ad quam recurritur, Clericum ab injusta oppressione, à suo. v. g. superiore Ecclesiastico illatâ

defen-

defendere, de injuria & oppressione debet manifesto constare. in dubio enim præsumptio foret pro superiore Ecclesiastico, qui Jure suo in casu dubiò privandus non est. quilibet enim præsumitur bonus, ac officium, & justitiam rectè administrare, quamdiu de contrario non constat.

7. Secundò. ut defensiò fiat cum moderamine inculpatæ tutelæ, sive, ut superiùs notavimus, ut debito modo fiat, & ita necessaria sit, ut per potestatem sæcularem contingat, alio modo possibili ex parte judicis Ecclesiastici deficiente. Hinc, si is, qui conqueritur de superiore suo Ecclesiastico coram judice Laico, possit sine gravi incommodo, vel absque periculò æquitatis, vel majoris detrimenti à Prælato Ecclesiastico superiore suo probabiliter defensionem consequi, inculpatè se defendere per Laicum dicendus non erit, neque justè tunc sæcularis potestas se intromittet. Sine ratione enim, & absque justo titulo Jus & munus alterius sibi arrogaret. Hinc Jure quoque Canonico cautum est, ut non antè auxilium Laicæ potestatis contra insolentias Clericorum implorari possit, quàm Ecclesiastici auxilium adhibere nequeant, vel id facere negligant. per *text. c. quo ausu.* 23. *q.* 8. & ibi Glossa. & *c. sequenti. c. placuit.* 11. *q.* 1. ibidem. *Glossa.* in verbo. *petierit.* circa *medium. c. filijs* 16. *q.* 7. *c. Maximinus.* 23. *q.* 1.

8. His igitur concurrentibus, per se loquendo, defensio oppressorum, quæ fit à Laica potestate circa personam Clerici, injusta non est, neque contra Immunitatem Ecclesiasticam.

9. Verum tametsi hoc, in Theoria admodum verisimile esse existimem, in praxi tamen cautissimè hac defensione Laicis judicibus utendum esse arbitror. tum ob defectus requisitorum, quibus frequenter facienda defensio in praxi destituitur. tum quod sub hoc prætextu jurisdictio in Clericos

frequenter quæratur, & usurpetur, quæ tamen nullatenus eis competit in personas Ecclesiasticas, & non raro magna inconvenientia, ut vel obiter tantùm consideranti patet, inde oriri possunt, nisi prædicta defensio, ut notavimus, cautissime usurpetur. Præsertim, si verum est, quod *Azor. tom. 1. lib. 5. c. 14.* ubi hanc quæstionem fusissimè examinat, asserit: hanc defensionem sòlummodò locum habere, si extra judicium vis inferatur, non verò si in judicio. cùm ibi Judex publicâ authoritate agat. allegata ad hoc glossa. *in L. ut vim. ff. de just. & jure.*

10 Et propterea non video, quomodo sine usurpatione dictæ jurisdictionis Ecclesiasticæ defensio illa frequenter fieri solita in Hispania, de qua citatus *Salgado in suo tractatu de protectione Regia. & Covarr. pract. quæst. c. 35.* contingere possit. Deferuntur enim causæ Clericorum ad tribunalia Regia, ut ibi examinetur, & judicetur, an Judex Ecclesiasticus vim intulerit, necne, atque eo quidem modo, ut Laici judices ejusmodi causam, in qua se læsum Clericus queritur, ad se advocent, acta causæ cum processu in Ecclesiastico tribunali formato ad se adferri præcipiant, postea eandem causam juridice examinent, ferantque tandem sententiam: vel de appellatione injustè negatâ, vel de censurâ malè impositâ, aut aliâ simili violentiâ indebitè illatâ: Qui actus cum omnes sint jurisdictionis, quis non videt sub prætextu justæ defensionis, Laicos malè sibi præsumere jurisdictionem in Clericos? quam habere non possunt, & consequenter violare Immunitatem Ecclesiasticam?

11. Propterea non pauci, maxime Hispani, cùm viderent revera dictam hanc defensionem fieri non posse sine usurpata jurisdictione in personas Ecclesiasticas, contendunt id Regibus & Principibus de *Iure SS. Canonum* concessum esse, ut in

causa

causa faciendæ defensionis oppressorum, uti possint jurisdictione in Clericos. Et afferunt primò verba *Bullæ Cœnæ Domini.* ubi, cùm damnaret Pontifex Judices sæculares ejusmodi actus exercentes, statim subjunxit hæc verba: Nisi in casibus à Jure concessis. De quorum casuum exceptorum numero putant esse hanc defensionem. Sed sine fundamento. Et ita sentit. *Covarr. cit. loc. n.* 4. §. *Cæterum in hac regia. Navarr. in c. cùm contingat. de rescript. Remedio.* 3. §. *secundò infertur. Rebuffus. ad constitutiones Gallicas. titulo de appellationibus tanquam abusu. n.* 14. *& in Concordatis. titulo ultimo. de protectione Concordatorum.* pluresque alij à *Suarez. dicto c.* 34. *num.* 35. allegati. Atq; hoc confirmare nituntur pluribus ex Decreto Gratiani adductis capitulis. ut. *c. filijs.* 16. *q.* 7. *c. Principes. c. Regum. c. administratores.* 23. *q.* 5. *c. Christianis. c. petimus.* 11. *q.* 1. *c. quidam Monachi. c. Probinum.* 16. *q.* 1. *c. Maximianus.* 23. *q.* 3. *c. non licuit. dist.* 17. *c. boni Principis. distinct.* 96.

12. Sed profectò qui textus horum omnium capitulorum sine præjudicio affectûs expenderit, in nullo eorum deprehendet, sæculari potestati, vel minimum jurisdictionis actum in Clericos concedi, cùm in plerisque solùm mentio fiat, quatenus Laica potestas Ecclesias, & Ecclesiasticos defendere possit, ac debeat, monendo, & denunciando superioribus, vel Sedi Apostolicæ, vel, quod in alijs dicitur: Si imploretur auxilium & brachium sæculare, non negare. ut taceam: pleraque capitula desumpta esse ex Concilijs provincialibus, vel ex authoritate *S. Hieronymi, Isidori, & Augustini.* à quibus certum est, sine consensu Summi Pontificis potestatem, & jurisdictionem Laicis in Clericos dari, & concedi non potuisse. Et si quid unquam uspiam concessum esset, teste *Abbate in c. qualiter*

liter & quando. & ibidem. *Glossa. de Iudicijs.* per Jus novum, atq; per Concilia generalia, ac Oecumenica Summorum Pontificum sublata pridem fuisse. ut manifestum est ex Concilio Lateranensi sub *Leone. X. sess. 9.* ubi ita legitur: Cùm à Jure tam divino, quam humano Laicis nulla potestas in Ecclesiasticas personas attributa sit, innovamus omnes constitutiones &c. Et quis unquam prudens somniabit, hanc Jurisdictionem in Clericos Laicis concessam esse, quam ipsi etiam Imperatores, ut suprà sæpius jam vidimus, ijsdem penitùs abdicârunt, & in Ecclesiam transtulerunt?

13. Manet itaque ratum, & firmum, nullo modo Sæculares potestates excusari posse à læsione Immunitatis Ecclesiasticæ, & consequenter à peccato mortali, & incurrendâ ob id excommunicatione ac sacrilegio, qui prætextu justæ defensionis oppressorum, jurisdictionem in Clericos usurpant.

SUP-

SUPPLEX ADHORTATIO AUTHORIS AD REVERENDISSIMOS ECCLESIARUM ANTISTITES, QUA TOTI MATERIÆ DE IMMUNITATE ECCLESIASTICA FINEM IMPONIT.

ABundè palam ex hucusque toto hoc libro disputatis est, quot Concilijs generalibus, quot SS. Canonibus, quot Decretis cùm Romani Pontifices, tum invictissimi Imperatores, quin & ipsum Numen ter Optimum Maximum, divino suo Jure Libertati, Immunitatiq; Ecclesiasticæ consultum voluerint, & doluimus interim frequenter, non unâ paginâ quiritando: eam tam impunè passim volenter, ac violenter lacerari, convellique, nec percelli tamen audacissimos violatores tot gravibus censuris, nec terreri tot enormibus peccatis, quibus animam suam æternis cruciatibus miseri addicunt, quando ex certâ, & communi Theologorum sententiâ Libertas Ecclesiæ lædi scienter non potest sine reatu peccati mortalis, adeo ut si *Thomæ del bene* credimus, minima etiam læsio ex genere suo crimine lethali Immunitatis Eccles. violatorem irretiat. Liceat igitur vos Reverendissimi Germaniæ Episcopi confidenter, ac humiliter compellare, quos velut unicos his in partibus Deus pro Domo suâ Israel, ut murum, opposuit: nam vos estis, quos Spiritus S. constituit regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo. *Act.* 20. Vos estis speculatores *c. Cleros.* §. *Episcopatus vocabulum. dist.*21. Vos estis populorum, quibus præpositi estis, *teste Augustino. lib.* 1.

de Civit. Dei, quasi quidam observatores, præfecti, & custodes, ut in subditorum mores & vitam oculos ac censuram solliciti circumferatis. Vos Legatos Christi. SS. Canon. appellant. *c. accusatio. 2. q. 7.* Vos Pastores, ac Rectores animarum Scriptura nominat. *Ioann.* 11. inde baculus vestris in manibus est, quo gregem ovium vestrarum ad caulam Dominicam seduli redigatis. Vos ijdem estis sal terræ, *Matth.* 5. lux mundi. *eodem c.* Medici ægrotantium. *c. cum sit. de atat. & qualit.* Angeli & præcones Verbi Dei. *Luca. 9.* mediatores inter Deum & homines. *Teste S. Clemente. D. Petri successore. constit. Apost. l. 2. c. 30.* Vocati denique in sollicitudinem potestatis Pontificiæ. O quantis nominibus digni, & ter venerandi Antistites! Ecce videtis, &, ni fallor, dolenter ingemiscitis: quotidie emungi Clericos bonis, ad Laicorum fora trahi, iniquis contributionibus exhauriri, Immunitatem Ecclesiasticam passim petulantissimè proteri, tot SS. Canonibus, tot Concilijs generalibus, tot Imperatorum sanctionibus, immò Jure ipso divino stabilitam firmatamque, utut interim omnes homines necessitas inevitabilis attineat, eosdem SS. Canones sanctissimè observandi. Hinc sacra Synodus Tridentina *Sess. 25. c. 18. de Reform.* conceptis verbis statuit ita sanciendo: Quapropter sciant universi, sacratissimos Canones exactè ab omnibus, & quo ad fieri poterit, indistinctè observandos, *in quibus nonnisi.* NB. *urgenti justâq; ratione, id expostulante, dispensandum esse* subjungit. Et in specie eadem synodus Tridentina sollicitè mandat *dicta sess. c. 20.* vultque cogi omnes Principes Catholicos ad conservanda omnia sancita, quibus Immunitas Ecclesiastica. NB. Dei ordinatione, & Canonicis sanctionibus constituta est. Et propterea in *c. erubescant. 32.*

distinct.

distinct. c. violatores. 25. q. 1. c. à multis. de atat. & qualit. deciditur: sacros Canones instinctu Spiritus S. editos esse, eorumque transgressores esse infames, eâ scilicet infamiâ Canonicâ, quam quilibet incurrit propter peccatum mortale. per *text. in c. infames. 6. q. 1. c. 2. de major. & obedient. & c. dudum. il. 2. de Elect.* Immò blasphemare Spiritum S. qui sponte sua, & scienter contra eosdem venire præsumunt, assertis verbis S. Damasus Papa *in cit. c. Violatores.* decernit, aitque temerarium esse Hormisda Pontifex in *c. si ille. distinct.* 50. quidquid contra illorum definitionem actum fuerit. Hinc est quod obligentur omnes homines ad SS. Canonum observationem etiam de Jure Decretalium. per *text. & gloss. in c. 1. de constitut.* Et peccato mortali se irretiunt, qui scienter contra eosdem delinquunt. per *text. gloss. & Interpp. in c. illud. de major. & obed. & c. inter catera, de officio. Iud. ordin.*

Cum igitur omnes homines SS, Canonum observatio, & quidem pro materiæ gravitate sub peccato mortali obliget; atque Episcoporum maximè sit, eorumdemque officio incumbat, SS. Canonum inconcussa observantia, ne quid contra eosdem ab eorum subditis temerè delinquatur, ut *Calderin. in suo Repertorio per c. ministri. dist. 81. & c. 1. de constitut.* advertit. & passim ad hoc eosdem *Concil. trident.* adhortetur, & obliget, immo puniri de Jure jubeantur Episcopi, nisi in hoc officio suo satisfaciant. ut *notant Interpret. in c 1. de Treuga & pace. & gloss. in c. generali. de Electione. in 6.* cum ab illorum providentia, studio, & diligenti curâ, quibus intendunt subditorum vitæ & moribus, SS. Canonum observantia indubiè dependeat, floreat, vel marcescat, quorum sunt de Jure conservatores & administri, vocati, ut suprà advertimus, in sollicitudinem potestatis Pontificiæ, Humillimè eosdem Reverendissimos

Antistites nomine totius Ecclesiastici Statûs obtestor, ut luce meridianâ clariùs videant, passim suâ in ditione, suo in territorio, suis in diœcesibus quotidie Clericorum libertatem contra SS. Canones à sæcularibus arctari, Immunitatem minui, & labefactari, immò impunè convelli, & conculcari, authoritate, quâ pollent, Jurisdictione, quâ præditi sunt, atque obligatione, quâ sub mortali tenentur, animosè adversentur iniquis violatoribus: publicentur excommunicationes ipso Jure in eos latæ, admoneatur super tantis excessibus instanter, & communiter ab ipsis Romanus Pontifex, habent Episcopi nostri suos Procuratores in Urbe, sive, ut vocant, Agentes, per quos moneri frequenter Sedes Apostolica circa læsam Immunitatem Ecclesiasticam possit, inhibeantur Clerici per statuta synodalia vel Capitula Ruralia; aut Decreta publica in hunc finem concepta, & evulgata, (ut videntur in conscientia teneri, & alicubi locorum utiliter practicatum est,) vel alio quocunque modo efficaciori, ne, ut liberi de Jure divino Clerici sunt ab exactionibus, per Sæculares sine Ordinariorum loci consensu, & authoritate Summi Pontificis non imponendis, exempti à foro Laicorum, contra. SS. Canones cum tantâ injuriâ statûs Ecclesiastici, incurrendâ Excommunicatione à Sæcularibus contrarium facientibus, & reatu peccati mortalis, tam inique postliminiò divexentur. non tolerabit Sum. Pontifex ausus tam temerarios Laicorum, & justissimis Cleri querelis, ut potest, & solet, opportunè medebitur. Dissimulandi non sunt tam enormes excessus contra Jus Divinum, contra SS. Canones, contra Concilia generalia commissi, & quotidie committendi. nunquid enim si ad tam manifesta crimina taceatur ab illis, qui se ex officio opponere necesse habent, velut sunt Episcopi, in audaciam prorumpent majorem

rem

rem Sæculares? quando multis in mentem venire possit, tam gravia esse non posse delicta, quæ contra Immunitatem Ecclesiastiasticam perpetrantur, quando videntibus Ecclesiæ Episcopis & tacentibus, quasi tacitâ approbatione, ut ipsi quidem comminiscuntur, commendentur, atque sic impunita remaneant. nam, ut suprà vidimus, Duces, Pastores, Mediatores estis Reverendissimi Antistites, vos opposuit Numen, velut murum pro domo Dei, pro tutandis Juribus Ecclesiæ suæ, vestrum est, baculum jurisdictionis, authoritatis, potestatisque Episcopalis in adversarios vibrare. Ecce grassantur lupi & sæviunt in oves vobis commissas impunè. Dicam quod, *S. Gregorius* Magnus, & Zelosus Ecclesiæ. & Ecclesiasticæ Libertatis Pontifex, *Epistola 52*. scripsit. quid, ait, esse deterius potest, quam ut agantur talia contra servos Dei, & ipse nesciat, qui præsto est, quæ enim potest esse excusatio Pastoris, si lupus oves comedit & pastor nescit? aut dissimulat? Curabunt sine dubio, exonerabuntque conscientiam suam Pijssimi plerique Principes, qui ob hoc admoniti Româ à Vicario Christi ad instantiam Episcoporum, si quid connivendo per Officiales eorum hucusque peccatum contra Immunitatem Ecclesiasticam est, exactè, ut speramus, corrigent, & redibit optata tranquillitas Ecclesiasticis personis, hactenus miserè inter procellas Sæcularium Magistratuum naufragantibus. Bonum Numen quod toties peccata in suos, ac sortem suam vocatos, bellis, famæ, pestilentiâ, alijsque ærumnis justissimè castigavit, manum flagellis misericorditer abstinebit:

Quod ut eveniat, vestrarum Reverendissimi Præsules, partium est, omni sollicitudine procurare, nam, ut *S. Augustinus Epist.* 184. relatus *in. c. ante omnia. distinct.* 40.

 ait:

ait: etsi nihil difficilius hoc tempore, laboriosius, periculosiusque Episcopi officio sit, attamen apud Deum nihil beatius est, quam si eo modo militetur, quo noster Imperator (Numen inquam Divinum) jubet.

Addo verba Concil. Trident. *sess. 25. c. 20.* ut omnibus in aperto sit, quam paternè admoneantur ab eodem Magnates, Principes, Reges & Imperator ad Immunitatem Ecclesiasticam, cujus Protectores esse debent, ut *ibid. ad Trident. cum allegat.* notat *Barbos.* sartam tectam conservandam, ut adeò succensere Episcopis Jure nemo possit, si, quod sui muneris sub tanta obligatione est, ad exonerandam propriam conscientiam, de quotidiana violatione Libertatis & Jurium Ecclesiæ, apud Sedem Apostolicam conquerantur.

VERBA CONCILIJ TRIDENTINI dictâ sess. 25. c. 20.

CUpiens sancta Synodus Ecclesiasticam disciplinam in Christiano populo non solùm restitui, sed etiam perpetuô sartam tectam à quibuscunque impedimentis conservari, præter ea, quæ de Ecclesiasticis personis constituit, Sæculares quoque Principes officij sui admonendos esse censuit, confidens eos, ut Catholicos, quos Deus Sanctæ Fidei, Ecclesiæque protectores esse voluit, Jus suum Ecclesiæ restitui, non tantum esse concessuros, sed etiam subditos suos omnes ad debitam erga Clerum,, Parochos & superiores Ordines reverentiam revocaturos, nec permissuros, ut Officiales, aut inferiores Magistratus, Ecclesiæ, aut Personarum Ecclesiasticarum Immunitatem: Dei Ordinatione, & Canonicis sanctioni-

ctionibns constitutam, aliquo cupiditatis studio, seu inconsideratione aliqua violent, sed unà cum ipsis Principibus debitam sacris Summorum Pontificum, & Conciliorum constitutionibus observantiam præstent. Decernit itaque, & præcipit, SS. Canones & Concilia generalia omnia, nec non alias Appostolicas Sanctiones in favorem Ecclesiasticarum Personarum, Libertatis Ecclesiasticæ, & contra ejus Violatores editas, quæ omnia præsenti decreto innovat, exactè ab omnibus observari debere. Propthereaque admonet Imperatorem, Reges, Respublicas, Principes, & omnes, & singulos cujuscunque statûs & dignitatis extiterint, ut, quo largius bonis temporalibus, atque in alios potestate sunt ordinati, eò sanctius, quæ Ecclesiastici Juris sunt, tanquam DEI præcipua, ejusque patrocinio tecta venerentur, nec ab ullis Baronibus, Domicellis, Rectoribus, alijsvè Dominis temporalibus, seu Magistratibus, maximeque Ministris ipsorum Principum lædi patiantur, sed severe in eos, qui illius Libertatem, Immunitatem, atque Jurisdictionem impediunt, animadvertant: Quibus etiam ipsimet exemplo ad pietatem, Religionem, Ecclesiarumque protectionem existant, imitantes anteriores optimos, religiosissimosque Principes, qui res Ecclesiæ suâ imprimis authoritate ac munificentiâ auxerunt, nedum ab aliorum injuriâ vindicarunt. Adeoque ea in re quisque officium suum sedulò præstet: quo cultus divinus devotè exerceri, & Prælati, cæterique Clerici in residentijs, & officijs suis quieti, & sine impedimentis cum fructu & ædificatione populi permanere valeant.

Con-

Concludo igitur. totam hanc materiam cum Beato *Leone Papâ in Epiſtola.* 25. ubi ita loquitur : Tunc Chriſti dextrâ imperium defendi , quando Eccleſiæ ſtatus inconcuſſus ſervatur. Et quod. *S. Cyrillus lib. de rectâ fide ad Theodoſium* ſcripſit : Principes pietatis cultores ſine labore vincere , & prævalere adverſarijs. Quod tu benigniſſime DEUS, in cujus manu Regum & Principum corda ſunt, ijsdem inſtillare, &, ut opere exequantur, miſericorditer largiri digneris.

AMEN. Deo gratias.

FINIS.

INDEX RERUM ET VERBORVM, QVÆ IN HOC TRACTATU CONTINENTUR.

Prior numerus folium, posterior numerum marginalem signat.

A.

Bona

C.

Cle-

D.

Quinam

E.

G.

Gregorius

Probatur

Immu-

L.

Leges

M.

O.

P.

Princi-

Reli-

S.

Sæ-

 sacri-

FINIS.

Erra-

Errata sic emendanda.

Folium ,	Linea ,	Errores ,	Lege ,	Emenda.
FOl. 9.	Lin. 9.	*Concil.*	Lege.	*Concl.*
Fol 19.	lin. 7.	*Hac.*	lege.	*Hoc.*
Fol. 21.	lin.8.	*Secundam.*	lege.	*Secundum.*
Fol.33.	lin.27.	*Quà.*	lege.	*Quô.*
Fol. 55.	lin.7.	*Cit. 4.*	lege.	*Cit.p.4.*
Ibid.	lin. 8.	*Qui.*	lege.	*Quia.*
Eod. fol.	lin. 14.	*A ysq.*	lege.	*Aliq.*
Eod. fol.	lin. 21.	*Deductio.*	lege.	*Deducto*
Fol. 76.	lin. 15.	*Clericus.*	lege.	*Clericum.*
Fol. 77.	lin. 21.	*Stabilites.*	lege.	*Stabiles.*
Fol. 113.	lin. 26.	*Consequentà.*	lege.	*Consequenti.à*
Fol 115.	lin. 11.	*Laici.*	lege.	*Laicis.*
Fol. 92.	lin. 26.	*Magisteria (*	lege.	*(de Iurisdict.*
Fol eod.	lin. 27.	*Iudicium*	lege.	*Iudicum.*
Fol.93.	lin. 6.	*Indiciari.*	lege.	*Iudicari.*
Fol. 121.	lin. 11.	*Ex cit. à superius* leg. *ex cit.* & dele *à.*		
Eod.fol.	lin. 17.	*Docet.*	lege.	*Docet.*
Fol. 131.	lin. 28.	*Religiouis.*	lege.	*Religionis.*
Fol. 132.	lin. ult.	*Consilio.*	lege.	*Concilio.*
Fol. 161.	lin. 1.	*Authore,*	dele.	,
Fol. 162.	lin. 26.	*Concernentes.*	lege.	*Concernente.*
Fol. 163.	lin. 14.	*Asserit.*	adde.	,
Fol. 169.	lin. 24.	*Consila.*	lege.	*Concilia.*
Fol. 171.	lin. 3.	*Principio*	lege.	*Principiis.*
Fol. eod.	lin. 15.	*Amplexa*	adde.	*Sunt.*
Fol 172.	lin 13.	*Cum.*	adde.	*Idem.*
Fol. 176.	lin. 7.	*Barbatia,*	lege.	*Barbatij.*
Fol. 175.	lin 1.	*Cap.6.*	lege.	*Cap. 7.*
Fol. 178.	lin 17.	*Cumulatiuis,*	lege.	*Cumulativè.*
Fol. 181.	lin. 11.	*Conrra.*	lege.	*Contra.*
Fol 187.	lin. 21.	*Non.*	lege.	*Nec.*
Fol 185.	lin 3.	*Protendere.*	lege.	*Pratendere.*
Fol. 92.	lin.26.	*Magisteria.(*	adde.	*De.*
Fol eod.	lin. 27.	*Indicium.*	lege.	*Iudicum.*

Fol.

Errata sic emendanda.

Fol. 93.	lin. 6.	*Indiciari.*	lege.	*Indicarii.*
Fol. 193.	lin. 8.	*Immisere.*	lege.	*Immiscere.*
Fol. 194.	lin. 15.	*Tenentur.*	lege.	*Teneantur.*
Fol 196.	lin. 23.	*Ecclesiasticam.*	adde.	*sint.*
Fol. 205.	lin. 22.	*Prasestum.*	lege.	*Prastitum.*
Fol. 207.	lin. 11.	*Ibi.*	lege.	*Il.*
Fol. 111.	lin. 1.	111.	lege.	211.
Fol. 215. in Summar. lin.		25. *Leges.*	lege.	*Reges.*
Fol. 234.	lin. ultima	*Suprà*	lege.	*Inferius.*
Fol. 259.	lin. 1.	*Verborn.*	lege.	*Verborum.*
Fol. 271.	lin. 26.	*nnivers.*	lege.	*Vnivers.*

Fol. 284. lin. 10. *Quoties enormis est læsio.* lege. *Quoties enormis non est læsio.*

Fol. 284. lin. 27. Hæc verba: *Bonacin. d. disput. &c.* usque ad num. 8. pone immediatè *Post d. n.* 8. *ab initio.* ibid. *Relcigionis.* lege. *Religionis.*

Fol. 287. lin. 1. *De Cap. Privil. Odoardus.* lege. *De Privil. Cap. Odoardus.*

Fol. 288.	lin. 18.	*Odoardus.*	dele.	*alterum. s.*
Eod fol.	lin. 22.	*Creditoribus.*	lege.	*Creditoribus.*
Fol. 299.	lin. 17.	*Cnm.*	lege.	*Cum.*
Fol. 307.	lin. 2.	*Casn.*	lege.	*Casu.*
Fol. 308.	lin. 25.	*Iubeatur.*	lege.	*Iubebatur.*
Eod. fol.	lin. 29.	*Monasterinm.*	lege.	*Monasterium.*
Fol. 309.	lin. 9.	*Favoue.*	lege.	*Favore.*
Fol 311.	lin. penult.	*Su.*	lege.	*Suo.*
Fol. 313.	lin. 12.	*Argumentantur.*	lege.	*Argutantur.*
Eod. fol.	lin. ultima.	*Illum.*	lege.	*Illud.*
Fol. 317.	lin 4.	*Ingrrfus.*	lege.	*Ingressus.*
Fol. 320.	lin. 27.	*Velmus.*	lege.	*Velimus.*
Eod. fol.	lin. 30.	*Andusmus.*	lege.	*Audivimus.*
Fol. 326.	lin. 12.	*In in*	dele.	*Primum in.*
Fol. 337.	lin. 13.	*Profanarnm.*	lege.	*Profanarum.*
Ibid.	lin. 28.	*Prlncipis.*	lege.	*Principis.*
Fol. 342.	lin. 15.	*Veru.*	lege.	*Vero.*
Fol. 350.	lin. 8.	*Cleciris.*	lege.	*Clericis.*
Fol. 366.	lin. 2.	*De pignor. art.*	lege.	*Act.*

Xxxx Fol.

Errata sic emendanda.

Fol. 378.	lin. 27.	*Invenire.*	lege.	*Innuere.*
Fol. 382.	lin. 5.	*Putuisset.*	lege.	*Potuisset.*
Fol. 384.	lin. 15.	*si,*	dele.	,
Fol. 395.	lin 8.	*Non non.*	lege.	*Prius non.*
Fol. 397.	lin. 12.	*Panormitari.*	lege.	*Panormitani.*
Fol. 402.	lin. 16.	*Cleri.*	lege.	*Clerici.*
Fol. 404.	lin. 6.	*Panormlt.*	lege.	*Panormit.*
Fol. 405.	lin. 19.	*Auso.*	lege.	*Ausu.*
Fol. 407.	lin. 19.	*&*	lege.	*Etiam.*
Fol. 408.	lin. 2.	*Decisine.*	lege.	*Decisione.*
Fol. 409.	lin. 9.	*Abrogata.*	lege.	*Abrogatas.*
Fol. 411.	lin. 23.	*Non male.*	dele.	*Non.*
Fol. 434.	lin. 10.	166.	adde.	6.
Fol. 443.	lin. 9.	*Igituur.*	dele.	*Vltimum. u.*
Fol. 445.	lin. 23.	*Fasitati.*	lege.	*Falsitati.*
Fol. 447.	lin. 28.	*In e.*	adde.	*Primò.*
Fol. 449.	lin. 11.	*Tota.*	lege.	*Tot.*
Fol. 451.	lin. 23.	*Setuanda.*	lege.	*Servanda.*
Fol. 458.	lin. 8.	*Animiarum*	lege.	*Animarum.*
Fol. 464.	lin. 4.	*Controvexiarum.*	lege.	*Controversiarum*
Fol. 472.	lin. 18. in Summario.	*Habuit?*	dele.	*Punctum interrog.*
Fol. 474.	lin 4.	*Suppellex.*	lege.	*Supellex.*
Fol 478.	lin. 19.	*ch, chierici.*	lege.	*ch, i chierici.*
Fol. 490.	lin. 12.	*Graphia.*	lege.	*Cosmographia.*
Fol. 500.	lin. 10.	*urisdictioni.*	lege.	*Iurisdictioni.*
Fol. 508.	lin. 8.	*Delicta.*	lege.	*Delicta.*
Fol. 519.	lin. 5.	*Hoc lit.*	lege.	*Hoc, tit.*
Fol. 537.	lin. 11.	*Allegatos.*	lege.	*Allegatas.*
Fol. 555.	lin. 21.	*Et in casu.*	lege.	*Eo in casu.*
Fol. 556.	lin. 15.	*Camerario.*	lege.	*Cameterio.*
Fol. 573.	lin. 1.	*Crimins*	lege	*Criminis.*
Fol. 578.	post. num. 4.	234.	lege.	567.
Fol. 582.	lin. ultima.	*Vei.*	lege.	*Vel.*
Fol. 583.	lin. 12.	*Criminum.*	lege.	*Opinionum.*
Fol. 593.	In Sum. lin. 19.	*Damnasum.*	lege.	*Damnatum.*
Fol eod.	lin. 10.	*Conctus.*	lege.	*Ausus.*
Fol. 596.	lin 14 post verbum	*Vendicavit.*	adde.	*Evertit.*

Fol.

Errata sic emendanda.

Fol. 598.	lin. 6.	*Relatâ.*	lege.	*Relata.*
Fol 604.	lin. 14.	*Epilepsi.*	lege.	*Epilepsiâ.*
Eod fol.	lin. 20.	*Fatito.*	lege.	*Fatido.*
Fol. 605.	lin. ultima.	*Monastariorum.*	lege.	*Monasteriorum.*
Fol. 607.	lin. 17.	*Adductâ.*	lege.	*Adductum.*
Eod. fol.	lin 18.	*Potestatem.*	dole.	,
Fol. 610.	lin. 2.	*Posteritatem.*	adde.	*Deus.*
Fol. 614.	lin. 15.	*Subditis.*	dele.	*& scribe*,
Fol. 620.	lin. 23.	*Ejusmodi*,	dele.	,
Fol. 621.	lin. 11.	*Bullam suam*,	dele.	,
Fol. 629.	lin. 6.	*Partum.*	lege.	*Pactum.* & adde.,
Fol. 650.	lin. 21.	*Convertatur.*	lege.	*Controvertatur.*
Fol. 651.	lin. 28.	*Pacti.*	lege.	*Facti.*
Fol. 652.	lin. 12.	*Instrumentis*:	dele. : & pone post voc. *uti.*	
Fol 654.	lin 17.	*Confirmare.*	lege.	*Confirmarem.*
Fol. 668.	lin 1.	*ut.*	adde.	*Cum.*
Fol. 669.	lin. 25.	*Fama.*	lege.	*Famâ.*
In Anteloquio.	lin. 18.	*Eccclesiastici*	lege.	*Ecclesiastici.*

Si qui alij Errores incuriosum Authoris oculum fefellère, amici Lectoris solertiæ emendandos benevolè committimus.

n° 5